ARCHIVUM

FRANCISCANUM HISTORICUM

ARCHIVUM

FRANCISCANUM HISTORICUM

PERIODICA PUBLICATIO TRIMESTRIS

CURA

PP. COLLEGII D. BONAVENTURAE

ANNUS I. = TOMUS I.

Typographia, Directio et Administratio

AD CLARAS AQUAS prope FLORENTIAM

(QUARACCHI presso FIRENZE)

1908.

PROPRIETAS LITTERARIA

Modeste quidem, et brevibus pauca nos praefari licet, cum hoc periodici nostri primum specimen, rem historicam totius Ordinis Minorum illustrantis, studiosis hodie humanissime praesentamus.

Obedientia siquidem et maiorum patrocinio abunde freti, confratrum et exterorum amicorum diligenti opera, magnoque favore suffulti, aliquid saltem, ad clausos thesauros historiae nostrae aperiendos, conferre non dubitamus; verum, factis potius quam verbis et promissionibus opus nostrum iudicari poscit, et favorem magis mereri gestit quam habere.

Quod igitur Waddingus noster, cui nullum per elogium, feliciter iamdiu incepit, iisdem sane propositis nos etiam (modo tamen diverso prout diversa fert aetas), sua prosequi et continuare praesenti opere intendimus.

Mens ergo nostra est — ut eius verbis utamur — « quidquid alii hinc inde sparsim recte, vereque dictaverint, coadunare; quod omiserunt, qua possumus cura, connectere; nostra sufficienter probare; occurrentibus dubiis plene satisfacere; aliorum in nos iniurias non rependere, sed refellere; multorum circa res nostras ignorantiae tenebras non tam propalare, quam ipsa veritatis luce fugare (1) ».

His utcumque praemissis, cedat, placet, modestia nostra digniorem locum sequentibus litteris, quibus studioso patefiet

(1) Waddingus in *Praef.* ad *Apparatum ad Annales Minorum,* t. I. p. 2.

lectori, qui scopus, quive finis excelsos Mecoenates nostros moverit huic nostro operi vitam conferre, quam, tanto patrocinio, utique prosperam ominamur.

FR. DIONYSIUS SCHULER
PROV. THURINGIAE S. ELISABETH EX-MINISTER
S. CONGR. DE PROPAG. FIDE CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Omnibus Superioribus Provinciarum Custodiarum
et Missionum Ordinis Nostri
Salutem et Seraphicam Benedictionem.

Centenarium ab Ordinis Nostri fundatione septimo recurrens omnes, quicumque sub S. Francisco Patre atque duce militant, magnopere invitat, ut in elapsa respiciant et pro illis, quae Dei bonitate et clementia in Ordine et per Ordinem gloriose sunt acta, gratias agant ex animo. Ipsa itaque in Deum pietas exigit, ut divinorum beneficiorum gratam memoriam religiosissime conservemus nostrique Instituti historiam diligenti studio concelebremus. Neque etiam dubium esse potest, quin ex huiusmodi studiis uberes ac laeti fructus in praesenti et in posterum ipsi Ordini nosto inclyto accrescant. Profecto historia S. Patriarchae nostri eiusque filiorum talis est, quae amorem vocationis nostrae inflammare et ad imitanda maiorum nostrorum exempla efficaciter invitare valet. Quibus rationibus nos impellentibus, sane dolendum esset, si Seraphicae Familiae alumni, in propriae historiae perscrutatione, potiores partes relinquerent exteris, imo acatholicis. Undique enim nostris temporis advolare videmus viros in rebus historicis eximie peritos, ut gesta Dei per S. Franciscum eiusque filios contemplentur, quae ignorare ipsos nostrates haud parum dedeceret. Grato utique animo etiam exteros in elucidanda Fratrum Minorum historia occupatos salutamus socios et amicos, eorumque opera nostris commendamus non negligenda; ast tacere non possumus aliquoties apud eos inveniri narrationes et iudicia, quae cum veritate non concordant. Quod mirum esse non potest. Quantumvis veritatis amatores et sensu historico praediti, tamen institutione, opinionibus, animi cultura tantopere distant a spiritu Instituti Seraphici, ut de ipsius rebus certum iudicium ferre vix possint. Nostrum itaque est, felici aemulatione cum illis contendere, ut demum, quantum fieri potest, veritas historica plena in luce resplendeat.

Quae cum ita sint, peropportunum duximus, invitare et hortari nostri Ordinis filios; ut alacri animo haec studia colant, foveant, suamque in ea operam conferant. Tanta enim adhuc restant pro nostra historia praestanda, ut certe unius vel paucorum vires longe superent. Plurima latent pretiosa documenta, quae invenienda, et in lucem sunt proferenda; alia plurima per omnem mundi regionem, per bibliothecas vel archivia, per libros, fasciculos, folia periodica et alia eiusmodi sunt dispersa, quae oportet colligi, collecta examinari, ea quidem ratione ac methodo, qua hodie periti utuntur historici.

Quapropter multorum in praeclarum hunc finem conspirantium labores unire atque coniungere cupientes, una cum Rmo Nostro Definitorio Generali visum est Nobis, novum creare **Periodicum** quod desideratam cognitionem historiae almi Ordinis nostri promoveat. Hoc Periodicum ad modernam methodum scientificam ita exaratum, ut aequis iudicibus probari possit, anno proxime venturo in lucem prodire incipiet. Idipsum SS. Dnus N. **Pius Papa X,** in audientia privata Nobis die 17 Martii benigne concessa, benevolentissime Sua Benedictione Apostolica ditavit. Unde Nos illud hac occasione omnibus Confratribus maxime Superioribus enixe commendamus.

Haec consilia atque voluntatem Nostram, quae Vobis, carissimi fratres, praesentibus litteris manifestavimus, ex omnium animo dicta omniumque votis grata opinamur, ideoque speramus fore, ut eadem et animo volenti suscipiantur et unitis viribus ad optatum perducantur effectum, cui sicut et omnibus collaboratoribus specialem a Dno Benedictionem Seraphicam ferventer adprecamur.

Datum Romae, ad Sanctum Antonium, die solemni Paschatis 15 Aprilis 1906.

Fr. Dionysius Schuler, *Min. Glis.*

De mandato Paternitatis Suae Rmae.
Fr. Joseph Pratalata
Secret. Glis. Ord.

His praemissis, en prospectus programmatis:

Pars Prima: **Discussiones seu dissertationes,** diatribas vel theses criticas de re franciscana dabit. Hic controversiae ex. gr. de scriptoribus, de fontibus, de valore documentorum, deque historia et chronologia franciscana locum habebunt, et iuxta normas verae critices fusius discutientur.

In hisce discussionibus praeferenda erit lingua *latina,* quin inde excludantur dissertationes in aliis linguis com-

munioribus exaratae: scilicet *gallica, italica, germanica, anglica et hispanica.*

NB. — Ad dissertationes non latinas, Directio indicabit summarie argumentum earum *latine.*

Pars Secunda: **Monumenta seu documenta franciscana** divulgabit, videlicet:

Antiqua et recentiora. Sectio haec continebit cuiusvis generis documenta, *inedita* vel *rarissima,* ad Ordinem quomodocumque spectantia. Uti ex. gr. *Chronica* brevia vel minora Ordinis (1): item vetera chronica Provinciarum, conventuum, ecclesiarum, etc.: *Vitas* synchronas sanctorum, beatorum, scriptorum et quorumvis celebriorum fratrum Trium Ordinum: *Necrologia* conventuum: *Catalogos* antiquos nostrarum bibliothecarum: *Bullas* seu *Litteras* anecdotas Romanorum Pontificum, Praesulum, Imperatorum, Regum, et Magnatorum quorumcumque ad Ordinem, vel pro vel contra Ordinem datas: *Epistolas* Ministrorum generalium, *Acta* Capitulorum item generalium, *Statuta* tum generalia tum particularia Ordinis, vel Provinciarum, vel locorum: *Epistolas, Relationes* et *Itinera* Missionariorum totius orbis, et cetera huiusce generis ignota vel rara monumenta.

NB. — Haec sectio documentorum omnino in *lingua originali* evulgetur; praefationes vero et notae critices semper lingua *latina* scribentur, nisi aliter rara et gravis ratio postulet, arbitrio relinquenda Directionis.

Si quae documenta forent in *linguis difficilioribus* exarata, addetur hisce versio litteralis in lingua *latina.*

Pars Tertia: **Descriptio Codicum franciscanorum.**

a) Haec pars (magni utique pendenda), comprehendet notitias, declarationes et descriptiones cuiusvis *codicis* et rarioris *incunabuli* franciscani. Hic praecipue *Series* integrae *codicum franciscanorum* omnium ferme bibliothecarum describendae reservantur, per ordinem civitatum, et iuxta perfectas normas bibliographicas hodie ubique inter eruditos receptas. Sicque mens nostra est vicissim describere

(1) Maiora vero Chronica Ordinis reservantur pro collectione « *Analecta Franciscana* » quae ultro progredientur.

singulos quosque codices magni momenti, et series integras nostrorum codicum quae ex. gr. Florentiae, Romae, in Vaticano, Monachii, Vindobonae, Berolini, Londini, Parisiis vel ubivis asservantur; ut sic opus nostrum eruditis proficiat, et continuatio et correctio *Syllabi* Waddingiani et Sbaraleae felicius inde succedat.

b) Item huc venit *Bibliographia antiquior*, quae libros quoslibet de re et historia franciscana antehac editos, raros praesertim, illustrabit commendabitque pro merito.

NB. — Codicographia et Bibliographia haec prorsus in lingua *latina* describenda foret.

Pars Quarta: **Bibliographiam** librorum impressorum continebit, scilicet:

Libros omnes de historia et re franciscana, qui *recenter* in lucem prodeunt, explicabit, quorum *unum* saltem exemplar auctores ad nos *directe* mittere curabunt; deque valore operis iudicium nos aequa mente et ex animi sententia proferemus.

NB. — Collaboratores hac in parte praeferent linguam *latinam*, quin tamen excludantur linguae in *Discussionibus* admissae.

Pars Quinta: **Commentaria ex periodicis et ephemeridibus** enunciabit, nempe:

a) Spicilegium ex periodicis et ephemeridibus franciscanis.

b) Spicilegia franciscana ab exteris periodicis.

c) Syllabum recensionum de operibus iam revisis.

Hac in parte, paucis indicabimus praecipuos et melioris notae *articulos* et *documenta* de re franciscana, quae tum in nostratibus tum in exteris periodicis evulgata noverimus. — *Syllabus* vero dabit identidem *indicem* omnium periodicorum et ephemeridum, quae vicissim de auctore vel de operibus franciscanis iudicium aliquod protulerunt.

NB. — Haec pars, cum sua triplici sectione, lingua vel *latina*, vel *italica*, vel *gallica* exarabitur ad arbitrium Directionis.

PARS SEXTA: **Chronica** comprehendet, in duplicem sectionem sic distributa:

a) *Chronica litteraria,* et quidem primo *generalia;* sub qua rubrica exhibebuntur breviter notitiae generales, intra et extra Ordinem divulgatae, quae historiam, studia et res franciscanas quoquo modo prospiciunt: item breves biographiae, bibliographiae, res miscellaneae, et necrologia auctorum, qui de rebus franciscalibus vel scripserunt vel aliter quavis ratione studiis nostratibus sese habuerunt.

b) *Chronica* seu *Acta Ordinis particularia:* ubi exclusive documenta Ordinis *solemniora,* acta vel agenda maioris momenti ex toto Ordine *breviter* enunciabuntur.

NB. — Huius partis *documenta* in lingua originali dabuntur, cetera lingua vel *latina,* vel *italica,* vel *gallica* arbitrio Directionis.

ULTIMO IN LOCO tandem, in calce scilicet cuiusque fasciculi, sub rubrica — *Libri recenter ad nos missi* — catalogus exhibebitur omnium librorum et opusculorum cuiusvis argumenti vel idiomatis, quorum unum saltem exemplar vel enuntiandi vel examinandi gratia ad nos auctores miserint.

---

1. Si quae pars huius programmatis in uno vel in altero fasciculo periodici deficiet aliquando, hoc difficultatibus variis, vel spatii, vel opportunitati imputabit benevolus lector; verum utcumque, diligentiae nostrae erit generale hoc programma fideliter in singulis tomis cuiusque anni integrum exhibere studiosis.

2. Periodicus, annuo, in *quatuor* plerumque *trimestres fasciculos* (quilibet paginarum circiter 150) prodibit; attamen si ob graves rationes secus visum fuerit, et materia aliunde urgeat, ut ex. gr. duo fasciculi aliquando uno prodeant tempore, hoc ita tamen fiet quod, in anno quolibet, statutus tomus integer paginarum 600, cum locupletissimis *indicibus,* in lucem omnino prodibit.

3. Quilibet auctor de suo articulo et iudicio rationem reddet; quare ipsum suo nomine subscripto signabit. Directio tamen, si opportunum iudicaverit, suam differentem opinionem aliquando in brevi nota exhibere poterit.

4. In quantum fieri potest, omnes articuli (praesertim I[ae] et II[ae] partis) in uno eodemque fasciculo initium et finem habebunt: et nonnisi raro articulum in duos vel plures fasciculos prosequi licebit.

5. Pretium subscriptionis annuae erit pro Italia *lib. 12,* pro regionibus extra Italiam *lib. 14.*

6. Directio et Administratio in *Collegio S. Bonaventurae* BROZZI-QUARACCHI (Firenze).

Deo adiuvante, opus aggressi sumus laboriosum, ast ad incrementum bonorum fructuum ultro profuturum speramus.

Confratrum et amicorum opera indigemus continua, eamque toto animo imploramus, gratiam memori mente prosecuturi.

Directio Periodici.

DISCUSSIONES

SERIES PROVINCIARUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

SAEC. XIII ET XIV.

Quotquot recentiores scriptores post Gonzagam et Waddingum (1) de antiquis Provinciis Ordinis nostri tractatum habuere, rem hanc magni profecto momenti, ita obiter et inexacte exposuerunt, ut inde vix certum quid haurire liceat vel de anno *originis* cuiusque Provinciae, vel de *divisione,* vel de *numero,* vel etiam de *serie* seu *ordine* inter singulas Provincias in Minoritico Ordine constituto.

Rem hanc aliquantulum explanare aggressi, ab exordio tamen fatemur, ipsam perdifficilem cuique evadere, tum ob confusionem antehac inductam, tum ob inopiam documentorum quae prae manibus non habemus, vel nos et alios adhuc latent.

Verum, inter cetera sed pauca vetera monumenta huiusce generis, duo praecipue nos ad hoc studium impulerunt documenta penitus ignota: primum, *Series* una omnium antiquissima Provinciarum, anni 1263 (quam habes in *Tabula I*ª), et alterum, quod recenter fortuito Vindobonae in Palatina bibliotheca invenimus, scilicet *Series* alia *Provinciarum* inedita, cum summario *numero locorum* seu *conventuum* singularum Provinciarum Ordinis, iuxta enumerationem in Generali Capitulo Argentinae celebrato anno 1282 peractam (Vide seriem hanc infra in *Tabula IV*).

Series haec utraque Provinciarum, quae ad nos usque latuerunt, ratione habita tum earum antiquitatis, tum indubiae auctoritatis, iure

---

(1) Utimur 2ª edit. operis Gonzagae: *De Origine Seraphicae Religionis* Venetiis 1603, in 4. pp. 1596. Gonzaga noster, prae ceteris antiquis scriptoribus, primus fuit qui speciali diligentia seriem et historiam texuit Provinciarum. — Coaevus eius P. Rodulphius Tossinianensis O. M. Conv. in *Histor. Seraphicae Religionis* (1586), rem obiter valde et negligenter pertractavit. — Inter recentiores scriptores vero, cl. P. Papini O. M. Conv. in *Vita di S. Francesco* (Fuligno 1825) t. I. p. 180-85, rem aliqualiter melius exposuit; post quem P. Panfilo O. F. M. in sua *Storia compendiosa* (t. I. pp. 114, 120, 430-76, 571-72; t. II. c. 19 p. 561 sq.), et cl. P. Eubel O. M. Conv. in noto *Provinciale Ord. FF. Minorum* (Quaracchi 1892) plus minusve Papinium sequuti sunt. — Cfr. Ehrle, *Archiv*, t. VI p. 28.

merito primum locum obtinent inter omnia documenta huiusce generis nota; immo vero non pauca emendant, quae alias erronee asseverata sunt a recentioribus.

Hanc causam nacti ut utramque seriem in lucem hic daremus, placuit etiam breve studium elucubrare circa Provincias Ord. Minorum in decursu saec. XIII et XIV, remque tam arduam et perdifficilem, aliquantulum, si fas est, clarius prae ceteris dilucidare, et certa cum dubiis vel erroneis non confundere, neve ulterius propalare.

Interim confratres et collaboratores rogamus, ut quae a nobis collecta sunt, qualiacumque sint, boni consulant et benevole excipiant. Quod si in aliquibus nos errasse repererint, et vel omisisse, vel ignorasse monumenta certiora perpenderint, ipsi benevolenter suppleant, sive nobis directe communicando addenda et corrigenda, sive (quod et optabilius foret) suae propriae Provinciae originem in distincto articulo pro *Archivo* nostro iidem exarare dignentur (1).

Anno 1217. — Prima institutio Provinciarum et Ministrorum Provincialium.

1. — Prima Provinciarum et Ministrorum Provincialium institutio, non an. 1216, ut post Waddingum communiter tenebatur, sed anno 1217 facta est, et quidem in **primo** Generali Capitulo in Portiuncula celebrato: quodque indiscutibiliter hodie ab omnibus tenetur. (Cf. *Leg. 3. Soc.* c. 4. n. 62 ap. *Acta SS.* t. II. oct. p. 739. — *Chron. Anon.* in *Anal. fr.* p. 279, et *Ecclest.* ibid. p. 217. — *Chron. Glassberg.* in *Anal. fr.* II. p. 9. et *praef.* n. 15. — *Chron. 24 Gen.* in *Anal. fr.* III. p. 9-10. — Cfr. etiam Gonzaga in *Prov. Saxoniae,* ed. 2ª p. 762, et nostram *Bibliotheca Bio-bibliografica,* t. I. p. 87-88).

2. — Sed, *quot* numero, et *quae* fuerint hae primae Provinciae an. 1217 fundatae, etsi in nullo coaevo testimonio, vel antiquo *singillatim* enumerentur, aliunde tamen earumdem certa memoria extat. Waddingus (ad an. 1216 n. 2-3), duce Mariano, hoc in primo Gen. Cap. sequentes **decem Provincias**, totidemque Ministros recenset: quae series Waddingiana aliarum etiam antiquarum chronicarum testimoniis, vera esse non difficile comprobatur, et nullum hucusque testimonium grave afferi potuit Waddingo contrarium.

Decem igitur Provinciae an. 1217, et in primo Gen. Capitulo institutae, hae sunt iuxta Waddingum:

3. — **TUSCIAE** Provincia. — (Wadd. ad an. 1216. n. 2-3). — Tusciae primus Minister fuit non fr. Elias (uti volunt Wadd., Marianus, et alii), sed quivis alius, illi forsan suffectus; cum indubie constet nunc, hoc ipso an. 1217, fratrem Eliam institutum fuisse primum Ministrum *Syriae* seu *Terrae Sanctae,* ut videbitur sub n. **14.**

4. — Hoc tempore, teste P. Papini (*Storia di S. Franc.* I. p. 181), conventus 12 possidebat, praeter quaedam eremitoria. — Tusciae Provincia, quae late se se extendebat per medium Italiae, paucis post annis sub generalatu fratris Eliae, discerpta fuit in varias Provincias ut infra videbimus. — Vide n. **34.** (Cf. etiam Panfilo *Storia* t. p. 431).

---

(1) Desideriis hisce nostris opportune, iam iamque satisfecit cl. confrater noster P. Leonardus Lemmens, communicando nobis circa plurima ad hanc materiam melius explanandam utilissima; cui summas ideo gratias debemus.

5. — **MARCHIAE ANCONITANAE** seu **Picenae** Prov. — Huius primus Minister fuit fr. Benedictus de Aretio (Wadd. *loc. cit.*), qui postea, an. 1221, factus fuit Minister Orientis (Cfr. Golubovich *Biblioteca Bio-bibliografica* I. p. 129 sq.), cui tunc, in ministerio Marchiae successit fr. Paulus, quem idem S. Franciscus « Ministrum constituerat omnium fratrum in eadem provincia » (1. Cel. c. 28). — Post quem, probabiliter, fr. Ricerius de Mucio fuit Minister (Cfr. *Actus* ed. Sabatier c. 37. — Panfilo I. p. 435).

6. — **MEDIOLANENSIS** seu **Lombardiae** Prov. — Institutus est Minister fr. Joannes de Strachia (Wadd. *ib.* — Cfr. *Actus* c. 61, ed. Sabatier, ubi Minister **Bononiae** dicitur).

Haec Provincia late se se explicabat per septentrionalem-occiduam partem Italiae, a Mediolano nempe per totum fere Ducatum Pedemontanum, et per circum circa vicinas provincias (1); immo, iuxta placitum P. Papini, superius citati, necnon et recentiorum, Provincia haec extendebatur a terminis Tusciae usque ad totam reliquam partem superioris Italiae (2); quae quidem opinio ideo invaluit penes omnes ferme hodiernos Chronistas illarum Provinciarum, ob omnimodam deficientiam documentorum in contrarium asserentium. Hinc autumant, Provinciam istam latissimam, matrem extitisse foecundam trium aliarum Provinciarum, nempe *Januensis, Venetiarum*, et *Bononiensis*. Quarum originem Provinciarum inter annos 1232-39, sub generalatu fr. Eliae, statuendam esse censuerunt. Verum, ut infra videbimus (n. **59**), Provincia *Bononiensis* a Provincia Mediolanensi disiuncta fuit post annum 1263, uti constare videtur ex serie Urbani IV anni 1263, ubi Provincia Bononiae prorsus non nominatur inter triginta duas Provincias tunc existentes. — (Vide *Tabul. I.*).

7. — **TERRAE LABORIS** Prov. — In *Campania felici*, ubi erat eius Minister fr. Augustinus de Assisio, S. Francisci in coelum euntis comes. (2. Cel. 3. c. 140. — Bonav. Leg. maj. c. 14. n. 16. — Wadd. *loc. cit.* — Panfilo *Storia* I. p. 442).

Extant litterae papales « *Ministro et fratribus apud Neapolim* » datae die 17 ian. 1235, ubi tunc Minister erat, et an. praecedenti 1234, quidam fr. Nicolaus de Terracina (Cfr. Sbar. *Bull.* t. I. p. 144).

8. — **APULIAE** Prov. — Quo missus est Minister frater quidam cuius nomen interiit (Wadd. *ib.* — Panfilo I. p. 447). — Extant epistolae papales anni 1233 diei 8 martii « Fratri B. Minorum Ministro in Apulia ». (Sbaral. *Bull.* t. I. 98).

9. — **CALABRIAE** Prov. — Minister fr. Daniel Tuscus (3), postea martyr Septae an. 1227. (Wadd. *ib.* — *Chron. 24 Gen.* p. 32). — Calabriae Provincia insulam etiam **Siciliae** tunc comprehendebat sub uno Ministro, usque saltem ad tempora fr. Eliae (1232-39). Papini *Storia* I. p. 184.

---

(1) « Civitas Taurini, est civitas in confinio Lombardiae. Et protenditur Lombardia usque Segusiam et montem Senisium » Salimbene *Chron.* ed. Parmae p. 75.

(2) « La Provincia d'Emilia o Lombardia, comprendeva l'alta Italia cominciando dalla Romagna, della quale comparisce Provinciale nel 1221 fra Graziano, cui successe S. Antonio nel 1227 ». Papini *Storia di S. Franc.* t. I. p. 182. (Idem Panfilo *Storia* I. p. 436-37). — « Optimam totius Italiae portionem, nempe Aemiliae, atque Galliae Cisalpinae partem assequuta est » ait Gonzaga in *Prov. Bonon.* p. 301.

(3) Iuxta Benoffi (*Storia Minor.* c. 8, citatus a Panfilo *Storia* I. p. 448), fundator et primus Calabriae Minister fuit fr. Petrus a S. Andrea discipulus S. Francisci.

An. 1254 Calabriae Minister erat fr. Joan. de Aversa (Sbar. *Bull.* t. I. p. 765) et an. 1256 fr. Paulus quidam (*ibid.* t. II. p. 176).

10. — GERMANIAE seu **Teutoniae** Prov. — Jordanus scribit: « Anno Domini 1219 [*corrige:* 1217], et anno conversionis eius DECIMO, frater Franciscus in capitulo habito apud S. Mariam de Portiuncula misit fratres in FRANCIAM, in **Theutoniam**, in HUNGARIAM, in HISPANIAM, et ad alias provincias Italiae ad quas fratres non pervenerant (1) ». Quo primo missus fuit fr. Joannes de Penna cum 60 sociis. (Jord. n. 5. — *Chron. anon.* in *Anal. fr.* I. p. 279. — Glassberger p. 11. — Gonzaga in *Prov. Saxon.*, ed. 2ª p. 762. — Wadd. *loc. cit.* — Panfilo *Storia* I. p. 459 sq.). — Qui fr. Joannes, licet in vanum iter aggressus sit, et in Italiam redierit coactus, primus tamen Minister censendus est *Germaniae*, cuius fundatio hoc ipso an. 1217 ponenda est, etsi proprie anno 1221 initium certum habuerit, duce Ministro fratre Caesario de Spira (*Jord.* n. 17sq.), qui communiter primus Minister Teutoniae vocatur in Chronicis. Haec demum duarum aliarum Provinciarum mater fuit; et post binam divisionem anni 1230 et 1239 (v. nn. **22, 23, 45**), nomen sibi antiquum retinuit **Alemaniae**, vel cum adiectivo **Alemaniae Superioris**, vel simpliciter **Argentinensis** dicta fuit.

11. — FRANCIAE seu **Parisiensis** Prov. — In tractu scilicet *Parisiorum* et in *Gallia Belgica* S. Franciscus sibi reservaverat ministerium provinciale; sed a Card. Hugolino detentus, substituit sibi fr. Pacificum Picenum (*Rex versuum* dictum) quem in Franciam cum sociis misit (Wadd. *ib.* — S. Bonav. *Leg. mai.* c. 4. n. 9. — Cfr. Sbaral. *Bull.* t. I. p. 33. nota *h.* — Gonzaga in *Prov. Franciae et Turoniae.* — Panfilo I. p. 449). — Summus Pontif. litteras die 20 iun. 1239 dabat « *Ministro FF. Min. Parisius* » (*Bull.* t. I. p. 270, et alias t. II. p. 20). — Anno 1247, tempore fratris Salimbene (*Chron.* ed. Parmae p. 91-93) haec Provincia *octo Custodias* habebat.

Ex ista prodierunt aliae tres Provinciae scil. Provincia *Aquitaniae, Burgundiae* et *Turoniae* de quibus infra nn. **16, 51, 52.**

12. — PROVINCIAE Prov. — Gallice *Provence*, quae et *Galliae Narbonensis* et *Arelatensis* dicta fuit, et tardius titulo *S. Ludovici* Ep. Tol. decorata est. Huius primus Minister fuit fr. Joannes Bonellus de Florentia, illuc missus a B. Fr. cum sociis (1. Cel. c. 18. — Cfr. *Chron. 24 Gen.* p. 23. 230 [quae tamen *Chronica* initium huius missionis ponunt sub anno 1219]. — Wadd. *loc. cit.* — Panfilo I. p. 451). — Paulo postea, « *Custodiarum* septenario numero et *conventuum* olim 52 » prosperabat, iuxta Gonzagam in *Prov. S. Lud.*, ed. 2ª p. 949.

13. — HISPANIAE Prov. — Quae alias vocatur **S. Jacobi Compostellae** (Cfr. Castro *Arbol cronologico de la Prov. de Santiago* t. I. lib. 1. c. 13). — Ubi destinatus est Minister primo vel anonymus quidam, vel fr. Bernardus de Quintavalle cum sociis (Wadd. *loc. cit.* — Panfilo I. p. 453). — Cui an. 1219 successit fr. Joannes Parens, qui, an. 1220, primum capitulum provinciale totius Hispaniae (scil. Aragoniae, Navarrae, Castilliae et Portugalliae) tenuit Caesaraugustae (Zaragoza). — De Hebrera *Chronica de la Prov. de Aragon,* Zaragoza 1703, lib. 1. cap. 8. — Cfr. *Chron. 24. Gen.* p. 10. — Jordan. n. 3. — Glassberger p. 9, 13.

(1) *Chron.* n. 3 (*An. franc.* t. I p. 2). — Cfr. etiam *An. franc.* t. II *Praef.* p. XXVI sq., ubi sufficienter probatur quod prima missio in Germaniam facta fuit anno 1217; quo, ut habet idem Jordanus (n. 17), « **aliquoties** missi fratres *[scil. 1217 et 1219]* male tractati redierunt ». Ubi Jord. n. 3 loquitur de missione fratrum in Germaniam, error profecto in anno *1219* irrepsit pro anno 1217, qui solus reapse convenit cum anno *decimo* conversionis S. Francisci.

Ex hac deinceps reliquae Provinciae Hispaniarum originem habuerunt, de quibus infra nn. **25-26.** est sermo.

Hisce **decem** Provinciis, a Mariano et Waddingo relatis, addenda est **undecima** sequens:

14. — **SYRIAE** seu **Terrae Sanctae** Prov. — Cuius primus Minister an. 1217 institutus est fr. Elias: ut implicite constat ex *Chron.* fr. Jordani (in *Anal. fr.* t. I. nn. 7, 9. et 14) si conferas n. 7 eius *Chron.*, ubi dubius haeret circa an. 1217 vel 1219; et explicite constat de anno 1217 ex prima institione Ministrorum, inter quos censendus est et fr. Elias. — Quae Provincia etiam *Ultramarina* = *Promissionis* = *Graeciae* vel *Romaniae*, vel etiam *Antiochiae* dicitur in pluribus documentis (Cfr. passim nostram *Biblioteca Bio-bibliografica* I. p. 87-88, 108, 129 sq. — Panfilo *Storia* I. p. 456).

Anno 1219. — Confirmantur et augentur Provinciae.

15. — In sequenti vero **secundo** Gen. Capitulo, pariter in Portiuncula celebrato, scilicet anno 1219, « *iterum electis Ministris,* fuerunt missi fratres per mundum cum litteris domini Papae » (Cfr. *Chron. 24 Gen.* p. 14. — *Chron. anon.* p. 279. — *Chron. Glassberger* p. 12).

16. — **AQUITANIAE** Prov. — Haec ortum duxit an. dicto 1219, quo S. Fr. Ministrum destinavit fr. Christophorum de Romandiola, qui iam ab an. 1217 cum supra memorato fr. Joanne Bonello Galliam Narbonensem evangelizabat (Cfr. *Chron. 24 Gen.* p. 24, 161. — Glassberger p. 14. — Gonzaga in *Prov. Turon.* ed. 2ª p. 768. — Wadd. et Haroldus ad an. 1219. — P. Othon *L'Aquitaine Séraphique* t. I. capp. 1-2).

Ad Ministrum Aquitaniae, sunt litterae papales anni 1238 et 1247, (in *Bull.* t. I. p. 239, 470, etc.).

Corrigendus igitur Papini (*Storia di S. Franc.* t. I. p. 184, n. 7) qui initium huius Provinciae statuit an. 1240, et Panfilo (*Storia* I. c. 16) qui hanc Provinciam in sua serie omisit, quasi fuisset post mortem S. Francisci fundata.

Anno 1223. — Instituitur Prov. Angliae vivente adhuc S. Francisco.

17. — Waddingus (sub an. 1219 n. 32) institutam Provinciam Angliae asserit anno 1219; sed missionem anglicanam destinatam fuisse in **quarto** Cap. Gen. celebrato anno 1223, constat ex Ecclestonio:

18. — **ANGLIAE** Prov. — Huius primus Minister fuit fr. Agnellus de Pisis « qui a b. Francisco in proximo capitulo generali [*scil. an. 1223*] destinatus est provincialis Minister in Angliam », quam cum sociis ingressus est anno sequenti, scil. 1224 (Cfr. Eccleston in *Anal. fr.* I. p. 217-18). — Haec tunc **Scotiam** et **Hiberniam** etiam comprehendebat. Cfr. nn. **19, 29.** — Panfilo *Storia* I. p. 464).

Anno 1227-32. — Augentur Provinciae sub generalatu fr. Joan. Parentis.

19. — **HIBERNIAE** Prov. — « Fr. Richardus de Indewurde, sub bonae memoriae fratre Joanne Parente (1227-32), missus est Minister provincialis in *Hiberniam* ». Haec fr. Th. de Eccleston (in *Anal. fr.* I. 218), quin annum clarius indicet, sed verosimiliter vel in Cap. Gen. anni 1227, vel in alio Cap. anni 1230 haec Provincia ortum habuit, in quibus Capitulis alii etiam Ministri provinciales alibi destinati fuerunt, et Provin-

ciae quaedam dissectae fuerunt, ut infra videbimus ad an. 1230. (Cfr. Jord. nn. 52, 54 et 57. — Panfilo *Storia* II p. 565 sq.).

20. — An. **1227.** — Minister Teutoniae eligitur fr. Simon Anglicus (Jordan. n. 52). Sed anno sequenti (1228), a Ministerio absolutus, lector theologiae in sua Provincia instituitur, et ei in Ministerio successit fr. Joan. de Plano Carpinis (Jord. n. 52, 54).

21. — An. **1228.** — Fr. Joannes de Plano Carpinis, electus an. 1228 Minister Teutoniae, « Ordinis sui dilatator maximus fuit. Minister enim factus, in *Bohemiam,* in *Hungariam,* in *Poloniam,* in *Daciam* et *Norwegiam* fratres misit » (Jord. n. 55. — Idem Komorwo *Memoriale* p. 94. — Idem *Chron. anon.* cit. p. 288, et Glassberger p. 48, qui tamen omittunt *Poloniam*).

22. — An. **1230.** — In Cap. Gen. huius anni, fr. Joannes de Plano Carpinis absolutus est a Ministerio Teutoniae « et in *Hispaniam* pro Ministro transmissus.... In eodem Gen. Cap. Ministratio Theutoniae in DUAS EST DIVISA: una **Rheni** et altera **Saxoniae.** — Super *Rhenum* datus est Minister fr. Otto iurisperitus et Lombardus, in *Saxoniam* fr. Simon [Anglicus primus Minister Saxoniae] ». (Cfr. Jord. n. 57, 58. — *Chron. anon.* cit. p. 288, 290. — Glassberger p. 50, 52, 583).

23. — **SAXONIAE** Prov. — Haec igitur orta est anno 1230 (Cfr. auct. citt. immediate supra sub n. **22**).

24. — Nostri Chronistae Hispaniae (cfr. De Hebrera, *Chron Aragon.* cit. lib. I. c. 11) communiter *sub generalatu* fr. Joanis Parentis (1227-32) ponunt divisionem **Hispaniae** in *tres* Provincias; quod quidem facile concedi potest, et rationabiliter vel in Gen. Cap. Assisii an. 1227 celebrato (quo anno etiam originem praecedentis Provinciae *Hiberniae* statuimus), vel serius an. 1230 in quo Germania in duas fuit distincta; minime vero in supposito Cap. Gen. *Soriae* in Hispania, ut volunt quidam, celebrato anno 1233, quod quidem Cap. nunquam *generale,* sed simpliciter fuit *provinciale,* Soriae convocatum sub ministerio provinciali (1219-27) dicti fr. Joannis Parentis. — (Cfr. *Chron. 24 Gen.* p. 210, et *ibid.* Bessa p. 694).

Minister Gen. igitur fr. Joannes Parens Provinciam HISPANIAE in tres sequentes divisit, nempe:

25. — **ARAGONIAE** Prov. — Quae se extendebat per regnos *Navarrae, Catalauniae, Valentiae* et insulas *Balearicas* — Cfr. De Hebrera supr. cit. — Gonzaga in *Prov. Arag.* p. 807 (1).

26. — **CASTILLIAE** Prov. — Quae amplectebatur regnos utriusque *Castilliae* novae et veteris, *Cantabriae, Biscaliae* etc. — Cfr. De Hebrera supr. cit. — Gonzaga *l. cit.* (2).

27. — De illa *Sancti Iacobi* seu *Campostellae* Prov. quae olim *Hispaniae* dicebatur, iam superius diximus sub n. **13.** — Post dictam divisionem, ad hanc Provinciam **S. Jacobi** pertinebant regna *Legionis* (De Leon), *Galitiae, Asturiae* et *Portugalliae.* Cfr. Gonzaga *l. cit.* (3).

---

(1) Ad Aragoniae Ministrum, extant epistolae papales iam anno 1238 die 24 apr. datae, et aliae multae subsequentibus annis (Sbar. *Bull.* t. I. p. 238; cfr. p. 436, 598, 645; t. II. p. 7, 309 et sq.).

(2) Apud Wadd. (an. 1245 n. 32, t. III. p. 138) habes apistolam an. 1245: « *Fr. Samuel Minister et servus FF. Min. in Castella salutem* etc. ». — Cfr. *Bull.* I. p. 626, II. p. 394.

(3) In *Bullario franc.* t. I. p. 112. extant litterae papales directae die 14 iun. 1233 « *fratri Iacobo Ministro FF. Min. in Portugallia* »; alias item ibid. 6 aug. 1238, ad Ministrum Provinciae Braccarensis (in Portugallia) t. I. p. 246; et 22 mar. 1241, t. I. p. 292; 5 feb. 1246, t. I. p. 409.

Anno 1232-39. — Provinciae sub generalatu fratris Eliae.

28. — Frater Elias multas suo tempore Provincias, magnae extensionis, divisit in alias plures minores, quas ad numerum 72 volebat augere, in memoriam totidem Discipulorum Christi (1).

ANGLIAE Provinciam in *duas* distinxit: in *Angliam* scilicet et *Scotiam*, teste Ecclestonio infra citato.

TUSCIAE Provinciam in *tres* minores denuo subdivisit, teste Salimbene (vide infra n. **32**), quarum tamen nomen evanuit: quaeque postea iterum in unam conflatae sunt.

MARCHIAM ANCONITANAM, item in *duas* disiunxit, teste eodem Salimbene. Verum hae omnes supra dictae novae Provinciae, brevi reductae fuerunt ad pristinam conditionem Custodiarum (an. 1239). Ast aliae alibi novae surrexerunt, ut passim videbimus.

Habes testimonia quae sequuntur:

29. — « Tempore vero non modico post adventum fratrum in Angliam evoluto, demandatum est a Ministro generali fratre Helia ut PROVINCIA ANGLICA DIVIDERETUR IN DUAS: ut esset scilicet una **Scotiae**, et alia, ut prius, **Angliae** nominata. Voluit enim, ut dicebatur, quod sicut Ordo fratrum Praedicatorum XII habet Priores provinciales in toto orbe, vice XII Apostolorum, sic et ipse sub se haberet SEPTUAGINTA DUOS MINISTROS, vice septuaginta duorum Discipulorum. Factus est Minister provincialis **Scotiae** fr. Henricus de Reresby; sed antequam venisset ad ipsum obedientia, mortuus erat. Successit igitur ei fr. Johannes de Kethene, qui omnia loca ultra Eboracum capi fecit.... Igitur cum *plures annos* provinciam **Scotiae** probabiliter rexisset, RECONIUNCTA PROVINCIAE ANGLIAE, a Ministro generali fratre Alberto [1239], Minister *Hiberniae* creatus est » (Eccleston in *Anal. fr.* t. I. p. 235. — Cfr. ib. p. 268, 236).

Inferius vero idem Eccleston subdit: — « In ipso capitulo [*an. 1239, in quo depositus fuit fr. Elias*] factus fuit fr. Haymo Minister TOTIUS ANGLIAE, et fr. Iohannes de Kethene, qui fuerat Minister **Scotiae**, factus est Minister *Hiberniae* » (l. cit. p. 243).

Anno vero 1260 Alexander IV scripsit Ministro et Generali Capitulo, Narbonae die Pentecostes congregato, mandans ad instantiam regis **Scotiae**, ut in ipso regno Ministrum Provincialem instituant (Eubel, *Epitome Bullarii franciscani,* n. 1077). Mandatum tamen hoc executioni demandatum fuisse nullatenus constat.

30. — Post mortem fratris Agnelli Ministri Angliae, « F. Helias.... mandavit fratri Alberto Pisano, qui fuerat Minister *Hungariae, Alemanniae, Bononiae, Marchiae Anconitanae, Marchiae Trevisinae* et *Tusciae,* ut proficisceretur in Angliam et ibidem fratribus ministraret » (Ecclest. p. 247). — Albertus Minister Angliae electus est an. 1236, ubi advenit die S. Luciae, 13 dec. (Cfr. *Anal. fr.* III. p. 233, n. 3. — Panfilo *Storia* I. p. 573).

31. — Salimbene refert: « In conventu Fanensi [*an. scil.* 1238] habui lectorem fratrem Humilem Mediolanensem quando novitius fui, in MARCHIA ANCONITANA, in qua tunc DUORUM MINISTRORUM regimina habebantur » (Ed. Parmae p. 405; ed. Holder Eg. p. 104).

32. — « Erant fratres layci tot in PROVINCIA TUSCIAE, tempore quo habitabam ibi (1239-47), quae ex TRIBUS provinciis facta fuerat UNA, quot

(1) Tempore etiam fratris Eliae, anno 1235, apparet in litteris papalibus « frater Joannes Minister Ord. FF. Minorum *de Barbaria* ad regem Tunetanum missus (*Bull.* I p. 155). Ista Provincia *Barbariae* vel una fuit ex ephimeris a fratre Elia creatis, vel ita dicitur quia forsan Barbaria tunc ad Provinciam aliquam pertinebat. Cfr. nostram *Biblioteca* I p. 102, 170.

clerici erant (1) ». (Salimb. *Chron.* p. 404; ed. Holder p. 102, lin. 33. — Cfr. Panfilo I. p. 572).

Haec vero trium Tusciae Provinciarum in unam reductio, ponenda est anno 1239, in Cap. Gen. tunc Romae celebrato praesente Gregorio IX, ut infra dicetur (2).

33. — « Frater Helyas habebat in qualibet Provincia unum visitatorem (3);... et ERANT PROVINCIAE MINORES quam sint modo » (Ed. Parmae p. 406; ed. Holder-Eg. p. 106-7). — Intellige minores erant *extensione,* non numero, quia, ut ex ipso Salimbene et Ecclestonio citatis vidimus, fr. Elias Provincias varias divisit et numero auxit.

34. — Item sub gubernio fr. Eliae (1232-39), ponenda est prima divisio extensissimae Provinciae Tusciae in tres praecipue distinctas, scilicet in TUSCIAM (4) proprie dictam (de qua superius diximus n. **3**), in ROMANAM, et SANCTI FRANCISCI.

Clara distinctio harum trium a se invicem Provinciarum, dignoscitur iam extitisse ante annum 1238 quo fr. Salimbene ordinem Minorum est ingressus: cum passim in sua *Chronica* has Provincias et earumdem Ministros Provinciales clare discernit, ut infra in respectivis Provinciis patebit.

Litterae papales dantur anno 1254 istis tribus « Ministris O. Min. de Administrationibus *Romae, Tusciae* et *S. Francisci* » ad inquisitores instituendos in propriis Provinciis seu Administrationibus (Sbaralea *Bull.* t. I. p. 742).

35. — **S. FRANCISCI** Provincia. — « Provincia haec ex Hetruria Umbriaque participat. Non constat quo primo tempore certo in Provinciam erecta fuerit », ait Gonzaga (in *Prov. S. Fr.*); verum nunc constat ipsam tempore fratris Eliae sui iuris extitisse, ut supra innuimus (cfr. etiam Papini *Storia* I. p. 184). — Praeterea, in quodam instrumento diei 24 oct. 1235, datur conventus Montis Mascarani « fratri Rogerio Ministro Ducatus Spoletani » scilicet Ministro Provinciae S. Francisci (Sbaral. *Bull.* I. p. 187. — Cfr. ibid. t. II. p. 31).

Ad haec, Generalis Minister fr. Joan. de Parma (1247-57) fecit fratrem Simonem de Comitibus « Ministrum Provinciae S. Francisci in Valle Spoletana » (Salimbene *Chron.* ed. Parmae p. 146; ed. Holder p. 318).

Multas demum litteras papales ab an. 1240 et seq. directas ad Ministrum Provincialem S. Francisci vel *Administrationis* S. Francisci, habes in *Bullario* t. I. p. 288, 595, 704, 709, 756; *ibid.* t. II. p. 142, 314, 360, 380 et sq.

---

(1) Verba haec fratris Salimbene, minus recte interpretatus est cl. Papini, qui (in *Storia di S. Franc.* t. I. p. 182-83) supposuit pro certo, quod an. 1223, duae Provinciae *Umbriae* et *Romanae* quasi iam existentes, in unam coaluerint *Tusciae* Provinciam, et sic « *ex tribus facta fuerat una* » Tusciae. Sed undenam hausit existentiam Provinciarum *Umbriae* et *Romanae* ante an. 1223? Sensus igitur fr. Salimbene est, quod post originem Provinciarum Umbriae et Romanae, quae ex Provincia Tusciae quasi matre prodierunt (1232-39), haec ipsa Provincia Tusciae denuo in aliis tribus Provinciis fuit disiuncta, tempore fratris Eliae; quae tamen subdivisio per breve temporis spatium, nempe usque ad 1239, perduravit.

(2) Hoc idem recte arbitratur etiam cl. Holder-Egger in 2ª edit. ipsius *Chron. Salimb.* in *M.G.H.* t. XXXII, par. I. p. 106, n. 1.

(3) Hos visitatores an. 1237 misit ad Provincias, iuxta fr. Jord. *Chron.* n. 62. (*Anal. fr.* t. I. p. 18): cfr. Eccleston (*ib.* p. 234).

(4) Quam immo in tres alias pro tempore distraxerat, ut n. **32** innuimus.

36. — **ROMANA** Provincia. — Haec item tempore generalatus fr. Eliae (1232-39) in suo iure Provinciae constituta est cum praedictis Provinciis superius enumeratis. (Cfr. etiam Papini *Storia di S. Francesco*, t. I. p. 184).

Anno 1236 Pontifex « Ministro et fratribus Viterbi » concedit locum Castri S. Angeli (*Bull.* I. 209); profecto haec concessio facta est Ministro Provinciae Romanae. — Litteras ad eumdem Prov. Ministrum datas an. 1254, 1259 et sq. habes in *Bull.* I. 717, 742; II. 377 et sq. (1).

37. — Romanam Provinciam ab illa Tusciae clare distinguit fr. Salimbene iam ab anno sui ingressus in Ordinem (1238), qui tunc volebat esse de *Provincia Tusciae* (*Chron.* ed. Parmae p. 15; edit. Holder-Egger p. 42). Ab eodem item scimus Ministrum *Romanae Provinciae* an. 1248 fuisse fratrem Jacobum de Iseo (*Chronicon* ed. Parmae p. 143; ed. Holder-Egger p. 315).

38. — **MARCHIAE TARVISINAE** Prov. seu **Venetiarum,** seu **S. Antonii.** — Haec etiam, uti innuimus, initium duxit a primaeva Provincia *Lombardiae* dicta (n. **6**), circa tempora generalatus fr. Eliae (1232-39), nisi forte aliquo tempore antea.

Extant enim epistolae papales iam a die 27 febr. et 26 apr. anni 1232, directae *Ministro FF. Min. de Venetiis* (Sbar. *Bull.* t. I. p. 77, 78); et subsequentibus annis, ab an. 1249, cum directione vel *Ministro FF. Min. de Venetiis* — vel *Ministro FF. Min. Marchiae Tervisinae* (Ibib. t. I. p. 528, 581, 755; t. II. p. 47, 75, 159, 568, et sq).

Ante an. 1248 Minister Marchiae Tarvisinae erat fr. Anselmus Rabuinus, qui fuit etiam Minister Terrae Laboris: de quo fr. Salimbene in *Chron.* ed. Parmae p. 143, 318.

39. — **IANUENSIS** Prov. — Haec item sub generalatu fr. Eliae ortum duxit ex matre Provincia *Lombardiae* (Vide n. **6.** — Papini *Storia* I. p. 183) (2).

Custodias et Provinciam Januensem pluries Salimbene memorat, quamque annis 1248-49 perlustravit, huiusque Ministros Provinciales fr. Bertholinum et Nantelmum saepe nominat. — (*Chron.* ed. Parmae p. 143-44, 148, 151).

Pontificias litteras ad hanc Provinciam datas, an. 1247, et seq., habes in *Bullario* t. I. p. 456, 578, et seq.

40. — **HUNGARIAE** Prov. — Quando Provinciae sibi nomen, dignitatemque asciverit, vel quis primus eius fundator fuerit, nullo modo investigare valuit cl. P. Gonzaga (in *Prov. Ungar.* p. 580-81).

Hungaria primos conventus obtinuit an. 1228, sub provincialatu fr. Joan. de Plano Carpinis Ministri Teutoniae: qui conventus, in proxima divisione Teutoniae (an. 1230), ad provinciam Saxoniae devenerunt. Cito tamen Hungaria propriam autonomiam consequuta est, non tardius an. 1232-33, sub generalatu fr. Eliae, nisi dixeris sui iuris constitisse eodem an. 1230, quo consoror eius provincia Saxoniae.

Iam siquidem ab an. 1234, die 16 aug., habentur litterae papales « Episcopo Bosnen. (*Bosnensi*) et *Ministro Ordinis Minorum in Hunga-*

---

(1) « Haec Provincia olim, sub b. p. Bonaventura Gen. Ministro (1257-1273), latius quam in praesentiarum patuit, cum ex septem Custodiis tunc temporis constans, 50 fratrum conventus complexa fuerit, modo vero.... 39 tantum contineat » (Gonzaga in *Prov. Roman.* p. 193). Ex quibus deducimus Gonzagam prae oculis habuisse elenchum quemdam conventuum nobis ignotum. Nulla enim cognita series Provinciarum hunc numerum *50 conv.* exhibet.

(2) E contra Gonzaga scribit: « Eius origo atque ortus penitus ignoratur; nullam aliam nobis Provinciam peperit, sicut et a nulla alia propagata certissime creditur ». Gonzaga in *Prov. Jan.* p. 375.

ria » item aliae diei 7 iun. 1235, et 9 aug. 1238, et 30 iun. 1247 (Sbaral. *Bullar.* t. 1. p. 131, 164, 248, 447) praeter alias litteras subsequentibus annis datas ad Hungariam spectantes. Teste praeterea fr. Salimbene, qui, anno 1238 quo in conventu Fanensi habitabat, vidit duos fratres « qui ab Hungaria unum grandem piscem.... deportabant, et fratri Heliae a *Ministro Hungariae* Assisium mittebatur » (*Chron.* edit. Parmae p. 408; edit. Holder-Egger in *M.G.H.* t. 32, p. 107).

Constaret insuper quod, item tempore fratris Eliae, Minister *Hungariae* fuerit fr. Albertus Pisanus, antequam anno 1236 promoveretur ad Ministeriatum Angliae, teste Ecclestonio superius relato sub n. **30**, et Panfilo I. p. 573.

41. — **AUSTRIAE** Prov. — Haec Provincia verosimiliter ex illa *Saxoniae* (n. **23**) immediate originem duxit, et quidem intra annos 1232-39, sub generalatu fr. Eliae, uti ex documentis in archivo conventus PP. Min. Conventualium Viennae existentibus deducitur. — Primus Austriae Minister innotescit quidam fr. *Joannes*, qui tamen in hoc officio ab anno tantum 1241 in documentis apparet. Huic succedit fr. *Bartholomaeus* an. 1247, qui tandem ex Ministerio Austriae electus est in Ministrum Saxoniae anno 1262 (1).

Sbaralea (*Bull.* t. III. p. 176) Provinciam hanc arbitratur erectam fuisse an. 1239 in Gen. Cap. Romae celebrato, etsi (per negligentiam amanuensis) omissam videmus in serie Bonaventuriana (Vide *Tabul.* I).

Anno 1262, Custodia Moraviae datur *Provinciae Austriae,* sed post quatuor annos redditur *Provinciae Bohemiae.* — (Vide Glassberger p. 86. — Rodulphium *Hist. Seraph.* f. 293).

Anno 1257 duabus istis Provinciis Pontifex suas litteras dirigebat: « Ministris et fratribus *Bohemiae,* Poloniae et *Austriae* » (*Bull.* t. II. p. 225). Polonia tunc unita erat Provinciae Bohemiae, ut constat.

Anno 1239, post generalatum fr. Eliae, reductio et distinctio nova Provinciarum.

42. — « In Cap. Gen. circa an. Dni. 1239 [*Romae*] celebrato, domino Gregorio papa IX praesente..., ibidem **fuit facta divisio Provinciarum** Ordinis, et **numerus limitatus** ipso domino Papa praesente et volente (2) ». (*Chron. 24 Gen.* in *Anal fr.* t. III. p. 246) (3).

(1) Haec praecipue desumpsimus ex optimo *Catalogo Almae Prov. Austriae* p. 18-20, an. 1904 Viennae edito, et compilato a cl. P. Julio Smercsek, qui passim refert Greiderer testimonium *Germania franciscana* t. I. lib. 3. n. 6, et *Schematismum FF. Min. Conventualium* Viennae 1903, p. 6-7. — Cfr. etiam Glassberger in *Anal. franc.* t. II. p. 76. — Gonzaga vero sub *Prov. Saxon.* ed. 2ª p. 765, Austriacam Provinciam ex matre Argentinensi natam dicit.

(2) Ita citata *Chronica 24 Generalium,* quae tamen erronee Capitulum hoc sub fratre Aymone celebratum asserunt, cum constet tum Capitulum, tum *divisionem Provinciarum* anno 1239 sub Generali fratre Alberto Pisano, primo locum habuisse. Verum, cum fr. Albertus obierit anno 1240 (Cfr. nostram *Biblioteca* cit. p. 102) et ei suffectus fuerit in generalatu fr. Aymo de Faversham, electus die 1 nov. 1240 in Capitulo Generali *Anagniae* (Cfr. Glassberger p. 62, not. 8, et Papini *Storia cit.* I. p. 183, et Panfilo I. p. 572), potuit etiam hic in hoc Capitulo *Anagniae* celebrato renovare vel sancire decretum de divisione et numero Provinciarum vix emanatum a praecedenti Cap. Generali. Sic explicare libet quae tum *Chron. 24 Gen.*, tum Glassberger citati, et alii, asserunt vel repetunt de hoc decreto facto sub generali fratre Aymone.

(3) Huic divisioni profecto innuit pontifex Nicolaus IV (ut infra sub an. 1288 n. **64** videbimus), qui suis litteris iussit ne ulla deinceps fieret divisio aut erectio Provinciarum, absque speciali Apostolicae Sedis licentia.

43. — « In absolutione fratris Heliae (1239) provisum fuit, ut tantum **triginta duae Administrationes** [seu Provinciae] essent in Ordine, **XVI** scilicet ultra montes, et **XVI** citra » — (Ecclest. in *Anal. fr.* I. 236).

Quaenam vero fuerint singillatim et nominatim istae 32 Provinciae, in recentiori testimonio explicito seu catalogo coaevo Urbani IV sub an. 1263 indicantur. Vide infra *Tabul. I.*

44. — Ab hoc igitur tempore **reliquae fere omnes quae sequuntur Provinciae**, suam autonomiam acquisierunt: et licet non omnium harum annus originis praecise indicari possit testimonio documentorum, tenendum tamen est, ipsas hoc in anno 1239, et in dicto Gen. Cap. distinctas et sui iuris extitisse.

Extat nobis primum exemplum explicitum Germania seu Teutonia, quae sicuti anno 1230 in duas fuit disiuncta, nunc an. 1239 discerpta fuit in tres Provincias distinctas. Inde igitur originem habuit sequens Provincia Coloniensis.

45. — **COLONIENSIS** Prov. — Quae et **Alemaniae inferioris** dicta est, hoc an. 1239 semet sui iuris fecit ex foecundissima matre **Alemaniae** vitam hauriens. Vide n. **10.**

Auctor *Chron. anon.* rem ita clarius ceteris exponit:

« Anno 1239 in Cap. Gen. Romae [celebrato] provinciae per Germaniam fuerunt clarius distinctae, in *Argentinensem* scilicet, **Coloniensem** et *Saxoniae.* Bipartita itaque RHENI (1) provincia in Argentinam et Coloniensem, *Argentinensis* nostra, quae et *Superioris Germaniae* usque in hodiernum diem dicitur, sic separata amplissimas regiones obtinuit: Bavariam, Palatinatum, Sueviam, Alsatiam, Marchionatum Badensem, ditionem Würtembergensem, Helvetiam, Franconiam, Tyrolim.... Primum autem habuit Ministrum fratrem Terdericum » cui successit an. 1244 fr. Conradus de Coeli Porta (Ita *Chron. anon.* in *Anal. fr.* I. p. 290. — Cfr. Glassberger p. 61. — Wadding an. 1239 n. 12).

46. — **BOHEMIAE** Prov. — Anno 1232 fratres Minores receperunt locum Pragae in Bohemia, et subsequenter multa alia loca alibi. — Anno vero 1239, quo aliae Provinciae Germaniae clarius fuerunt distinctae et disiunctae, «Provincia Bohemiae adhuc erat sub Ministro Saxoniae» (Glassberger p. 51, 61). — Sic etiam intelligendum est illud *Chronicae Anonymae* (*Anal. fr.* I. p. 290) ubi dicitur quod «anno 1238 Saxoniae simul et *Poloniae* (2) Minister» erat fr. Joannes de Plano, cum constet tunc temporis Poloniam et Bohemiam uno regimine coniunctas sub Provinciali Saxoniae fuisse.

Sed quo anno praecise a Saxonia disiuncta sit, nos latet; ceterum non multo post annum 1240 id evenisse arbitramur (3).

Iam extitisse ante annum 1256 in sua autonomia videtur ex litteris pontificiis illo anno directis « *Ministro, Custodibus* et fratribus Minoribus *Bohemiae, Moraviae, Poloniae* et Prussiae » (Sbaral. *Bull.* II. p. 179):

---

(1) Vide superius sub an. 1230, n. 22.

(2) Cfr. etiam cit. Glassberger p. 59. — Extant litterae papales an. 1234 ad fr. Joannem Anglicum *Ministrum* in Saxonia, et ad fr. Thomam *Custodem* in Bohemia (Sbar. *Bull.* t. I. p. 135); unde etiam habes quod tunc adhuc Bohemia erat una de Custodiis Saxoniae.

(3) P. Melissanus in additionibus ad annales Waddingi (sub an. 1239 in fine) scribit quod « fr. Taurimінus Bohemus Provinciae Bohemiae et Poloniae secundus Minister, capitulum sive congregationem provincialem hoc an. 1239 celebravit Vratislaviae in festo S. Calisti » (sic!), citatque *Miechov.* lib. 3. c. 39. Ast, haec omnia ita erronea sunt, ut taedeat nos singula corrigere. Corrigat ipse lector cum De Komorowo *Memoriale* p. 94-94.

ubi observat Sbaralea, quod Moravia et Polonia erant *tunc* duae Custodiae Provinciae Bohemiae.

Doch wir eilen zum zweiten Einwande: *Widerspruch mit der Ablasspraxis.* Das Laterankonzil vom Iahre 1215 hatte allerdings den Bischöfen vorgeschrieben, bei Kirchenkonsekrationen und Anniversarien sparsamer mit der Ablassverleihung umzugehen, da der Papst bei dieser Gelegenheit « moderamen consuevit observare ». Ich will gar nicht betonen, dass dem Papste selbst damit die Hände nicht gebunden waren, sondern nur hinweisen auf die jedem Historiker bekannte Tatsache, dass die Beschlüsse mittelalterlicher Konzilien so tragisch nicht genommen werden dürfen, dass die Geschichte die Ausserachtlassung derselben in kürzester Zeit nach der Beschlussfassung, in Dutzenden von Fällen nachweisen kann. Vom genannten Laterankonzil selbst haben wir ja auch das Dekret, dass neue Orden nicht gegründet werden dürfen, und doch folgte bald darauf die Bestätigung mehrerer neuer Genossenschaften. Nicht richtig ist ferner, dass der vollkommene Ablass im 13. Jahrhundert auf die Kreuzfahrer beschränkt gewesen. Wir haben von Gregor IX. angefangen eine ganze Reihe von Fällen, wo vor dem Jahre 1300 vollkommene Ablässe auch den Inquisitoren und Kreuzpredigern verliehen worden sind (4), allerdings nicht für Kirchenbesuch allein, dafür kenne ich nur ein Beispiel, das alsbald besprochen werden wird.

(1) l. c. XXXV.
(2) Ibidem XXXVII; LXXXIII; XC.
(3) *Bull. Francisc.* I, 9. Die übrigen finden sich auf den Seiten 2 bis 26.
(4) *Bull. Francisc.* I, 233, 724. II, 360. III, 33, 153 etc.

Endlich macht man noch geltend, dass der *Jubiläumsablass* vom Jahre 1300 mit seinen schweren Bedingungen gar nicht begriffen werden könne, wenn schon vorher der Portiunkula-Ablass vorhanden war. Nun, dass er mehrere Dezennien vorher existierte, ist ausser Frage. Man vergisst dabei, wie es scheint, dass der Portiunkula-Ablass nur für einen Tag im Jahre Geltung hatte, während der Jubiläumsablass das ganze Jahr hindurch gewonnen werden konnte. Die Bedingungen waren allerdings ungleich schwerer. Allein wollte man darauf bestehen, so könnte mit dem gleichen Rechte gesagt werden: *Jetzt* gibt es so viele und so leicht zu gewinnende vollkommene Ablässe, und doch besteht der Jubiläumsablass weiter und lockt stets eine Menge Pilger nach Rom. Warum soll das, was jetzt möglich ist, vor 600 Jahren unmöglich gewesen sein?

Dazu kommt noch ein anderes von nicht zu unterschätzender Bedeutung. Bonifaz VIII widerrief am 23. Iuli 1296 den von Coelestin V. der Kirche S. Maria in Collemaggio gewährten vollkommenen Ablass, der alljährlich am 29. August zu gewinnen war ganz nach Art des Portiunkula-Ablasses, « da derartige Ablässe mehr zum Verderben als zum Heile der Seelen gereichen könnten, und er nicht wolle, dass die getäuschten Gläubigen sich vergeblich abmühten und mit Opfern und Ausgaben beschwerten » (1). Da liegt die Frage doch sehr nahe: Warum hat der Papst nicht auch den Portiunkula-Ablass aufgehoben, von dem er das nämliche hätte sagen können? Warum hat er sogar Minoriten beauftragt, den Widerruf des Coelestinschen Ablasses in Italien, speziell auch in Umbrien zu verkünden » (2). War der Ablass eine Mache der Spiritualen des ausgehenden Jahrhunderts, so musste sich Bonifaz, der wie kein anderer Papst vor ihm diese Zelanten verfolgte, eine Freude daraus machen, sie auch in diesem Punkte zu demütigen. Nun sehen wir ihn aber eine zustimmende Stellung zum Ablasse einnehmen, wie aus dem Schreiben des Bischofs Theobald von Assisi (3) deutlich hervorgeht. Theobald war ein Günstling des Papstes, wurde von ihm 1296 auf den Bischofsstuhl von Assisi transferiert. In der wenige Jahre nach dem Tode Bonifazens verfassten Urkunde, weist er darauf hin, dass der Ablass schon lange (tanto in tempore) von der römischen Kurie anerkannt sei. Bonifaz VIII. habe sogar Nuntien geschickt, die in seinem Auftrage am Ablasstage predigen mussten. So kann ein Bischot nicht schreiben zu einer Zeit, wo die Zeugen noch am Leben sind, wenn er nicht die Wahrheit bekennt (4).

Indes bleibt bei all dem die Tatsache bestehen, dass der Portiunkula-Ablass in der Geschichte des Ablasswesens eine ausserordentliche Stellung einnimmt. Allein diese Stellung ist eine ausserordentliche im Jahre 1296 ebenso wie im Jahre 1250 oder 1220. Und doch war der Ablass 1296 allgemein bekannt und selbst vom Papste, wenigstens stillschweigend, anerkannt. Freilich ist dadurch für die Echtheit des Ablasses nichts bewiesen, aber der Einwand aus der entgegengesetzten Ablasspraxis verliert doch an Gewicht. Auch das möchte ich noch hervorheben, dass alle Berichte übereinstimmend in dem Ablasse etwas Ungewöhnliches sehen. Man ist sich des Abweichenden von der Ablasspraxis völlig bewusst, während sonst bei derlei Erdichtungen handgreifliche und vom Fälscher nicht empfundene Anachronismen sofort auf die richtige Fährte führen.

(1) Siehe die beiden Bullen bei Sabatier CLXXXII.
(2) *Bull. Franc.* IV. 406.
(3) Sabatier LXIX seq.
(4) Nach *Bull. O. Fr. Praed.* II, 67 hätte sogar Bonifaz VIII. am 16. März 1303 den Portiunkula-Ablass auch der Dominikanerkirche zu Viterbo verliehen.

Der dritte und letzte Einwand scheint mir der bedeutendste, ja der einzige, der wirkliche Schwierigkeiten bietet: *das Schweigen der ältesten Biographen.* Zwar ist hier die grösste Vorsicht geboten; wie furchtbar man irre gehen kann mit nur negativen Beweisen, zeigen eben die Erörterungen über den Portiunkula-Ablass (1). Man verzeihe wir deswegen, wenn ich hier auf elementare Grundsätze der historischen Methode verweise. Die Gründe des Schweigens von Quellen können folgende sein: a) sie kennen das betreffende Factum wirklich nicht, oder b) sie halten es nicht für mitteilenswert oder c) sie haben es absichtlich verschwiegen. Erst wenn diese möglichen Gründe des Schweigens *nachweislich* ausgeschlossen sind, hat das argumentum e silentio volle Beweiskraft (2). Wer also hier damit operieren will, dem obliegt die Beweispflicht, dass die ältesten Biographen, Thomas von Celano und Bonaventura, wirklich nicht mit Absicht über den Ablass geschwiegen haben, sondern unter allen Umständen etwas davon hätten berichten müssen, wenn sie ihn gekannt hätten. Wie will man diesen Beweis führen? Anderseits, wer die Schwierigkeit, die in diesem Schweigen liegt, aus dem Wege räumen will, muss es erklären, was sogleich versucht werden soll.

III.

Nach den bisherigen Erörterungen scheinen folgende Sätze festzustehen:

1. Nach glaubwürdigen Aussagen von Zeitgenossen hat der hl. Franziskus einen vollkommenen Ablass für die Portiunkula-Kirche vom Papste erbeten und erhalten.

2. Der Ablass war von Anfang an nicht so bekannt und besucht wie in der zweiten Hälfte des 13. Jahrhunderts.

Müssen sich nun diese beiden Sätze gegenseitig ausschliessen, wie man gemeint hat? Ist nicht eine Combination möglich, die beiden Tatsachen gerecht wird? Auffallen muss es schon, dass alle späteren Zeugnisse, echte wie unechte, immer nur davon sprechen, dass der Ablass vom hl. Franziskus erwirkt worden ist, niemals aber, dass er auch tatsächlich frequentiert wurde, weder zu Lebzeiten des Heiligen noch während der ersten Jahrzehnte nach seinem Tode. Es müssen demnach Ursachen wirksam gewesen sein, die der Ausbreitung des Ablasses wenigstens anfangs hindernd in den Weg traten. Beim Suchen nach diesen Ursachen sind wir einstweilen auf Vermutungen angewiesen. Ich möchte nun folgende Lösung zur Diskussion stellen: der Papst gewährte den Ablass, allerdings erst nach längerem Sträuben. Wie aus den späteren Quellen zu entnehmen, waren die Cardinäle entschiedene Gegner desselben, desgleichen die Bischöfe der Umgegend. « Secutum est illud miraculum inauditum, scilicet quod, « *cum episcopi oppositum vellent dicere et crederent dixisse,* omnes ut « beatus Franciscus sunt locuti » schreibt Bartholomaeus von Pisa (3). Schon vor ihm sagt ein anderer sehr legendarisch ausgeschmückter Bericht (4): « Audientes vero episcopi indignati sunt et scandalum passi « sunt de hoc, quod dixerat beatus Franciscus atque dixerunt: Licet do« minus papa mandaverit nobis quod sequeremur circa hoc (5) voluntatem

(1) Ich greife nur ein Beispiel heraus. In einem Breve Nikolaus IV, 14. Mai 1288, ist vom Zulaufe der Brüder nach Portiunkula die Rede, « ob ipsius Sancti reverentiam ». Der Ablass wird nicht erwähnt, also — so lautete der Schluss — existierte er damals noch nicht!

(2) E. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode*, 4. Aufl., Leipzig 1903, 498.

(3) *Anal. Francisc.* IV, 473.

(4) Sabatier, LXXXVI.

(5) Ist wohl die Consecration des Portiuncula-Kirchleins gemeint.

« tuam, non fuit suae opinionis, quod sequeremur in hoc quod congruum « non est. Unde denuntiemus indulgentiam decem annorum ». Das Ende ist auch hier wie bei Pisanus ein Wunder: die Bischöfe verkünden trotzdem gegen ihren Willen den vollkommenen Ablass. Nehmen wir nun das in keiner Weise verbürgte Wunder hinweg, so bleibt der nackte Widerstand der Bischöfe, die aus begreiflichen Gründen einen solchen ausserordentlichen Gnadenerweis für das unbedeutende Kirchlein nicht wünschten und ihrer Meinung entschieden Ansdruck gaben, um so mehr, da sie zweifellos die Stimmung an der Curie kannten. Es entsprach nun ganz dem Wesen des hl. Franziskus, dass er aus Ehrfurcht vor dem Priestertume schwieg. Er war keine Kampfnatur und gab hier wie in anderen Punkten nach. Dass er es gerne tat, ist damit nicht gesagt; es mag ihn geschmerzt haben wie vieles andere, das er mit ansehen musste und nicht ändern konnte. Er wird mit seinen vertrauten Gefährten auch von dieser Enttäuschung gesprochen haben, wie von den übrigen « secreta ordinis ». Er wird sie vertröstet haben auf eine bessere Zukunft und sie bis dahin zur geduldigen Unterwerfung ermahnt haben. Das schliesst nicht aus, dass die wenigen mitwissenden Brüder oder Weltleute sich den nun einmal gewährten Ablass zu Nutze machten, nur dürfen wir an eine erhebliche Ausdehnung nicht denken. Mit der Zeit wuchs aber der Kreis der Wissenden doch stetig und damit die Frequenz des Ablasses, aber auch der Widerspruch der Gegner. Da hielten es die noch lebenden Brüder, welche sichere Kenntnis hatten, für angezeigt, authentisches Zeugnis abzulegen. Sie brauchten jetzt nicht mehr den Widerspruch der Curie zu fürchten, die dem Orden sehr günstig gesinnt war, noch auch die Feindseligkeiten der Bischöfe, wenigstens nicht der zunächst interessierten Bischöfe von Assisi, die seit längerer Zeit selbst Franziskaner waren (1).

Mit dieser Hypothese, meine ich, wäre auch das Schweigen der Biographen vollauf erklärt. Doch schmeichle ich mir keineswegs, damit die einzig richtige Lösung gegeben zu haben. Ich hoffe vielmehr, dass neue Funde, wie sie gerade in den letzten Dezennien auf dem Gebiete der ältesten Ordensgeschichte so oft gemacht worden sind, volle Klärung in die Frage bringen (2). Einstweilen mahnt schon der Umstand zur Vorsicht, dass auch die viel besser beglaubigte Stigmatisation des Heiligen vom 13. Jahrhundert an bis ins 19. herein bekämpft worden ist, und doch heute von allen ernsten Historikern als Tatsache hingenommen wird, mag man auch in ihrer Erklärung noch so weit auseinander gehen. Auch daran sei erinnert, dass noch vor 20 Iahren in wissenschaftlichen Kreisen ziemlich allgemein die Ansicht herrschte, dass der hl. Franziskus keine eigene Regel für den III. Orden geschrieben, eine Ansicht, die jetzt ebenfalls als irrtümlich aufgegeben wird. Um dieselbe Zeit wurde auch geschrieben: « Ueber die angebliche Begegnung und Freundschaft des hl. Franz mit dem hl. Dominicus ist kein Wort mehr zu verlieren, da sie definitiv abgetan ist ». Und heute?

München den 29. August 1907.

P. Heribert Holzapfel, O. F. m.
Dr. Theologiae.

(1) Nicolaus von Curbio 1250-73. Illuminatus von Chieti 1273-81. — Vgl. Eubel. *Röm. Quart. Schr.* IV. 209. 224. — Eubel, *Hierachia cath. medii aevi I, 114.*

(2) Vgl. die in einem Kataloge vom Jahre 1375 aufgefundene Notitz, Sabatier 203: Plures epistolae fr. *Bonaventurae* de evangelica paupertate, *de indulgentia b. Mariae de Portiuncula* etc. — Und *Kirsch* 40 Anm., wo von einem noch nicht wieder auf gefundenen Zeugnisse *Bernards von Bessa*, des Secretärs Bonaventuras, die Rede ist.

DE ULTIMA MUTATIONE OFFICII S. FRANCISCI.

Notum est primam antiphonam primi Nocturni in Officio S. Francisci a Fr. Juliano de Spiris composito mutatam esse in comitiis generalibus Narbonae a. 1260 habitis: « *In illa antiphona beati Francisci, quae sic incipit: Hic vir in vanitatibus nutritus indecenter, fiat talis mutatio: Divinis charismatibus praeventus est clementer* (1) ». Dum igitur usque ad annum 1260 cantabatur:

Hic vir in vanitatibus
Nutritus indecenter,
Plus suis nutritoribus
Se gessit insolenter;

a tempore autem Capituli Narbonensis illa antiphona sic sonabat:

Hic vir in vanitatibus
Nutritus indecenter,
Divinis charismatibus
Praeventus est clementer.

Postea vero haec antiphona ita mutata est, ut vel vestigium genuini sensus Juliani Spirensis in ipsa frustra quaeramus:

Hic vir de vanitatibus
Dum cogitat frequenter,
Divinis charismatibus
Praeventus est clementer.

Diligentissimus atque optime meritus huius rei explorator, P. Hilarinus Felder O. Cap. (2) tempus, quo ultima haec immutatio unacum illa duarum subsequentium antiphonarum facta sit, determinare non potuit; scribit enim: « Quamdiu omnes rami Ordinis Minoritici officium rhythmicum Juliani Spirensis retinuerunt, redactio S. Bonaventurae [scil. illa a. 1260 facta] integra servata est. Anno 1743 PP. Conventuales, et anno 1791 etiam PP. Capucini pro historiis Julianeis S. Francisci et S. Antonii alia officia assumpserunt. PP. Observantes antiquum illud artis opus retinuerunt, delerunt vero tres antiphonas primi Nocturni. Qua editione Breviarii infelix illa textus mutatio — melodiae

(1) S. Bonaventurae *Opera Omnia* ed. ad Claras Aquas VIII. 465; Ehrle, *Archiv. f. Litteratur-und Kirchengeschichte* VI. 35.

(2) *Die liturgischen Reimofficien auf die heiligen Franciscus und Antonius gedichtet und componieret durch Fr. Julian von Speier* († *c. 1250*) *in moderner Choralschrift mit kritischer Abhandlung und 10 phototypischen Tafeln erstmals herausgegeben* von P. Hilarin Felder O. M. Cap. Dr. und Lector theol. (Freiburg, Schweiz Universitaets-Buchhandlung B. Veit 1901).

enim chorales jam a tempore immemorabili sepultae erant — primum facta sit et qua de causa, reperire nequivi » (1).

Hanc incertitudinem P. Felder auferre possumus et statim dicemus illam ultimam infelicem mutationem primum anno 1785 comparuisse. *Breviarium Romanum.... officiis trium Ordinum S. P. Francisci propriae stationi assignatis, aliisque novissimis adauctum, Venetiis MDCCLXXVI,* 4", *de mandato Reverendissimi P. Ministri Generalis* editum, pp. 1069, praebet antiphonas illas ea forma quam post comitia Narbonensia habebant. *Breviarium* vero *Romanum... Officiis trium Ord. S. P. N. Francisci propriae stationi assignatis, et novo Kalendario, novisque Rubricis, Lectionibus, Orationibus etc. a. SS. D. N. Pio Papa Sexto approbatis, locupletatum, ac Rmi P. Paschalis a Varisio, totius Ord. FF. Minorum ex electis secundum Regulam Ministri Gen. XC., Commissarii, et Visitat. Apost. solicitudine nuper impressum.* Romae, Salvioni MDCCLXXXV. 4", pp. 1042, illas antiphonas primum forma hodierna ostendit. Ut melius conspiciatur differentia, vel si mavis momentum trinae redactionis, hic illam iuxtaponam:

Red. Julian. iuxta Felder p. III.	Capit. gen. 1260.	Editio Brev. 1785.
Ant. I. Hic vir in vanitatibus Nutritus indecenter, Plus suis nutritoribus Se gessit insolenter.	Hic vir in vanitatibus Nutritus indecenter, Divinis charismatibus Praeventus est clementer.	Hic vir de vanitatibus Dum cogitat frequenter, Divinis charismatibus Praeventus est clementer.
Ant. II. Excelsi dextrae gratia Mirifice mutatus, Dat lapsis spem de venia Cum Christo jam beatus.		Excelsi dextrae gratia In dies confortatus, Coeli suspirat praemia, Quae tenet nunc beatus.
Ant. III. Mansuescit sed non penitus In primos (2) per languores Qui captis armis coelitus, Ad plenum mutat mores.		Edoctus autem coelitus Per visum, per languores, Mundi contemnit penitus Thesauros et honores.

Occasionem, qua haec mutatio introducta est modo generali nobis refert Breve Pii VI, *Religiosos Ordines,* datum Romae die VI Septembris 1785, et editioni Breviarii supradicti ex a. 1785 et omnibus fere posterioribus editionibus Breviarii et Missalis Romano-Seraphici praefixum. Ex hoc Brevi desumimus ea quae sequuntur: « Cum Nos alias *precibus*

---

(1) « Die Redaction des hl. Bonaventura erhielt sich unverändert, solange alle Zweige des Minoritenordens das Reimofficium des grossen Teutonen beibehielten. Im Jahre 1743 tauschten die PP. Conventualen und anno 1791 auch die PP. Capuciner für die Julianischen Franciscus-und Antoniushistorien andere Officien ein, zu unserem grössten Bedauern. Die PP. Observanten bewahrten das alte Kunstwerk, stürzten aber die drei Antiphonen des I. Nocturnus. In welcher Brevierausgabe die unglückliche Textänderung — denn die Choralmelodieen waren seit undenklichen Zeiten schon begraben — zuerst vorgenommen wurde und welches die Veranlassung dazu, war mir nicht erfindlich ». Felder l. c. p. 68-69. P. Ferdinand-Marie d'Araules O. F. M. *La Vie de S. Antoine par Jean Rigauld, publiée pour la première fois d'après un MS. de la Bibliothèque de Bordeaux.* Bordeaux et Brives. 1899. p. 168 exhibet antiphonas primi Nocturni iuxta Breviarium anni 1680, adiiciens eas saeculorum decursu mutationes aliquas subiisse. Cfr. etiam J. E. Weis Dr. Phil. *Julian von Speier* († *1285*). *Forschungen zur Franziskus und Antoniuskritik zür Geschichte der Reimoffizien und des Chorals. (München, Lentner'sche Buchhandlung E. Stahl 1900)* p. 20, quem mutatio secundae et tertiae antiphonae primi Nocturni fugisse videtur.

(2) Felder hunc textum affert p. 112, et p. XIX, dum p. VI. in *facsimili* iuxta Codicem Rosenthal f. 282 r. habetur *imprimis,* sicut etiam apud *Weis* l. c. p. 20, et in alio eiusdem opusculo: *Die Choräle Julian's von Speier zu den Reimofficien des Franziscus und Antoniusfestes.* (München 1901) p. V.

dilecti filii *Paschalis a Varisio* totius Ordinis Minorum Sancti Francisci *Ministri Generalis* Nobis humiliter *porrectis* annuentes, et editio Breviarii, Diurni, Missalis, et Martyrologii Romano-Seraphici, denuo facienda iuxta Kalendarium dicti Ordinis Anno 1781 correctum.... et approbatum, cumulate perfecta foret; dilectos filios Nostros Antonium Eugenium Vicecomitem, Joannem Archintum, et Gregorium Salviati S. R. E. Cardinales in *revisores* dictorum operum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, ad hoc ut ipsi, et eorum singuli, si quae in dictis operibus *moderanda, immutanda,* et *corrigenda,* seu etiam *expungenda* reperissent, juxta datam ipsis a Domino prudentiam *moderarentur, immutarent, corrigerent* et *expungerent,* deputaverimus, et quum priusquam operi manus imponeretur, memoratus Gregorius Cardinalis Salviati aliis curis distentus correctioni, et moderationi hujusmodi incumbere haud posset, in ejus locum dilectum itidem filium Nostrum Ioannem Carolum S. R. E. Cardinalem Boschi nuncupatum suffecerimus, semel, ac iterum, die nempe septima Septembris anni 1784, et duodecima Maji currentis anni [1785], memorati Cardinales Boschi, Vicecomes,et Archinto simul convenerunt, collatisque consiliis, imprimi posse statuerunt cum Breviarium, Diurnum et Missale, tum Martyrologium, quod Romano-Seraphicum appellatur, *his tamen expunctis, moderatis, immutatis, atque correctis,* quae longo, maturoque labore, ac diligentia, praemisso examine, *immutanda, moderanda, corrigenda, aut etiam expungenda* tunc censuerunt ».

Anno igitur 1784, rogante Ministro generali Ordinis, a Pio VI. revisio librorum liturgicorum Ordinis tribus Cardinalibus commissa est. Ex parte vero Ordinis Flaminius Annibali de Latera, Provinciae Romanae alumnus, notissimus cum aliorum operum, tum praesertim *Supplementi ad Bullarium Franciscanum* (Romae 1780) auctor, jussus est novas praeparare editiones. Hoc liquet ex decreto S. R. Congregationis, dato 22 dec. 1784, quo Pius VI « ad humillimas preces Patris Fratris Flaminii de Latera Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, specialiter a Ministro Generali praepositi constructioni et novae editioni Breviarii et Missalis Romani Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci » dispensat Religiosos omnes dicto Breviario utentes a recitatione lectionum propriarum secundi nocturni Dedicationis Ecclesiae S. Francisci Civitatis Assisii (1). Laborum Flaminii Cardinaliumque revisionis fructus est Breviarium a. 1785 editum. Cum autem illi Cardinales plenam facultatem habuissent expungendi et moderandi, et ipse Flaminius officio Julianeo, uti statim dicemus, non favisset, mirum non est eos verba de Legendis Thomae de Celano et ipsius Juliani deprompta atque in mente piorum posterorum quodammodo scandalosa, imo in tanto Sancto inintelligibilia suppressisse et magis devotioni apta subdidisse. Ex eadem praeoccupatione egerat Capitulum generale anni 1260 et parum post S. Bonaventura in suis Legendis (2).

(1) Citatum decretum insertum est editioni speciali *Proprii Sanctorum Ordinis* (Romae, Junchi 1787) p. III.

(2) Idem accidit S. Dominico. Capitulum enim generale O. Praedicatorum, Bononiae a. 1242 habitum, statuit: « Item monemus et volumus, quod abradatur de Legenda beati Dominici [a Fr. Jordano primo S. Dominici successore conscripta] ubi semetipsum asserit, licet in carnis integritate divina gratia conservatum, nondum illam imperfectionem evadere potuisse quin magis afficeretur juvencularum colloquiis quam affatibus vetularum ». cfr. *Acta SS.* Aug. I. 359, *Monumenta Ord. Frat. Praed. historica III: Acta Capitulorum generalium I. recensuit* Fr. B. M. Reichert O. P. (Romae, 1898) p. 24.

Ex citatis Brevibus et editione Breviarii a. 1785 videmus pariter correctione aliqua indigere sententiam P. Felder scilicet redactionem Narbonensem integram remansisse quamdiu omnes rami illud Juliani officium retinuerunt; dum enim PP. Capucini a. 1791 novum officium assumunt, « Observantes » jam a. 1785 officium mutatum habebant.

Magis a vero deflectere mihi videtur P. Felder asserens l. c. p. 69 saeculo 18 ad finem vergente, melodias Julianeas a tempore immemorabili sepultas fuisse. Quidquid id fuerit apud PP. Conventuales et PP. Capucinos, certum est FF. Minores melodias Julianeas usque ad illud tempus semper conservasse, et ad hoc probandum sufficit inspexisse eorum codices chorales, qui variis saeculis conscripti cum textu Iuliani *semper* et eius melodias continent. Hic commemoro solos Codices Aracaeli, Romae (saec. 16), S. Mariae Angelorum, Assisii (saec. 16) S. Michaelis, Venetiis (saec. 17), vel hodie usui Chori inservientes. Adeo floruerunt melodiae Julianeae apud nostrates, ut eaedem adaptarentur aliis officiis rhythmicis uti S. Clarae, S. Ludovici Episcopi, S. Petri de Alcantara, S. Paschalis Baylon, imo SS. Trinitatis (1). Specimina melodiarum Fr. Juliani inveniuntur etiam in variis manualibus sive liturgicis sive methodicis saeculis 17 et 18 typis editis. Ita: P. Giovanni d' Avella, Min. Oss. *Regole di Musica, divise in cinque trattati,* Roma, T. Moneta, 1657. p. 93, 95, 100-101 et passim; P. Antonio Martin y Coll (O. F. M.) *Arte de Canto llano,* Madrid 1714, pp. 90-104 (antiphonae pro utrisque Vesperis et Laudibus S. Francisci); *Manuale seu Processionarium Ord. FF. Min...* authore Fr. Martino Ruiz, eiusdem Ordinis et almae Provinciae Castellae, filio, Matritii, E. Martin, 1777, pp. 137-143 (tres hymni et Salve sancte Pater).

Sed neque fratres Minores de Observantia olim nuncupati, officium Juliani in posterum retinuerunt (2). Nam mox post revisionem a. 1784-1785 factam, prodierunt *Officia Novissima aliquorum Sanctorum Ordinis Minorum ex concessione SS. D. N. Pii Papae VI, ab universis, qui Breviario eiusdem Ordinis utuntur in locum antiquorum recitanda, a sacra Rituum Congregatione revisa et approbata.* Edita sunt haec nova officia per modum supplementi Breviario adjuncti. In fine huius supplementi habetur *Decretum pro licita recitatione horum quae in Suplemento continentur,* « datum die 21 Novembris 1793 », ad humillimas preces *P. Fr. Bonaventurae a Placentia* (3) Commissarii generalis Ordinis Minorum S. Francisci ». Jamvero in hoc supplemento suppressa sunt officia Julianea tum S. Antonii Patavini, tum S. Francisci. Auctor suppressionis antiquorum et introductionis novorum officiorum erat iterum Flaminius de Latera. Id videtur ex Codice, quem D. Perpetuus

(1) Hoc oretenus mecum communicavit R. P. Eusebius Clop. O. F. M., qui ad edendum cum notis musicis *Proprium Sanctorum totius Ordinis Frat. Min.* (Romae Desclée, Lefebvre 1903), majores Europae Bibliothecas visitavit, uti scribit in Prologo ad opus citatum. Specimina praesertim hymnorum tali modo adaptatorum idem auctor anonyme edidit in libro cui titulus: *Cantus varii in usu apud Nostrates ab origine Ordinis.* Romae, Desclée, Lefebvre 1902. — Imitationes *litterarias* Iuliani Spirensis plures invenies citatas ap. Weis, *Julian von Speier* pp. 84-102.

(2) Et Felder, et Weis hoc factum ignorant.

(3) P. Bonaventura a Placentia erat Commissarius generalis pro familia cismontana 1792-1796. Cfr. P. Marie-Léon Patrem, *Tableau synoptique de l'histoire de tout l'Ordre Séraphique de 1208 à 1878* (Paris 1879) p. 86. Utrum officium S. Francisci a praedicto Commissario obtentum fuerit toti Ordini injunctum, vel tantum familiae cismontanae nescio, cum tot editiones Breviarii mihi praesto non sint.

Guasco de Solerio O. F. M. Provinciae Seraphicae, Delegatus Apostolicus Aegypti, uti Novitius (!) ad correctionem Breviarii fine saeculi 18 vel initio 19 conscripsit (1). Ad diem enim 13 jun. notat p. 27: « In festo S. Antonii Patavini Omn. prout disposita erant a Flaminio, sublato off° antiquo... ut in recenti Brev° ». Antiphonae, versiculi et responsoria trium Nocturnorum officii S. Francisci ex a. 1793 sunt ea ipsa, quae ab anno tantum 1872 (2) recitantur in officio Inventionis Corporis S. Francisci, (12 Dec.), quod festum Leo XII. iam die 22 iun. 1824 concesserat. Recitatur quoque in festo Translationis S. Patris (25 Maii). Decursu saeculi 19 iterum officia antiqua Julianea S. Antonii et S. Francisci resumpta sunt. Iam *Breviarium Rom. officiis trium Ordinum S. P. N. Francisci propriae stationi assignatis... ac Rmi P. Joannis a Capistrano* [Min. Gen. 1824-1830] *solicitudine impressum Bononiae* MDCCCXXX, exhibet officium Julianeum S. Antonii et illud S. Francisci in forma Breviarii anni 1785.

Romae, e Collegio S. Antonii 20 Oct. 1907.

P. LIVARIUS OLIGER, O. F. M.

---

(1) In praefatione scripta diu post ipsum Codicem, qui nunc est penes R. P. Paschalem Brugnani O. F. M., Procuratoris gen. Ordinis Secretarium, legitur: « Dacche essendo, per così dire, entrato appena in Religione in tempo appunto, in cui si cominciava ad aprir la strada alla Riforma degli uffizj antichi, io, che più d'ogni altro... ero portato a detta novità, mi misi a metter assieme Lezioni ecc... Entrato poi in Teologia dopo il Noviziato, e la Filosofia, e molto più fatto Lettore Filosofo in Orvieto, andavo meditando di abbrucciar il presente Libro, o almenọ dar altra forma alle espressioni troppo elevate; ma poi non avendo tempo di trascriverlo, ed aliunde non stimando bene di disfarmi di tanti bei Sermoni ed Omelie, massime dopoche m'entrò in capo di venir Missionario in Oriente, l'ho meco tenuto tal quale, guardingo, che non venisse alle mani di alcuno »...

(2) Cf. *Acta Minorum*, 1886. 113.

DE HISTORIA "VIAE CRUCIS"

(EXAMEN CRITICUM).

Postquam R. P. Herbertus Thurston, eruditus Iesuita anglus, in periodico *The Month* (1) aliquot articulos de *Via Crucis* publicavit, eosdemque auctos atque correctos in librum collegit (2), cl. A. Boudinhon hoc opus in linguam gallicam vertit, adiectis hinc inde paucis animadversionibus (3).

Quoniam doctus auctor agit de historia *Viae Crucis*, nemo erit, quin intellegat Fratrum Minorum maxime interesse, quid inibi secundum critices regulas stabiliatur vel in medium producatur, quidve novi de illa devotione, qua prae caeteris Fratres Minores gloriantur, ibi pandatur. Auctor pluribus studiis praecipue in Anglia, et ubi lingua Anglica utuntur, nomen sibi acquisivit, cui novum hoc opus non derogabit. Qua auctor pollet scientia antiquorum librorum, quos vel populus pius praediligebat olim, vel quos inter artis typographicae primos productus atque fructus admirati computamus, hanc quoque in opusculo isto demonstrat, lateque explicat. Non defuere equidem innumeri libri, qui stylo populari, uti aiunt, et ad magis confovendam pietatem de exercitio Viae Crucis tractabant, pauca admodum, iisque vel nimium summariis vel falsis, de historia eiusdem praemittentes. Duo sola studia scientifica de hac materia laudat P. H. Thurston: illa cl. v. Dr. Nicolai Paulus (4) ac Dr. P. W. von Keppler (5) tunc professoris universitatis Tubingensis, nunc episcopi Rottenburgensis.

Tametsi titulus, quo inscribitur versio gallica, paululum differat a titulo anglici operis, quilibet videt ad quaestiones multimodas hac cum materia connexas, undequaque penitus illustrandas et dirimendas opus esse quam diversissimis inquisitionibus, cum archeologicis ac topographicis, tum historicis atque canonisticis. Huiusmodi enim generum difficultates huc convergere possunt, quae rem intricatissimam

(1) *London, Burns an Oates* t. CVII. (1906) *July till Sept.*

(2) *The Stations of the Cross. An account of their History and devotional purpose.* London 1906, in-8. VII, et 188 pp. (Londini, apud eundem bibliopolam).

(3) *Etude historique sur le Chemin de la Croix par le R. P. Herbert Thurston S. I. ornée de nombreuses illustrations, traduction française autorisée, par A. Boudinhon* Paris, Letouzey et Ané, 1907. in-12. VII, et 286 pag. — *Boudinhon* statim articulos P. Thurstonii compegerat in *Revue du clergé français* t. XXVIII. 449 ss.

(4) Dr. Nic. Paulus hac de re egerat in periodico: *Der Katholik, Mainz.* 1895, t, I. (April).

(5) Dr. P. W. von Keppler, *Die XIV Stationem des heiligen Kreuzwegs nach Compositionem der Malerschule des Klosters Beuron. Mit einleitendem und erklärendem Text. Freiburg i. Br., Herder*, 1904. IV. editio 1904. in fol. IV. 78. pp. cum tabulis heliographicis. *Textus* etiam seorsim prodierat ibidem, 1891. gr. in-8. IV. et 68 pp. Explicat nempe hic Illustrissimus auctor Viam Crucis a PP. Benedictinis monasterii Beuronensis stylo proprio iam ubique noto, archaïstico scil. pictam.

reddunt, quamquam non omnes necessaria coniunctione cum *Via Crucis* connectantur. Non videtur auctori erudito in animo fuisse, omnes eadem amplitudine explicare et indagare. Disquisitiones topographicas non neglexit, sed nec separatim nec extense eas proponit (cf. p. 144 seqq.) ita ut quidam, qui illas fundamentales totius operis ac rei ipsius, scilicet *Viae Crucis,* opinantur, auctorem hic nimis sobrium fuisse doleant. Vix strictim attingit canonisticam partem, ita ut longe absit ut hoc opus pii manuductorii vices adimpleat, licet auctor et titulo nativo anglico et praefatione plane profiteatur, se ad pietatem quoque promovendam calamum arripuisse, imo se sperare, fore, ut piae animae libro suo usuri sint pro lectura spirituali per Quadragesimam (p. V.). Fatetur etiam in praefatione, se nondum capacem fuisse opinionis certae de indulgentiis Terrae Sanctae sibi efformandae, ideoque sibi in votis esse, ut quidam hoc accuratius perscrutaturus sit. Quorum autem hoc sit, quosque prae caeteris hoc commoveat necesse est, non est qui ignorat. Commoveat ergo nostrates in Palaestina degentes ad thesauros illos non solum Terrae Sanctae, sed etiam quodammodo totius christianitatis effodiendos e tabellariis antiquis, ex omni parte iure canonico et documentis stipandos! Plures notitiae hac de re congestae, indolem libri piam proculdubio clarius ostendissent; proinde dubitandum videtur, num votum illud fidelibus piis inserviendi unquam locum obtenturus sit, cum quae istis arrident quasi ubique deficiant et non nisi in capitulo VII (p. 208-240), inveniantur, ita tamen, ut si respicias monumenta pietatis inexhausta, quae in Via Crucis latent, hoc argumentum solummodo quasi e longinquo ab auctore salutetur. Caeterum constat animas seu potius homines istius generis vix aedificari disquisitionibus, quae criticam artem sapiunt. His ergo atque illis simul placere difficilimum erit semper.

I.

Prope ergo ad librum ipsum accedentibus nobis occurrit primum capitulum, quod auctor vage inscribit: *de veneratione Sacrorum Locorum,* Ierusalem scilicet. Hanc venerationem summam obtinuisse, ne furiosus quidem sophista negabit, quidquid sit de sententia, quam auctor praefigit huic parti: omnes devotiones pias populares magis originem duxisse ex studio imitandi aliquid, quam ex intima pietatis spontanea evolutione. Transitur statim ad exempla quaedam Occidentis, quae Loca Sancta Orientis plus minusve imitabantur: sicuti S. Petronius fecit Bononiae, saeculo, ut videtur, V (p. 10), anno 1393 duo Augustiniani Fabriani (p. 14), paulo post sed ante an. 1420. Alvarus de Corduba O. P. quem breviarium sui ordinis auctorem Viae Crucis asserit (p. 17), atque B. Eustochium O. Clariss. Messinae († 1491). (1). Attamen minime constat, imo valde dubium est, quid et quomodo et quantum *Viae Crucis* proprie dictae hi imitati sint. Porro minime fas est, quae ipsi fecerunt, cum *Via Crucis* simpliciter identificare. — Minoris adhuc pretii sunt ad rem historice investigandam visiones quaedam, secundum quas ipsa B. M. Virgo hanc piam praxin induxerit, cuius postea an Christiani primi adeo prorsus obliti fuissent, dubitandum foret vehementer, quantumvis iam saeculo quinto, in recen-

(1) De ea cf. Waddingus, *Annales Minorum* ad an 1491.

sione syriaca libelli cuiusdam apocryphi, tales peregrinationes, a Via Crucis hodierna tamen penitus dissimiles, narrentur (1).

Maiorem admirationem movet auctor asserens Viam Crucis, ceu nomen aut vocem distinctam atque specialem, ignotam fuisse peregrinis Ierusalem visitantibus, eamque uti talem primum legi apud Philippum Brusserium Savonensem O. F. M. (1285-1291). Animadvertas quaeso peregrinos non nescivisse viam, quam dicimus S. Crucis, sed eam invisentes alia quoque plurima quae occurrebant venerati sunt insimul et sine ulla distinctione, saeculo VIII, atque subsequentibus ordinarie usque ad saeculum XVII (p. 29): v. gr. domum divitis opulonis (2), piscinam probaticam, « locum ubi beata Maria transivit ad scholas », domum Herodis ac Simonis Pharisei etc, ut plane intelligatur de Via Crucis distincte venerata et cognita illis decurrentibus saeculis actum non esse. Accedit, quod saeculo XIV, et XV, saltem peregrini post vigilias noctis apud S. Sepulchrum factas, mane ducibus Fratribus Minoribus illam viam sacram orantes visitabant, ex Ecclesia S. Sepulchri exeuntes et tunc ex ordine ad loca indicata se conferrebant; unde apparet eos tunc Viam Crucis *ex inverso* veneratos esse, incipientes a S. Sepulcro et lapidem in atrio ecclesiae osculantes (i. e. hodiernam IX stationem) finemque viae imponebant apud domos Pilati, Herodis atque Simonis. Exemplo sit Evagatorium Fr. Felicis Fabri O. Praed. turigensis, qui an. 1480 peregrinatus et in Palaestinam (3). Statim hinc deduces vocem *stationum* tunc minime sensu, uti aiunt technico, usurpatam fuisse ad loca particularia *Viae Crucis* et cum eis historice (non topographice tantummodo) connexa designanda, sive distinguenda ab aliis.

Primus, qui vocabulo *stationum* omnia illa loca, sive passionis, sive non, permixtim designavit, a P. Thurston fuisse creditur William Wey, anglus, qui et an. 1458 et 1472 peregrinus in Terram Sanctam abierat (4).

Anno D. 1506, Richard Gaylforde, Anglus et ipse, palaestinensem peregrinationem peragens, *septem stationes* enumeravit. Huius narrationem usurpavit 1517 tertius quidam Anglus Richard Torkington (p. 55), qui licet Gylfordium exscripserit tamen *stationes* ordine inverso, i. e. naturali non topographico, enumerat. Hinc evidens fieri, concludit R. P. Thurston, « *bonos* Franciscanos Hierosolymis circa

(1) P. 31 ss. *The departure of my Lady Mary from this world, translated from the syr. by Dr. Will. Wright*, in: *Iournal of Sacred Literature*, 1865. *April.* — Cf. Mommert, *Die Dormitio und das deutsche Grundstück auf dem traditionellen Sion.* Leipzig 1899 et demum Ioh. Niessen, *Panagia Kopuli bei Ephesus. Das neu endeckte Wohn-und Sterbehaus der hl. Jungfrau Maria.* Dülmen, 1906. in-8. VIII, 400 pp. cf. p. 1-192.

(2) Sic utique legendum est vice: *Dives epulonis.* (p. 74).

(3) Diffuse locos illius refert p. 33-60 secundum versionem anglicam celebris *Evagatorii* in: *Palestine Pilgrims' Text Society.* t. I. p. 505, ff. Cf. *Evagatorium in Terrae Sanctae, in Arabiae et Egypti peregrinationem ed. C. D. Harless Stuttgardiae, sumptibus Societatis litterariae Stuttgardiensis* 1843-1849, 3 vol. in-8. — *Eigentlich Beschreibung der hin und wiederfarth zu dem heiligen landt gen Ierusalem und further durch die grosse Wüsten, zu den heiligen Berge Horeb und Sinay.* Ulm 1556.

(4) P. 66 rs. Wey scil. dicit. « Loca sancta in *stationibus* Ierusalem », alibi vero: *Loca sancta in Monte Sion, Loca sancta in Bethleem* etc. Huius occasione fieri non potest, quin auctorem reprehendamus, quod saepius bibliographicas indicationes vel nimis strictim dederit vel perfecte neglexerit, id quod libro suo, secus valde erudito, neque ornamento neque fulcimento est.

an. 1517, nescio ob quam rationem, methodum suam commutasse et peregrinos ab hinc versus montem Calvariae, i. e. eandem directionem sequendo, quam Christus sumpserat dedudixisse (1) ». Non obstante quod dehinc in posterius vox *stationum* saepius adhiberetur, narrationes peregrinorum vel Franciscalium custodum Terrae Sanctae, inspicienti, dubium oriri non potest, quin etiam ipsae stationes magna varietate ac diversitate adhuc numerarentur vel ostenderentur in ipsa urbe sancta. Hoc solus catalogus personarum Christo sub cruce gementi occurrentium (p. 84 s.): nempe B. M. Virginis, Simonis, Cyrenensis, Veronicae atque piarum plorantium feminarum abunde demonstrat, qui ordine quam diversissimo describuntur.

II.

Non statim neque uno tentamine absolutae, perfectaeque *Stationes Viae Crucis* nobis apparent; sed ut formam, quam omnes nos hodiedum novimus, maximeque naturalem opinamur, attingerent, opus erat, ut percurrerent quaedam stadia praevia, quae demum in obiecta, numerumque nunc vigentem evolverentur.

Primum earum stadium censentur fuisse *septem Christi Casus,* devotio saeculo XV et XVI in Germaniae finibus satis popularis. Celeberrimum huius devotionis exemplar procul dubio *septem* illi *Casus* sunt, quos a. D. 1490 famosus in Germania sculptor, cui nomen Adam Krafft, Norembergae, in nobili Franconiae (nunc Bavariae) oppido, iubente ac sumptus ministrante cive locupleti Martino Ketzel, qui Hierosolyma inviserat, lapidi inculpsit et qui hodie adhuc conservantur. Themata ab Adamo Krafft expressa haec sunt secundum antiquas inscriptiones: Iesus matri occurrens, Simon Cyrenensis angariatur, piae Mulieres, Veronica, Iesus sub crucis pondere succumbens a Iudaeo cruciatur, Christus humi prostratus sub cruce, demum, a cruce depositus in sinu matris quiescit (2). Similes *Casus* erant Bam-

(1) P. 76. Sed neque nos scimus, cur cl. auctor, non sine levi ironiae notula, fratribus Minoribus plerumque epitheton adiciat: « *bonos Franciscanos* » eos vocitando. Cf. p. 76. 145. 150. 156. 184. — Quomodo probabit id quod p. 31 annotat: Franciscanos se quam primum se a peregrinis liberare et expedire voluisse. Quod postea dicit, ab hac epocha loca viae crucis non iam ordine inverso enumerari, erroneum est, et ideo conclusionem praetactam auctoris *latius* patere aestimamus; cf. Fr. Bonifacius Stephanus Ragusinus O. F. M. *Liber de perenni cultu Terrae Santae et de fructuosa eius peregrinatione*. Venetiis 1875. in-12. XX. et 320 pp. Auctor custos meritissimus Terrae Sanctae fuerat, 1551, 1560 et secundo 1564-1565, *Cf.* Girol. Golubovich O. F. M. *Serie cronologica dei Rmi Superiori di Terra Santa*. Gerusalemme 1898, 53 s. 54 s. Fr. Bonifacius l. c. p. 222-230 directione antiqua inversa *stationes* enumerat, scribens de peregrinis.

(2) Aliquas scenas reproducit auctor in frontispicio libri et pag. 89. Totam seriem VII casuum videsis phototypice expressam apud F. X. *Kraus, Geschichte der christlichen Kunst*. Bd. II. part. 1. *Freiburg Herder*, 1897. p. 308, seq. Hac occasione iuvat commemorare aliam seriem stationum eiusdem ferme epochae i. e. artis quam dicunt gothicae, quae sculpturae, a P. Thurstonio ommissae, suggestum ecclesiae in Villingen ornant. Ibi ex ordine haec figurantur: Pilatus manus lavat, 2. Veronica, 3. Christus crucem baiulat, adsunt quoque duo latrones, 4. Iesus cruci affigitur, 5. Crucifixus cum duobus latronibus, 6. e cruce deponitur, 7. sepulcro mandatur. Has quoque sculpturas invenies apud *F. X. Kraus l. c. II*. I. 309 qui easdem iam prius publicaverat in *Kunstdenkmäler des Grossherzogtums Baden* t. II. p. 119. tabula 15. Themata Villingensia scenas e toto passionis curriculo exprimunt. *Cl. Kraus* ibidem admonet esse quandam relationem inter talia themata et illa, quae tunc temporis pro meditatione commendabantur recitantibus officium divinum. Cf. *Barbiep de Montault, Traité d Iconographie,* t. II. p. 140.

bergae atque Lovanii, quos hac in urbe Petrus Sterckx (seu P. Potens) erigi fecit. Hi proxime accedebant ad Viam Crucis nostram, cum ibi fuerit: 1° Domus Pilati seu ubi Christus crucis damnatur, 2° primum cadit sub cruce, 3° Cyrenaeus cogitur crucem sufferre, 4° Veronica faciem Salvatoris abstergit, 5° Christus secundum cadit, 6° mulieres consolatur, 7° tertium sub cruce succumbit, 8° denique vestibus spoliatur.

Iam prius, saeculo XV artifices tales *Casus* seu stadia passionis Christi xylographice saepius delineaverant (1), et saeculo XVI pluribus in locis conspiciebantur. Sume v. g. columnas septem Rhodi existentes, quas imitatus est quidam Friburgi in Helvetia, quas postea Romanet Boffin Romanis *(in Romans)* in patria sua non solum imitatus est, verum etiam numero valde auxit, ita ut stationes Romanis aliquando 45, aliquando 37 stationes habuisse legantur (2). Has Leo papa X indulgentiis ditavit quemadmodum et alias stationes circa idem tempus in Tirolo erectas (3). Etiam Antverpiae *septem Casus* in horto Fratrum Minorum conspiciebantur, quos populus ac Fratres praesertim feria sexta venerabantur (4). Magna fama gaudet *Mons sacer*, quem apud Varallum scenis e passione dominica adornavit B. Bernardinus Caimis e Mediolano ortus, qui an. 1478 praeses et an. 1487-88 Custos Terrae Sanctae fuerat (5).

Quodsi auctor dictus coniiciat, plurimos fuisse libellos pios meditationum in Germania tam superiori quam inferiori valde vulgatos, qui singula momenta Passionis Dominicae perpendentes quasi spiritualem peregrinationem pio lectori offerre et depingere intendebant, hosque magnum elicuisse influxum, ut haec quoque imaginibus exprimeretur et ita Via Crucis perfectior ob oculos poneretur, prouti eam omnes nos impraesentiarum novimus, vix ei hac in re contradicere quis audebit. Fatendum est nihilominus, hanc partem operis lacunis adhuc laborare, ita ut novis inquisitionibus de huiusmodi libris opus adhuc sit, cum diffusissimi et in plures alias linguas versi fuerint (6).

---

(1) P. 102 ss. Schreiber, *Manuel de l'amateur de la gravure* n. 542. 644. 652. 654. 659. 685.

(2) P. 95 ss. Cf. *Ul. Chevalier, Bulletin d'histoire ecclésiastique des diocèses de Valence* etc. A. IV p. 58. ubi copiosam bibliographiam de ipsis invenies.

(3) *Regesta Leonis X. Pontif. Max. coll. et ed I. Hergenroether. Friburgi Brisg.* 1884-1891. n. 14237, 38 et 14627; priores duae habebant 15 stationes hic vero solummodo sex.

(4) Sanderus, *Chorographia Brabantica t. II. Frat. Min. Ant.* p. 7. seq. Adicimus huic operi; P. Steph. Schoutens *O. F. M. Geschiedenis van het voormalig Minderbroedersklooster van Antwerpen* 1446-1797. *Antwerpen* 1894. p. 261-68.

(5) P. 95-96. Girol. Golubovich, *Serie Cronol.* p. 32. et 34. Cf. Motta, *Il beato Bernardino Caimi.* Milano 1891.

(6) P. 107-109. unius tantum libri mentionem fecit, scil. illius qui inscribitur *Ghestelyck Pelgrimagie* Fratris Ioh. Pascha et quidem iuxta versionem anglicam c. 1630 s. l. (sine loco) publicatam: *The spiritual Pilgrimage of Hierusalem, contayninge three hundred and sixtie five days*, de quo libro sermo statim recurret. Revera, plures libri, etiam a fratribus minoribus compositi, hic nominandi forent, quorum omnium scopus erat ut animam pii meditantis docerent passionis Christi phases omnes sequi. Sic opera quaedam celeberrimi concionatoris ordinis nostri *Iohannis Brugman*, cf. *W. Moll, Iohannes Brugman en het godsdienstig leven onzer vaderen in de vijftiende eeuw Amsterdam* 1854. 2. vol. in-8. I.: XXII. 320 pp.: VIII. 426 pp. Cf. praesertim II. 330 seqq. Aliqua ex huius Fratris Minoris operibus praebet quoque: *P. Patritius Schlager, O. F. M. Beitraege zur Geschichte der Koelnischen Franziskaner Ordensprovinz in Mittelalter, Köln,* 1904. p. 206. ff. — Cf. quoque meditationes *anonymi* cuiusdam *Franciscani Antwerpiensis,* an. D. 1500. compositas, quas R. P. Steph. Schoutens

Memorandus nobis hic est libellus quidam, Antverpiae editus an. 1536 et denuo 1561, qui compositus dicitur a quodam « *Domino Bethlem* » : *(Heer Bethlem)*, et cuius titulus latine sic sonat: *Haec est devota meditatio de passione D. N.* (Iesu Christi) *de loco in locum progrediens, secundum veras mensuras a se invicem distant haec loca, ubi Christus passus est; figuris intelliges, quid pro nobis sustulit, adsuntque pulchrae orationes ad hoc adaptatae* (1).

Certe librum « *Domini Bethlem* » adhibuit Jan Pascha, (alias Iohannes van Paeschen), prior Fratrum Carmelitarum Mechliniae, pro opere suo, quod Lovanii publicavit an. 1563 inscriptum: *Peregrinatio spiritualis.* Pius Carmelita ibi describit peregrinationem inde a Lovanio in Ierusalem et in pristinum locum, Lovanium scilicet, reditum. Quod pium iter 365 dies durare censetur, ita ut cuilibet diei pars quaedam assignata sit et die 188' perveniatur ad montem Olivarum. Ibi pars nova incipit, nempe, ut ipse dicit: « prima oratio *longae* Viae Crucis, suntque numero quindecim (ait) cum fructu dicendae etiam extra peregrinationis tempus, praesertim feria sexta ». Quaelibet oratio sive statio dehinc diem unum occupat. Statio II est in domo Annae, III in loco, ubi Iesus illudebatur a militibus, et deinde meditatio fit de processu Iesu apud Pilatum. Ibi alia inscriptio interseritur huius tenoris: « Hic incipit *vera* (propria) Via Crucis in montem Calvariae versus ». Et quarta statio est: Christus crucis damnatur, V locus, ubi Iesu crux imponitur, VI matri suae B. V. obviam fit *et etiam* ubi sub cruce cecidit *secunda vice,* quia, addit auctor, post susceptam crucem 40 passus progrediens ceciderat; VII Cyreneus Christum adiuvat et etiam Christus *tertium* cadit, VIII Veronica eum abstergit; Iesu *quartum* in terram detruditur; IX Cristus plorantes mulieres alloquitur, X alius Christi casus; XI vestibus exuitur XII cruci clavibus affigitur, XIII moritur in cruce; XIV e cruce deponitur, XV sepulcro clauditur.

Comparanti tibi hanc stationum seriem cum moderna nostra apparebit statim, inter Viam Crucis proprie sumptam Ioh Paschae et

---

O. F. M. iam laudatus, nuperrime vulgavit sub titulo: *Indica mihi, Handschrift der XV. eeuw in het licht gegeven door P. Fr. St. Sch.* Hoochstraten 1906. in-24. VI. et 184. pp.

(1) *Dit is een devote meditacie op die passie ons liep heeren ende van plaetse tot plaetsen die mate geset, daer onse lieve heere voor ons gheleden heeft met die figuren, ende met schone oratien daer op dienende.... Antwerpen.* In appendice 7. p. 267-271. Cl. P. Thurston, qui dum opus suum typis mandabatur ulterius has quaestiones indagaverat, putat librum « *Domini Bethlem* » iam compositum fuisse 1471-1490 atque forsitan esse versionem libelli *italici,* a Bartholomaeo canonico civitatis Polae in Istria conscripti, qui liber Aesii anno 1475 prodiit hoc sub titulo: *Queste sono le perdonanzze de tera sancta in ierusalem lequelle scrise prete bartolome, chanonicho in puola, el quale ando a vixitare lo sancto sepulchro.* Conicit illum *Heer Bethlem* corruptum fuisse e « *domino Bartolome* ». Grato animo hic adiungimus, quae de aliis editionibus huius libri in lingua flandrica impressis, nobis cl. P. Bonav. Kruitwagen. O. F. M. excerpsit e W. Nijhoff, *Bibliographie de la typographie néerlandaise des années 1500 à 1540.* La Haye 1901 ss. *(Feuilles provisoires).* I. Antverpiae, W. Vorstermann, 12 oct. 1518. (Nijhoff nº 1492). II. Ibidem, ap. eundem, 12 oct. 1518. *Alia editio* (Nijh. nº 449. cf. nº 1492, 1078). III. Ibid. ap. eund. 12 oct. 1518. Tertia editio. Nijh. 1078. IV. Delft. C. Lettersnyder. 1520 (Nijh. nº 423). V. Antverp. W. Vorstermann s. a. [c. 1525]. (Nijh. nº 421). VI. Leiden, J. Severszoon s. a. [post 1518], Nijh. nº 1390. Libellus *Domini Betlhem* integer publicatus fuit a C. I. Gonnet in *Bijdragen voor de geschiedenis van het Bisdom van Haarlem.* XI. (Haarlem 1881) p. 324-43. Ibidem p. 344-55 plurima alia itineraria in Ierusalem et Terram Sanctam recensentur.

nostram permaximam esse similitudinem, quamquam differat numerus et ipse ordo seu series, etiamsi tantummodo « Via Crucis proprie dicta » respiciatur (1). Statim nominandus est alius auctor, qui, non secus ac Ioh. Pascha, numquam Hierosolyma propriis pedibus calcavit, et cuius opus, quod valde in Europa diffusum erat, in aliquibus accuratius est, (si respicias modernam Viam Crucis), quam illud fratris Carmelitae. Primum tamen notes alterum hunc auctorem belgam, Adrichomium scilicet, librum Iohannis Paschae et cognovisse et adhibuisse (2). Adrichomius vero duodecim stationes enumerat, quae ad unguem cum nostris 12 primis coincidunt!

Quae cum ita sint, concludendum nobis videtur et Ioh. Pascham et Adrichomium auctores Viae Crucis modernae dicendos esse, adeoque Dr. Nicolaum Paulus et Dr. Keppler recte sensisse, hac in re; licet duo illi, Pascha videlicet et Adrichomius non auctores immediati proclamari debeant, deficientibus apud utrumque aliquibus elementis, quae aperte hodiernam Viam Crucis constituunt. Duas etenim ultimas omisit Adrichomius, et duas alias intermedias Ioh. Pascha quamvis hic duas ultimas (XIII et XIV) enumeret, quas denuo postea Adrichomius praeterivit.

III.

Hic igitur quaestio nova instituenda videtur, quisnam ille fuerit, qui ita ultimas duas stationes caeteris adiecerit, ut post eum aliis definitive coniungerentur; talis enim censendus erit is, qui forma ultima conclusit Viam Crucis atque eius evolutioni, quae non antiquissima proinde sed satis recens aestimanda foret, finem demum imposuit. Talem autem indagationem minime tentavit eruditus auctor Iesuita, qui post haec infert: « Summa summarum recte dicitur, selectionem XIV stationum multo magis derivasse ex ingenua pietate auctorum piorum in Europa, quam ex praxi aliqua observata Hierosolymis (3) ». Quam conclusionem si quis aggredi velit, in medium proferre debebit argumenta certa, factis seu textibus antiquis innitentia, quoniam et ipse P. Thurston, auctor diligentissimus, tali fundamento imposuerit rationes ac illationes a se in medium prolatas.

Quae autem subito verba subquuntur: « Hierosolymis meritum devotionis Viae Crucis multo magis constitisse in desiderio sequendi, non sine laboribus, vestigia Salvatoris, quam in exercitiis sive actibus pietatis peractis in locis determinatis (4) », [i. e. stationibus] vera sunt, si non nimis premantur. Fr. Bonifatius Stephanis seu Ragusinus, iam a nobis laudatus, qui plures annos, antequam editio Lovaniensis

---

(1) R. P. Thurston p. 127. similitudinem exaggerare videtur scribens; L'ordre des stations de Pascha est exactement celui de nos stations actuelles. Sans doute le nombre est plus élevé etc. De facto deest *tertia nostra* Statio, non secus ac *septima*, licet Pascha loquatur de *septem* casibus!

(2) Cristianus Crucis Adrichomius (Kruick van Adrichem) († 1585): Theatrum Terrae Sanctae et biblicarum historiarum. Coloniae, 1590 et saepius. Ierusalem sicut Christi tempore floruit etc. Coloniae 1584.

(3) Turston-Boudinhon: p. 135.

(4) L. c. « A Jérusalem le mérite de cet exercice semble avoir consisté dans le désir intense de suivre les traces de Notre Seigneur, dans la fatigue et les souffrances de son voyage, plutôt qu'en des actes de piété accomplis en des lieux d'arrêt déterminés ». Phrasis allegata ex Aranda: *Il devotissimo viaggio di Gerusalemme.* Rome 1587 ad probandum vix aliquid affert.

operis Iohannis Paschae prodiit, Custos Terrae Sanctae fuerat, et proprium suum librum *de perenni cultu Terrae Sanctae* plures quoque annos antequam Adrichomius opus typis vulgaverat (1), revera plures affectus precationum et meditationum praecipue peregrino tales *stationes* visitanti suggerit (2); v. gr. ad Spasmum Virginis Mariae (seu IV nostram Stationem). « Hic », inquit, « mente pura et animo contrito *funde preces ad Virginem,* ut det tibi fontem lachrymarum ad deplorandam Christi passionem et peccata tua, quibus iram Dei promeruisti (3) ». Et eadem ex causa peregrinum in domum Pharisaei, ubi S. Magdalenae dimissa sunt peccata multa, ductum hortatur: « Hic mente et corde ora et nulla exteriora signa orationis ostende, quia ecclesia publica non est, sed domus cuiusdam pharisaei, id est Xogiae, ut olim fuit (4) ». Quod ergo hic vetat Custos Bonifacius, aliis in locis factum fuisse censendum est, id quod textus prior clare probat.

Quodsi cl. auctor noster addat: « versus finem saeculi XVI nullum fuisse Hiersolymis publicum exercitium *Viae Crucis* proprie dictae, testante Zuallardo, in erroris devium hic abiisse apparet, et testem suum falsum vel potius mancum testimonium protulisse evidens fit e testimonio omni exceptione maiore P. Custodis Bonifacii Ragusini. Ex eius enim iam saepius laudato libro constat, saltem iam circa medium huius saeculi usum fuisse *Viam dolorosam* percurrendi publice, saltem feria sexta Maioris Hebdomadae, ita ut incipientes a Monte Olivarum ad domum Annae et ad praetorium Pilati se conferrent et dein ipsam viam dolorosam, prouti tunc monstrabatur, visitarent devoti, (ad solas stationes commorantes), ac demum officia divina in ecclesia Sanctissimi Sepulchri persolverent (5).

His consideratis, quaestio moveri potest, stationes Hierosolymitanae caruerintne influxu quodam determinato in *Viam Crucis,* quam modernam dicimus, necne? Quam quaestionem sine ulteriore indagatione affirmari vel negari statim posse prudens quilibet vix aequum iudicabit. Eadem etiam methodo procedendum erit, ut partes Terrae Sanctae, Iohannis Paschae et Adrichomii, illiusque qui numerum quatuordecim stationum supremo loco fixit, ex aequo statuantur et aequa lance determinentur. Cum auctore nostro perquam docto annotamus scilicet, Iohannem Pascham dependere quoque a Petro Sterckx (Petro Potente) et stationibus, quas iste Lovanii erexerat (p. 138).

---

(1) Superius editionem novam a P. Cypriano de Tarvisio allegavimus, sed iam, an. 1573, Venetiis, typis Giurraeae (in-8°, 286 pp.) eius liber prodierat.

(2) L. c. 221-226, edit. 1875.

(3) L. c. 224-225.

(4) L. c. 222. Vocem illam: Xogiae apud Quaeresmium: *Elucid. Terrae Sanctae II,* Venetiis 1881, 77 eadem verba afferens explicat editor. « Xogiae seu melius Phogiae (!), arabice vocantur Mahometani, qui singularem pietatem et sanctitatem affectant ex eo, quod vel sint cultus ministri vel ad Mecham peregrinati sint ».

(5) Bonif. Ragus.: l. c. p. 35-39. Nota in hoc loco processionem illam fratrum Minorum atque peregrinorum in die Parasceves Viae Crucis naturalem cursum sequi, in loco autem superius citato ordinem inversum, quem antiquum dicere licet. — Rectissime animadvertit doctus auctor, Fr. Bonifacium Ragusinum his in rebus auctoritatem esse pergrandem. p. 146 nota 1. Praeterea simile quid *iam c. annum 1480 observabatur in* Parasceve, uti videndum est in libro Fr. Pauli Waltheri O. F. M. qui anno 1482 Hierosolymis fuit Cf. Fr. Pauli Waltheri Guglingensis *Itinerarium in Terram Sanctam et ad Sanctam Catharinam, herausgegeben und mit Erlaüterungen versehen von* M. Sollweck, *Tübingen* 1892. p. 139-142. in-8° *XIV* 327 pp.).

Neque soli Adrichomio influxus adeo universalis omnia contraria vincens ac superans adscribendus videtur, quippe cuius systema finalem triumphum nequaquam reportaverit. Ipse cl. auctor mentionem facit *Viae Crucis,* quam c. an. 1664 moniales quaedam Antverpiae pie observabant, et quae praecipue *septem* illis *Casibus* constabat (1). Memoratur etiam alterius Viae Crucis a P. Adriano Parviller S. J. excogitatae, quae et saeculo XVII et saeculi XVIII prima parte in usu fuit frequenti (2). Quae methodi aliaeque, cur demum perierint, auctor explicat moderno modo: allegans (p. 209) legem illam, qua moderni quidam non ignoti nominis, aptiores melioresque seligi, paulatimque hos solos superstites fieri, dicunt. Igitur diversa illa systemata luctam, uti aiunt, pro vita inierant, quam tamen nos pacificam fuisse opinari malumus.

Cum doctissimus auctor talis suppositae luctae phases vel indicare neglexerit, nos pauca quaedam hic ad rem inseremus.

Circa 1650 J. Andries diversas Vias Crucis in Belgio enumerans, dicit, inter illas esse, quae 19 usque Stationes habeant (3). Vincentius Gilibertus, italus, clericus regularis an. 1634 et 1655 de « *Stationibus* » librum scripturus (4), mirari se dicit, cur nemini in mentem venerit, *undecim* (!) stationibus, quas iam Adrichomius habuerit, *duodecimam* adiungere: « Sepulchri nempe, quae mihi (inquit) perfectionem numeri, indicat, cum numerus *duodenarius* sit secundum S. Augustinum: Sacramentum cuiusdam universitatis et consecratus sit hic numerus duodecim patriarchis » etc. Cuilibet stationi longas meditationes et orationes adiecit, ut duobus voluminibus opus habuerit ad duodecim stationes explicandas tam pie quam abundanter. En huius Giliberti Stationes duodecim 1° Christo Crux imponitur, 2° primo Christus cadit, 3° Matri obviam fit, 4° Cyrenaeus angariatur, 5° Veronica linteum praebet, 6° apud portam iudiciariam Salvator secundum succumbit, 7° mulieres plangentes solatur, 8° tertium in terram ruit, 9° Eum milites exuunt et myrrhato vino potant. 10° Cruci affigitur, 11° Crux elevatur; (hic auctor tractat de verbis Christi et doloribus B. M. V.) 12° Christus tumulatur.

Anno 1720 P. E. Pauck, O. F. M. duodecim quoque stationes recensens addit, alios quoque addere eis duas alias, quomodo scil. Salvator a cruce solvatur et sepulchro mandetur (5). Anno 1737 P. An-

(1) Thurston-Boudinhon 140-143.

(2) L. c. 204-7.

(3) J. Andries, *Novus libellus supplex.* Coloniae 1650. p. 146 seqq.

(4) Le dodici stazioni che' l Signore fondò dal pretorio di Pilato infino al sacro sepolcro divisate per Vincenzo Giliberto cherico regolare con le tavole al solito copiose. In Napoli, per secondino Roncagliolo, l' anno 1634 in-8. 408 pp.: II volumen continet tantummodo tres ultimas stationes. (X-XII): Seconda parte, in Napoli per Luc' Antonio di Fusco 1641. in-8 527 pp.

(5) E. Pauck, O. F. M. *Tertia seraphica Vinea.* Coloniae 1720 p. 198. — Sequens libellus anonymus, quem nobis cl. P. Bonav. Kruitwagen O. F. M. amice communicavit, XIV stationes habet omnino nostris concordes. *Heiligen Creutz-Zug, in andächtiger Besuchung des schmertzhaften mit vielen Abläss beynadeten Kreutz-Weegs auf dem Unser Herr und Heyland Iesus Christus mit dem Creutz beladen vom Richthauss Pilati bis auf den Berg Calvariae sein bitterstes Leyden und unser Erlösung vollbracht hat, abgeteilt in vierzehen Stationem oder Bett-Orth... zu Erlangung täglich aller Abläss, wie zu Ierusalem . . . nach vorhero erhaltenen Concession in der Collegiat-Stifts-Kirchen zum heiligen Creutz ausserhalb Mayntz aufgerichtet.* Mayntz, bei Ioh. Häffner 1746. 1 vol. in-16°, 107 pp. Praeter imagines Stationum invenies ibi conspectum Viae Crucis hierosolymitanae et post

gelinus Brinkmann O. F. M. guardianus conventus Montis Mariani prope Fuldam, sub divo magnam *Viam Crucis*, erexit cuius quamlibet stationem figuris plurimis e ligno sculptis consistentem sacellis inclusit, quarum distantiam Abbas Princeps Fuldensis propria persona determinavit. Constat haec Via Crucis, cuius duodecima statio maxima forma cacumen monticuli vicini occupat, XIV stationibus nostris concordibus, si ultimam excipias. Haec enim in duas partes inferiorem, quae etiam minor est, et in superiorem quae maior est, ab altariolo quodam dividitur, sub cuius mensa Christum in sepulchro iacentem vides et supra cuius mensam Christus gloriosus et victor, radiis aureis fulgens, resplendet, ut magis resurgenti quam sepulto Salvatori dedicetur haec statio (1).

Iam anno 1679 etiam sub divo, sed ex alia parte eiusdem Montis Mariani Via Crucis aut potius *Septem Casuum* stationes erectae fuerant. Quid revera fuerit, dubio subiacet, cum aeris intemperie aliquae harum *Stationum* sive *Casuum* perierint. Quae adhuc supersunt quinque, muro innixae, lapidi quadrato et apice contecto insculptae et super columnam octogonam positae, ad modum *Casuum Nurimbergensium* Adami Krafft, haec spectatori ostendunt: 1° Christum in terra iacentem (!) et a Simone Cyrenaeo suffultum, qui infimam partem crucis sublevat. 2° Veronicam, 3° Casum Christi, 4° alium Christi casum; Christus ibi non prosternatus, uno genu adhuc innititur, 5° Christum solantem Filias Ierusalem. His adde aliam, quae adhuc anno 1796 aderat, et quae secundum K. B. Welle, poetam Fuldensem et Domini Abbatis Fuldensis supremae censuum camerae praefectum, exprimebat: Christum crucem baiulantem. Huic vagae descriptioni: forsan addere licet: « et a Iudaeis cruciatum », uti statio e *casibus* Nurembergensibus habet. His sex demum adiice *septimam* stationem, quae etiam periit et quam Welle, quin eam accuratius describeret, primo loco posuit, ut videretur eam primam Stationem (Viae Crucis) putavisse (2).

IV.

Capitulum sextum (p. 144-207) agens de *Via dolorosa* Hierosolymis inde a saeculo XVII ad nostra usque tempora, in eo est, ut demonstret, quomodo paulatim factum sit, ut Stationes Iohannis Paschae et Adrichomii in Sancta Civitate a ducibus peregrinorum his indigitarentur, dum econtra antea alia loca Viae Dolorosae maiore attentione et veneratione colebantur. Neque enim Pascha ille, neque

---

pag. 76 figuram Crucifixi miraculosi dictae ecclesiae. In praefatione huius opelli allegantur alii duo libri de eadem materia tractantes, nempe: « P. Sabinianus Fritsch, O. F. M. Ref. *Geistliche Anführung zum Creutzweg*, et P. Hubertus Schneidt, eiusdem ord. *Geheiligter Calvariae-Berg*.

(1) Plura de hac Via Crucis invenies ap. P. Mich. Bihl O. F. M. *Geschichte des Franziskanerklosters Frauenberg bei Fulda*. Fulda 1907. p. 181-186. Notatu dignum videtur P. Elzearium Horn O. F. M. Fuldensem, qui ab anno 1725 usque ad an. 1744. Palaestinam incoluerat, in opere suo: *Ichnographiae locorum et Monumentorum Veterum Terrae Sanctae*. ed: P. Hier. Golubovich O. F. M. Romae 1902. (in-4. LX et 301 pp.) p. 117, decimam quartam stationem simili modo designare: « *Christus sepultus, resurrexit* ».

(2) L. c. 177-180. K. B. Welle: *Der Weg von Fuld zum lieben Frauenberg beschriben*... anno 1796. in-4. 19 pp. (Manuscriptum). Cf. quoque P. Polykarp. Schmitt O. F. M. in periodico: *Buchonia, Zeitschrift fuer vaterländische Geschichte*, Fulda 1826. I. fasc. 2. 64 ff.

Adrichomius unquam in Palaestinam pedem posuerant. Topographi Franciscani, qui loca sancta et tunc descripserunt, alii aliter Belgas istos tractaverunt. Asperius cum Adrichomio egit Bernardinus Amico (1610) (1), mitius vero celeber noster Quaresmius in opere suo gravissimo duobus voluminibus pergrandibus consistenti (2). Differentiae notabiles invenies, si loca *Viae dolorosae* topographorum illius aevi cum *Via Crucis* moderna comparaveris, sed tempus progrediens has planavit, sustulitque. Si auctorem nostrum audis, primam Adrichomii victoriam et triumphum invenies apud C. Hietling O. F. M. qui, post guardianatum in Bethlehem expletum, in Austriam redux, an. 1713 edidit librum cui titulus: *Peregrinus affectuose per Terram Sanctam et Ierusalem conductus* (3); plura ab Adrichomio bona fide assumpsit. — P. Petrus de Venetia qui demum 1763 totum systema Adrichomii amplexatus est (4). Fr. Antonius de Sacramento, qui 1739 et 1740 Palaestinam lustraverat, quatuor *Casus* Christi sub Cruce numerat (5), neque Adrichomii topographiam ex toto accepit P. Elzearius Horn (c. 1740), qui tamen 14 stationes recenset, nostris conformes (6).

Quoad praetorii Pilati situm, ex quo demum totius Viae Crucis veritas dependet, cl. Jesuita contra P. Zanecchiam O. Praed. et professores Assumptionistas, quos Dominae Nostrae de Francia dicunt, pro antiqua traditione franciscana stat una cum R. P. Barnaba Meistermann, topographiae Terrae Sanctae peritissimo, et cum Dr. Karl Mommert (7).

An sint multi, qui capitis ultimi p. 240-265, inscriptionem legentes: « De *Via Crucis* modernis temporibus », tenorem vel coniectura audaciore assecuturi sint, penitus ignoro. Prodamus igitur illum. Disputat nempe cl. auctor primum de indulgentiis tum Terrae Sanctae tum Viae Crucis (p. 240-262), pauca verba deinde adiciens de modo et methodo observandis in pio exercitio Viae Crucis (p. 262-266).

Non praetermisit annotare fratribus Minoribus Locorum sacrorum custodibus vigilibus, secundum ius, fasque reservata fuisse a Romanis Pontificibus plurima sive potius omnia privilegia modernae Viae Crucis, quippe qui inde a S. Leonardi a Portu Mauritio temporibus (et paulisper prius) promotores seduli et indefessi huius devotionis fuerint (p. 241). Movet, sed non solvit, deinde quaestionem, quomodo factum sit, ut illis, qui *spiritu* frequentaverint loca sancta, ea-

---

(1) Bernardino Amico O. F. M.: *Trattato delle piante et immagini de' sacri edifizi di Terra Santa.* bis editum Romae 1609 (1610? uti auctor vult) et Florentia 1620.

(2) *Historica Theologica et moralis Terrae Sanctae Elucidatio, Anterpiae, Ex officina Plantiniana.* 1639. 2 vol. in-fol. I: XXX, 924 (98), II: 1014 (120) pp. Nova editio curante *P. Cypriano de Tarvisio* prodiit: *Venetiis*, 1880. 1881.

(3) *Thurston-Boudinhon*, 189. Prodiit Graeciae 1713. 2 vol. in-fol pp. 343 et 270.

(4) L. c. 191. P. Pietro Antonio de Venezia O. F. M. *Guida fedele alla santa Città di Gerusalemme. Venezia* 1763.

(5) *Viagem sancta e Peregrinação devota, Lissabona* 1748.

(6) *Ichnographiae Locorum et Mon. T. S.* p. 115 seqq.

(7) P. 198 ss. F. P. Barnabé d'Alsace [Meistermann] O. F. M. *Le prétoire de Pilate et la forteresse Antonia*, Paris: Picard 1902. in-8 XXIV, 250 pp. Dr. K. Mommert. *Das Praetorium des Pilatus.* Leipzig. Haberland. 1903. Nunc etiam conferendum esset novissimum R. P. Barnabae Meistermann splendidum opus: *Nouveau Guide de Terre Sainte.* Paris. Picard 1907. (in-12 XLIII et 610 pp.) p. 56 ss.

rundem indulgentiarum participes facti sint, quae illis obtigerunt, qui iter Palaestinense in se susceperant. Plures indulgentiae media aetate S. Sylvestro adscriptae feruntur, sed constat inter doctos quosque tales gratias certe esse apocryphas (p. 253). Certe Sixtus IV plures indulgentias locis sacris concessit (1) et Fr. Bonifacius Ragusinus a Pio P. IV omnium indulgentiarum bullam confirmativam impetravit die XVII Iulii anno 1561. Tenor bullae largissimus est, sed nequaquam ultra vires concedentis. Ea quae dubitans auctor in medium protulit facili nisu solvit eius interpres cl. A. Boudinhon; agitur enim in bulla de clausulis derogatoriis derogatoriarum, seu revocatoriarum (2).

Quae tertiae appendicis gratia auctor (p. 275-277): de antiquitate relativa diversarum stationum Viae Crucis, nunc omnino conferenda sunt cum iis, quae hac de re doctissimus P. Barnabas Meistermann in opere suo recenti profert (3).

Quartam appendicem, seu coronidem totius operis, quae de festo Mysteriorum Viae dolorosae ordini franciscali nuper concesso pauca agit et assertiones quasdam decreti S. Congregationis Rituum (XIV mart. 1906) censurae subicit, hic examinare nostrum esse non aestimamus.

Quoniam plurima sunt opella et levioris contenti opuscula, quae quasi quotannis a nostratibus, populari modo conscripta, in lucem eduntur ad incitandum magis in diem piorum Christifidelium in Sanctissimam Domini Passionem fervorem, mediante salutari exercitio Viae Crucis, hic votum exprimere licebit, ut isti libri quosdam fructus etiam e nostrorum temporum investigationibus, in quantum solidae, veracesque sunt, sint carpturi.

Ad Claras Aquas, die 14 Septembris 1907.

P. MICHAEL BIHL, O. F. M.

---

(1) Plura hac de re inveniret auctor in *Bullarium peculiare Terrae Sanctae... a moderno commissario generali T. S. in Romana Curia coordinatum.* Romae 1727. 1 vol. in-fol. 178 pp. Huius Bullarii continuationem edidit. P. Cypr. de Tarvisio, in editione sua *Elucidationis T. S.*, auctore Quaresmio, vol. II. (Venetiis 1881) 765-806.

(2) Nota cl. Boudinhon. p. 258-260.

(3) *Nouveau Guide de Terre Sainte* (1907) 92 ss. — Notemus hic aliquos leves defectus, praeter iam in decursu commentationis commemoratos. Melius forsan, iucundiusque pluribus foret *Loca sacra Ierusalem* imaginibus melioris notae depicta videre hoc in libro, quia, quae ibi conspicis non ideo iam maioris pretii computandae videntur, quia ante aliqua decennia factae sunt. Ad antiquiores quod pertinet, qui in figura p. 38 lapidem cruce signatum osculantur, non peregrini in genere sunt sed fratres Minores. Enormes errores, quos auctor sibi invenire visus est in charta geographica Terrae Sanctae ex anno 1615 p. 15, reapse ibi non sunt. Nam neque Damascum in parte meridionali Terrae Sanctae quaerere docet, neque conversio S. Pauli configuratur scenula ibi delineata, sed creatio hominis. Quia tres credebantur fuisse agri Damasceni, ubi Adam formatus esse ferebatur, quorum agrorum unus prope Hebron quaerebatur, et hic *ager Damascenus* in pictura efingitur. Cf. Quaresmius *Elucidatio T. S.* t. II (1881) 585. lib. II. c. 4. — Pag. 89 legas *sculptées*, pro *gravées*. Ille quem auctor p. 84 nominat: « Iohannes Polonus » immo p. 81 « Martinus Polonus » revera appellatur Iohannes Poloner; neque Polonus fuit sed Bavarus ex Ratisbona. Cf. Roehricht *Deutsche Pilgerreisen nach dem heiligen Lande.* Innsbruck 1900 p. 104. Idem: *Bibliotheca Geographica Palaestinae.* Berlin. 1890. p. 106-07.

DOCUMENTA

LEGENDA PRIMA

S. FRANCISCI ASSISIENSIS AD USUM CHORI

(Prima vice edita).

Paucis expediam praefatiunculam de hac Legenda. In breviario, cuius accuratissimam descriptionem nobis dedit clarissimus Augustus Cholat (*Le bréviaire de sainte Claire, conservé au Couvent de Saint-Damien à Assise et son importance liturgique:* Paris, Librairie Fischbacher, 1904), haec, hucusque inedita, Legenda reperitur. Breviarium fuisse exaratum a fratre Leone, socio peculiari Sancti Francisci, ad usum Beatae Clarae, legitur in satis antiquis inventariis anni 1630 et 1643, et ex characteribus intrinsecis huius vere pretiosi manuscripti a laudato Cholat argumentis multis et gravibus confirmatur (1). Totum breviarium, tabulis corio coopertis ligatum, constat ex viginti septem quinternis vel sexternis promiscue in pergamena, latum 165 mm., longum 230 mm., litera gothica, pulcherrima, in duabus columnis. Prima charta non numeratur: sequuntur 27 chartae numeratione recenti signatae, et postea 262 ab ipso scriptore numeratae coloribus rubeis et coeruleis: habentur in fine aliae sex chartae non numeratae, ubi posteriores additiones leguntur.

In kalendario festum Sancti Francisci indicatur his verbis: *Nativitas beati patris Francisci, ordinis fratrum Minorum et primi ministri, duplex festum;* sed deficiente spatio assignato diei quartae octobris, scriptura protenditur in dies 5 et 6 vacuos. Ex quo coniicere licet amanuensem exaravisse hoc kalendarium ante institutionem huius festi; uti resultat etiam ex indicatione marginali cartae sequentis, ubi legitur: *Anno Domin. M.CC.XXVII.*

---

(1) P. Eduardus Alenconiensis in *Miscell. franc.* (tom. IX p. 165-67), innixus testimonio Gonzagae (*De Orig. Seraph. Relig.* ed. Roman. 1587 p. 157 in *Conv. S. Damiani*) qui simpliciter asseruit Breviarum hoc *fuisse* S. Bonaventurae, negat inde posse illud attribui calamo fratris Leonis! Scriptum a fratre Leone, poterat utique pertinuisse et divo Bonaventurae.

Lectiones huius breviarii antiquissimas omnium esse nemo inficiabitur. Antecedunt compilationem historiarum fratris Juliani Theutonici, quarum nec verbum vel reminiscentiam praebent. Legentium animos nulla dubitatio subit, quin longe antequam perversitas fratris Heliae factis Capituli 1230 innotesceret clarius, hae lectiones in breviarium irrepserint. An ipsam Legendam fratris Thomae a Celano, quae prima adpellatur, praecedant, ut vult Waddingus (1), ex intrinsecis characteribus certo comperiri nequit: sed nullum argumentum firmum assertioni clarissimi Annalistae nostri opponitur; immo favet ei reperitio huius Legendae, quae ex verbis conflata, quibus usus est frater Thomas in sua prima maiori legenda, iure et merito eiusdem dici potest, nec causam habemus alium requirendi compilatorem.

Usque huc *quatuor* (2) Legendae ad usum chori cognoscebantur, quarum duas edidit clarissimus Pater Leonardus Lemmens, Ordinis nostri, et alteras duas Pater Eduardus Alenconiensis ex Ordine Min. Capuccinorum.

Harum antiquitate primam typis evulgavit laudatus Pater Lemmens in *Acta Ord. Minorum* (1900, febr. p. 32-33-34) una cum animadversionibus, quae sequuntur: « Officium (Julianeum)... ab Ordine nostro hucusque recitatum, parumper tantum saeculis praeteritis est mutatum, quod docet breviarium antiquum in bibliotheca Vaticana asservatum (Cod. 8737, fol. 47). Codex iste, circa 1300 scriptus, sequitur codicem pluribus decenniis vetustiorem: desunt enim in illo officia S. Antonii et S. Clarae, et desunt praesertim verba a Capitulo generali Narbonensi 1260 mutata; quapropter concludere licet, codicem istum primariam Officii formam praebere, saltem quoad antiphonas et responsoria » (Ibid.). Quod vero attinet ad lectiones in genere, de quibus praecipue hic recidit sermo, subdit idem P. Lemmens: « multo difficilius iudicari potest, cum in medio aevo haberentur *pars variabilis,* et multas subirent ex hoc mutationes... Difficulter igitur iam determinatur origo lectionum, quae in codice nostro inveniuntur, earumque relatio ad Legendam fratris Juliani » (Ibid.). Probabile quidem nobis videtur officium istud cum lectionibus, quae ibi leguntur, invectum fuisse anno 1241, quo, in Breviario iam correcto, Gregorius IX prohibet ne novae mutationes fiant. Quod autem ex Legenda fratris Thomae a Celano, non autem ex illa quam hodie plures

(1) *Script. Ord. Min.* ad v. Thomas de Celano pag. 220; Romae, 1806. Waddingus loquitur certe de *prima* Legenda; dicit enim eam *iussu Gregorii* compilatam. Errat tamen in citatione initii *Placuit,* quod secundae, non primae Legendae convenit.

(2) Aliae plures quae a cl. P. Van Ortroy e codicibus unumerantur (*Anal. Boll.* t. XIX p. 187), teste P. Leonardo Lemmens, nonnisi membra seu partes sunt legendae ab ipso P. Leonardo editae (Cfr. Lemmens *Excerpta Celanensia, Vitae tres*, p. 74 et not. 3).

iudicant habere auctorem Julianum, lectiones illae extractae sint, non dubitandum.

Alia Legenda, quam idem laudatus Pater Lemmens edidit (in cit. *Acta Ordinis*, mense ian. et febr. 1901, et seorsim in *Excerpta Celanensia*), cum pluries referat, fere iisdem verbis, quae in *Tractatu de Miraculis* continentur, posterior est anno 1257 (1).

Fratres Ordinis Sancti Dominici plerumque usi sunt lectionibus, quae dicuntur depromptae ex *gestis abbreviatis*, incipientibus *Quasi stella matutina*, et tamen ferme in omnibus referunt Legendam primam Celanensem. Silentium de fratre Helia, satis aperte manifestat redactionem posteriorem esse anno 1239. Hanc edidit Romae, typis Kleinbub, Pater Eduardus Alenconiensis, anno 1899: qui iam in *Miscellanea Franciscana* (vol. IV. pag. 187-188) aliam item publicaverat saeculi decimiquarti.

Haec igitur, quam hic damus, omnium est antiquissima, et apprime exprimit indolem Legendae primae Celanianae, quam hodie multi tantis extollunt laudibus. Frustra vel verbum paupertatis aliarumque virtutum Sancti Francisci, Institutionumque suarum insignia ac veluti perfectionis fundamenta, ibi requires; sed fratris Heliae encomia non desunt. Aliud addere supervacaneum et otiosum.

[fol. CCLXv.a:] **In festo Sancti Francisci.**

Lectio I. – Vir erat in civitate Asisii, que in finibus Vallis Spoletane sita est, nomine Franciscus, qui a primeve etatis sue anno a parentibus secundum seculi vanitatem nutritus est et mores, vanior ipse atque insolentior [ipsorum. . . . .] (2), est effectus. Quoniam hec pessima consuetudo apud eos, qui christiano censentur nomine, sic undique inolevit, et perniciosa doctrina hec velud lege publica ita ubique firmata est et prescripta, ut ab ipsis cunabulis remisse nimis et dissolute filios suos studeant educare. Primo namque cum fari vel balbutire incipiunt, turpia quedam et execrabilia valde signis et vocibus edocentur pueruli nondum nati. Et cum tempus ablactationis advenerit, quedam luxu et lascivia plena non solum fari, sed operari coguntur. Non audet aliquis illorum etatis, timore coactus, honeste se gerere, quoniam ex hac duris subiacet [CCLXv.b] disciplinis. Ideo bene ait secularis poeta: Quia inter exercitationes parentum crevimus, ideo a pueritia nos omnia mala sequuntur. Testimonium hoc verum est, cum eo innocentiora sint filiis vota parentum quo cessere felicius. Sed et cum paulo plusculum etate profecerint, se ipsis impellentibus semper a[d] deteriora opera dilabuntur. Ex viciata namque radice arbor viciosa succrescit, et quod semel male depravatum est, vix reduci potest ad regulam equitatis. Cum vero adolescentie portas ceperint introire, quales eos fieri arbitraris? tunc

(1) Revera *Tractatus* praelo editus numerat viginti miracula (n. 49-69) ex ereptis a fauce mortis, et Legenda septem tantum, ex quo appareret prioritas Legendae. Sed Tractatus iam ter editus, est certe interpolatus, et non ille originalis, a quo, ut pluribus indiciis coniicitur, lectiones ex parte excerptae sunt.

(2) Hic in cod. quinque vel sex verba usu et tempore evanuerunt, quae tamen suppleri facile possunt cum I Cel. n. 1: « *ipsorum miseram vitam diu imitatus...* ».

profecto omni dissolutionis genere fluitantes, eo quod liceat eis explere operibus, omni studio se tradunt flagitiis deservire.

Lectio II. — Sic enim voluntaria servitute, servi effecti peccati, arma iniquitati exponunt omnia membra sua, et nihil in se christiane religionis in vita seu in moribus preferentes, solo christianitatis nominis servi erant Simulant miseri plerumque se nequiora fecisse quam fecerint, ne videantur abiectiores quo innocentiores existunt. Hec sunt misera rudimenta in quibus homo iste, quem sanctum hodie veneramur, quoniam vere sanctus est, a pueritia versabatur, et fere usque ad vicesimum quintum etatis sue annum tempus suum miserabiliter perdidit. Immo super omnes coetaneos suos in vanitatibus male proficiens, incentor malorum et emulator stultius [et] abundantius existebat. Admirationi omnibus erat, et in pompa vane glorie preire ceteros videbatur, in iocis, in curiosis, in scurrilibus et inanibus verbis, in cantilenis, in vestibus mollibus et fluidis, quia predives erat, non avarus sed prodigus, non accumulator pecunie sed substantie dissipator, cautus negotiator sed vanissimus dispensator. Homo tamen humanus agens, habilis et affabilis multum, licet ad insipientiam, secundum quam multi ob hoc maxime post ipsum abibant, fautores malorum et criminum intentores: sicque constipatus agminibus iniquorum, sublimis et magnanimis incedebat, iter agens per medium babilonie platearum, quousque respiceret de celo Dominus, et propter nomen suum longe faceret furorem suum ab eo, et infrenaret os eius laude sua, ne penitus interiret. Facta protinus super eum manus Domini et immutatio dextere excelsi, ut per eum daretur peccatoribus fiducia magna in respirando, et conversionis ad Dominum omnibus fieret ad exemplum.

Lectio III. — Nimirum cum adhuc vir iste iuvenili calore in peccatis fervesceret, et lubrica etas ad explenda iuvenilia iura ipsum impelleret insolenter, ac assuescere nesciens, antiqui serpentis fraude virulentia exercitatus, adest subito divina ultio vel penis unctio super eum: et aggreditur primo sensum erroneum ipse revocare animo, angustiam et corpori molestiam inferendo, iuxta illud propheticum: Ecce ego sepiam [CCLXIr.a:] tuam viam spinis, et sepiam eam maceria. Sicque diu infirmitate attritus, ut meretur pervicacia hominum, que vix nisi supliciis emendatur, cepit intra se alia solito cogitare. Cumque iam paululum respirasset, et baculo sustentatus, causa recuperande sanitatis cepisset huc atque illuc per domicilium ambulare, die quadam foras exivit, et circum adiacentem provinciam cepit curiosius intueri. Sed pulcritudo agrorum, vinearum amenitas, et quidquid pulcrum est, in nullo eum potuit oblectare. Mirabatur preterea subitam sui mutationem, et predictorum amatores stultissimos reputabat: ab ea namque die cepit seipsum vilescere sibi, et contemtu quodam habere que prius in admiratione habuerat et amore.

Lectio IV. — Conversionis sue tempus iam erat XX annorum spatio consumatum, sicut divina innotuerat voluntate. Nam cum ipse beatus Pater et frater Helias tempore quodam apud Fulginium morarentur, nocte quadam, cum se sopori dedissent, adstitit fratri Helie sacerdos quidam albis indutus, grandeve ac provecte etatis, aspectu venerabilis, dicens: « Surge, frater, et dic fratri Francisco, quoniam expleti sunt decem et octo anni ex quo mundo renuntians, Christo adhesit; et duobus tantum annis dehinc in hac vita manens, viam universe carnis, vocante ipsum ad se Domino, introibit ». Sicque factum est, ut sermo Domini, quem diu ante predixerat, constituto termino, compleretur. Cum igitur in loco sibi valde desiderato, paucis quievisset diebus, et cognosceret ipse [tempus] propinque mortis instare, vocavit ad se duos fratres et suos filios speciales, precipiens eis de morte propinqua, immo de vita sat proxima, in exultatione spiritus, alta voce laudes Domino decantare. Ipse vero, prout potuit, in illum Davidicum psalmum erupit: « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum ».

Lectio V. — Frater autem quidam de assistentibus, quem sanctus satis magno diligebat amore, pro fratribus omnibus plurimum existens so-

licitus, cum hec intueretur, et sancti cognosceret exitum propinquare, dixit ad eum: « Benigne pater, heu, absque patre iam remanent filii et oculorum privantur lumine vero. Recordare igitur orphanorum quos deseris, et omnibus culpis remissis, tam presentes, quam absentes, omnes tua sancta benedictione letifica ». Ad quem sanctus: « Ecce, inquit, ego vocor a Deo, fili: fratribus meis tam absentibus quam presentibus offensas omnes et culpas remitto, et eos sicut possum absolvo, quibus tu hec denuncians, ex parte mea omnibus benedices ». Iussit denique codicem evangeliorum portari et evangelium secundum Johannem sibi legi poposcit, ab eo loco ubi dici incipit: « Ante sex dies Pasce, sciens Jhesus quod venit hora ut transeat ex hoc mundo ad patrem ». Hoc etiam [CCLXIr.b:] evangelium legere proposuerat sibi minister, priusquam ei preciperetur: hoc, etiam in prima libri aperitione occurrit, cum tota et plena bibliotheca esset, in qua hoc evangelium legi debebat. Iussit namque proinde se supponi cilicio et conspargi cinere, qui terra et cinis mox erat futurus.

Lectio VI. — Convenientibus itaque multis fratribus, quorum ipse pater et dux erat, reverenterque adstantibus et expectantibus omnibus, exitum beatum et consummationem felicem, sanctissima illa anima carne soluta est, que in habysso claritatis absorta, corpus obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis eius, fama non modicum celebris, cuius nomen nunc existimo reticendum, quoniam dum vivit in carne non vult tanto preconio gloriari, vidit animam sanctissimi patris, recto tramite in celum conscendere super aquas multas. Erat enim quasi stella, quodammodo lune immensitatem habens, solis vero utcumque retinens claritatem, ascendere subnecta nubecula. Libet propterea de ipso sic exclamare: O quam gloriosus est iste sanctus, cuius animam vidit discipulus in celum ascendere, pulcram ut luna; electa ut sol, in nube candida cum ascenderet, gloriosissime rutilabat. Quare mundi lucerna, sole splendidior, lucens in Christi ecclesia, ecce iam lucis tue radios subtraxisti et in illa luminosa patria secedens, pro nobis miseris (1), angelorum et sanctorum frequentiam commutasti. O insignis preconii almitas gloriosa, noli filiorum te cura exuere, licet exutus iam sis consimili carne. Nosti, revera nosti, in quanto nos discrimine positos reliquisti, quorum labores innumeros et frequentes angustias sola tua praesentia felix omni bono misericorditer relevabat.

Lectio VII. — O vere misericors pater sanctissime, qui peccantibus filiis miserere semper et parcere benigne paratus eras, tibi ergo benedicimus digne pater, cui benedixit altissimus, qui semper est Deus super omnia benedictus. Factus est propterea concursus populorum multorum laudantium Dominum ac dicentium: Laudatus et benedictus tu, Domine, Deus noster, qui nobis indignis tam pretiosum depositum comodasti. Laus et gloria sit tibi, trinitas inneffabilis. Catervatim tota civitas Assisii ruit, et omnis accelerat regio videre magnalia Dei, que in servo sancto suo gloriose ostendit Deus maiestatis. Unusquisque autem cantabat canticum letitie, prout cordis gaudium suggerebat et de adimpleto desiderio benedicebant universi omnipotentiam Salvatoris. Verumtamen filii lamentabantur tanto Patre orbati, et pium cordis affectum lacrimis et suspiriis ostendebant. Sic temperabat mestitia gaudium inauditum, et miraculi novitas eorum mentes in stuporem maximum convertebat. Versus est luctus in canticum et ploratus in iubilationem. Numquam enim audierant nec legerant in Scripturis, quod oculis monstrabatur, quod et persuaderi vix potuisset eis, si non tam evidenti testimonio probaretur.

Lectio VIII. — [CCLXI v. a.] Resuscitabatur revera in eo forma crucis et passionis agni immaculati, qui lavit crimina mundi. Dum quasi recenter de cruce depositus videretur, manus et pedes clavis confixos habens et dex-

---

(1) Codex loco *miseris* habet *in sanctis*.

trum latus quasi lancea vulneratum. Intuebantur namque carnem illius, que nigra fuerat prius, candore nimio renitentem, ex sui pulchritudine beate ressurrectionis premia pollicentem. Cernebant denique vultum eius, quasi vultum angeli, quasi viveret, non sicut mortuus esset, et cetera membra eius conversa in teneritudinem et habilitatem innocentie puerilis. Non sunt contracti nervi eius, ut mortuorum solent, non indurata cutis, non rigida effecta sunt membra, sed huc atque illuc vertentia se, veluti ponebantur. Cumque tam mira pulchritudine cunctis cernentibus resplenderet, et caro eius splendidior esset effecta, cernere mirabile erat in medio manuum et pedum eius non clavorum quidem puncturas, sed ipsos clavos ex eius carne compositos, ferri retenta nigredine, ad dextrum latus sanguine rubricatum. Non incutiebant horrorem mentibus intuentium signa martirii, sed decorem multum conferebant et gratiam, sicut in pavimento albo nigri lapilli solent.

Lectio VIIII. — Accurrebant fratres et filii et collacrimantes deosculabantur manus et pedes pii Patris eos derelinquentis, nec non et dextrum latus, in cuius plaga illius memoria celebris agebatur, qui ex eo loco sanguinem et aquam pariter fundens mundum reconciliavit Patri. Maximum donum sibi exiberi credebat quivis de populo, si admittebatur non solum ad deosculandum sed etiam ad videndum sacra stigmata Iesu Christi, que Sanctus Franciscus portabat in corpore suo. Quis enim hec videns fletui et non magis gaudio esset intentus? Et si fleret, non magis pre letitia quam pre dolore id faceret? Cuius tam ferreum pectus non moveretur ad gemitum? Cuius tam lapideum cor non exscinderetur ad compunctionem? Non accenderetur ad divinum amorem? Non armaretur ad divinam voluntatem? Quis tam hebes, tam insensibilis, qui manifesta non cognosceret veritate, sanctum istum sicut singulari munere honoratum meritis, sic inneffabili gloria magnificatum fore in celis? O singulare donum et prerogative dilectionis inditium, hiisdem glorie armis militem adornari, que soli regi excellentissima dignitate conveniunt!

Assisii ad S. Damianum die 7 apr. 1907.

P. Theophilus Domenichelli, O. F. M.

licitus, cum hec intueretur, et sancti cognosceret exitum propinquare, dixit ad eum: « Benigne pater, heu, absque patre iam remanent filii et oculorum privantur lumine vero. Recordare igitur orphanorum quos deseris, et omnibus culpis remissis, tam presentes, quam absentes, omnes tua sancta benedictione letifica ». Ad quem sanctus: « Ecce, inquit, ego vocor a Deo, fili: fratribus meis tam absentibus quam presentibus offensas omnes et culpas remitto, et eos sicut pòssum absolvo, quibus tu hec denuncians, ex parte mea omnibus benedices ». Iussit denique codicem evangeliorum portari et evangelium secundum Johannem sibi legi poposcit, ab eo loco ubi dici incipit: « Ante sex dies Pasce, sciens Jhesus quod venit hora ut transeat ex hoc mundo ad patrem ». Hoc etiam [CCLXIr.b:] evangelium legere proposuerat sibi minister, priusquam ei preciperetur: hoc, etiam in prima libri aperitione occurrit, cum tota et plena bibliotheca esset, in qua hoc evangelium legi debebat. Iussit namque proinde se supponi cilicio et conspargi cinere, qui terra et cinis mox erat futurus.

Lectio VI. — Convenientibus itaque multis fratribus, quorum ipse pater et dux erat, reverenterque adstantibus et expectantibus omnibus, exitum beatum et consummationem felicem, sanctissima illa anima carne soluta est, que in habysso claritatis absorta, corpus obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis eius, fama non modicum celebris, cuius nomen nunc existimo reticendum, quoniam dum vivit in carne non vult tanto preconio gloriari, vidit animam sanctissimi patris, recto tramite in celum conscendere super aquas multas. Erat enim quasi stella, quodammodo lune immensitatem habens, solis vero uteumque retinens claritatem, ascendere subnecta nubecula. Libet propterea de ipso sic exclamare: O quam gloriosus est iste sanctus, cuius animam vidit discipulus in celum ascendere, pulcram ut luna; electa ut sol, in nube candida cum ascenderet, gloriosissime rutilabat. Quare mundi lucerna, sole splendidior, lucens in Christi ecclesia, ecce iam lucis tue radios subtraxisti et in illa luminosa patria secedens, pro nobis miseris (1), angelorum et sanctorum frequentiam commutasti. O insignis preconii almitas gloriosa, noli filiorum te cura exuere, licet exutus iam sis consimili carne. Nosti, revera nosti, in quanto nos discrimine positos reliquisti, quorum labores innumeros et frequentes angustias sola tua praesentia felix omni bono misericorditer relevabat.

Lectio VII. — O vere misericors pater sanctissime, qui peccantibus filiis miserere semper et parcere benigne paratus eras, tibi ergo benedicimus digne pater, cui benedixit altissimus, qui semper est Deus super omnia benedictus. Factus est propterea concursus populorum multorum laudantium Dominum ac dicentium: Laudatus et benedictus tu, Domine, Deus noster, qui nobis indignis tam pretiosum depositum comodasti. Laus et gloria sit tibi, trinitas inneffabilis. Catervatim tota civitas Assisii ruit, et omnis accelerat regio videre magnalia Dei, que in servo sancto suo gloriose ostendit Deus maiestatis. Unusquisque autem cantabat canticum letitie, prout cordis gaudium suggerebat et de adimpleto desiderio benedicebant universi omnipotentiam Salvatoris. Verumtamen filii lamentabantur tanto Patre orbati, et pium cordis affectum lacrimis et suspiriis ostendebant. Sic temperabat mestitia gaudium inauditum, et miraculi novitas eorum mentes in stuporem maximum convertebat. Versus est luctus in canticum et ploratus in iubilationem. Numquam enim audierant nec legerant in Scripturis, quod oculis monstrabatur, quod et persuaderi vix potuisset eis, si non tam evidenti testimonio probaretur.

Lectio VIII. — [CCLXI v. a.] Resuscitabatur revera in eo forma crucis et passionis agni inmaculati, qui lavit crimina mundi. Dum quasi recenter de cruce depositus videretur, manus et pedes clavis confixos habens et dex-

(1) Codex loco *miseris* habet *in sanctis*.

trum latus quasi lancea vulneratum. Intuebantur namque carnem illius, que nigra fuerat prius, candore nimio renitentem, ex sui pulchritudine beate ressurrectionis premia pollicentem. Cernebant denique vultum eius, quasi vultum angeli, quasi viveret, non sicut mortuus esset, et cetera membra eius conversa in teneritudinem et habilitatem innocentie puerilis. Non sunt contracti nervi eius, ut mortuorum solent, non indurata cutis, non rigida effecta sunt membra, sed huc atque illuc vertentia se, veluti ponebantur. Cumque tam mira pulchritudine cunctis cernentibus resplenderet, et caro eius splendidior esset effecta, cernere mirabile erat in medio manuum et pedum eius non clavorum quidem puncturas, sed ipsos clavos ex eius carne compositos, ferri retenta nigredine, ad dextrum latus sanguine rubricatum. Non incutiebant horrorem mentibus intuentium signa martirii, sed decorem multum conferebant et gratiam, sicut in pavimento albo nigri lapilli solent.

Lectio VIIII. — Accurrebant fratres et filii et collacrimantes deosculabantur manus et pedes pii Patris eos derelinquentis, nec non et dextrum latus, in cuius plaga illius memoria celebris agebatur, qui ex eo loco sanguinem et aquam pariter fundens mundum reconciliavit Patri. Maximum donum sibi exiberi credebat quivis de populo, si admittebatur non solum ad deosculandum sed etiam ad videndum sacra stigmata Iesu Christi, que Sanctus Franciscus portabat in corpore suo. Quis enim hec videns fletui et non magis gaudio esset intentus? Et si fleret, non magis pre letitia quam pre dolore id faceret? Cuius tam ferreum pectus non moveretur ad gemitum? Cuius tam lapideum cor non exscinderetur ad compunctionem? Non accenderetur ad divinum amorem? Non armaretur ad divinam voluntatem? Quis tam hebes, tam insensibilis, qui manifesta non cognosceret veritate, sanctum istum sicut singulari munere honoratum meritis, sic inneffabili gloria magnificatum fore in celis? O singulare donum et prerogative dilectionis inditium, hiisdem glorie armis militem adornari, que soli regi excellentissima dignitate conveniunt!

Assisii ad S. Damianum die 7 apr. 1907.

P. Theophilus Domenichelli, O. F. M.

TESTIMONIA MINORA
SAECULI XIII DE S. P. FRANCISCO

A. — *S. Franciscus in Chronicis saeculi XIII.*

Post tot de legendis S. P. Francisci studia peracta inutile haud erit, ad testimonia minora saeculo XIII de ipso prolata animos vertere, eaque recolligere, quae hoc saeculo chronistae, libri liturgici, legendaria, sermones, aliaque miscellanea de S. Francisco eiusque operibus notarunt. Plura apud ipsos inveniuntur, quae legendae maiores praetermiserunt. Magni etiam interest videre, quaenam de sancto Patre prae aliis memoriae tradenda censuerint, quidnam in ipso suisque discipulis praecipue populorum admirationem excitarit, quibus animis a mundo sint recepti, quomodo legendae ipsius pervulgatae et inter auctores diversos adhibitae fuerint, quaenam tandem inter hosce relatio exstet.

Incipimus a chronistis et auctoribus librorum historicorum, praetermittentes eos, qui — ut frater Iordanus a Iano vel frater Thomas de Eccleston — explicite de S. Francisco et ordine Minorum egerunt et satis noti sunt. Ad alium vero locum remittimus, quae ex chronicis ad chronologiam vitae S. Patris eruere licet.

Omnes fere chronistae saeculi XIII, data occasione, sancti Francisci mentionem fecerunt (1). Inter quos alii simpliciter institutionem ordinis Minorum, mortem sancti vel eius canonizationem adnotarunt; alii vero plura vel pauciora addiderunt, praesertim de ordine, praedicatione sancti Francisci, de « obedientia creaturarum » erga ipsum, de sacris stigmatibus, de obitu atque miraculis ab ipso patratis. Facile chronistas illos ad tres classes reducimus; vel sunt testes oculati vel sequuntur testimonia scripta vel exhibent famam popularem (2).

I. — *De testibus oculatis.*

1. Primo loco ponimus Thomam archidiaconum Spalatensem, qui in sua *Historia Salonitanorum* (3) relationem reliquit de sermone, quem S. Franciscus in urbe Bononiensi habuit.

---

(1) Magna ex parte illis egregie iam usus est cl. P. Suyskens S. I. in scribendo docto *Commentario praevio* ad vitam S. Francisci in *AA. SS.* (cfr. Oct. t. II n. 141, 145, 353, 357 etc.); nostris temporibus ad chronicas hasce praeprimis recurrerunt Sabatier, Böhmer ac Felder.

(2) Textus hoc loco exhibemus hodierno scribendi modo usi.

(3) Ed. Heinemann in *M. G. H. Scr.*, t. XXIX; cfr. ib. pag. 580.

« Eodem anno — agit de anno 1222 — in die assumptionis Dei Genitricis, cum essem Bononiae in studio, vidi sanctum Franciscum praedicantem in platea ante palacium publicum, ubi tota pene civitas convenerat. Fuit autem exordium sermonis eius: ‚Angeli, homines, daemones'; de his enim tribus spiritibus rationalibus ita bene et discrete proposuit, ut multis literatis, qui aderant, fieret admirationi non modicae sermo hominis idiotae; nec tamen ipse modum praedicantis tenuit, sed quasi concionantis. Tota vero verborum eius discurrebat materies ad extinguendas inimicitias et ad pacis foedera reformanda. Sordidus erat habitus, persona contemptibilis et facies indecora; sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, ut multae tribus nobilium, inter quas antiquarum inimicitiarum furor immanis multa sanguinis effusione fuerat debachatus, ad pacis consilium reducerentur. Erga ipsum vero tam magna erat reverentia hominum et devotio, ut viri et mulieres in eum catervatim ruerent, satagentes vel fimbriam eius tangere aut aliquid de panniculis eius auferre ».

Thomas Spalatensis hisce ea confirmat, quae Celanensis (cfr. I. Cel. 36) aliique de magna S. Francisci fama retulerunt, et notatu digna de materia sui sermonis eiusque modo concionandi indicavit (1). Franciscum dicit « non modum praedicantis sed quasi concionantis » tenuisse; quae verba a Du Cange aliisque haud distincta, secundum Felder insinuant, ipsum non secundum regulas methodumque scholae, sed ex plenitudine cordis elocutum esse.

2. Magni pretii sunt ea, quae auctor *Legendae de passione sancti Verecundi militis et martiris* a duobus testibus oculatis de S. Francisco excepit nobisque tradidit (2).

« (n. 6) Circa novissima — ait — beatus Franciscus pauperculus in monasterio beati Verecundi (3) saepius hospitabatur, quem devotus abbas et monachi gratiose recipiebant. Ibi miraculum fecit de sue, quae agnum edidit (4). Et circa ipsum monasterium beatus Franciscus fecit capitulum tercentum Fratrum primorum, et abbas et monachi gratiose, sicut potuerunt, necessaria dederunt. Fuit ibi copia panis hordacei, siliginis, surcaceris, miliacei, aqua limpida in potum et vinum malorum pro debilioribus linphatum, sicut antiquissimus dominus Andreas, qui ibi interfuit, testabatur, et fuit ibi copia fabarum et leguminum.

« (n. 7) Beatus Franciscus ex maxima carnis maceratione, nocturnis vigiliis, orationibus et ieiuniis consumptus ac debilitatus, cum ambulare non posset, et praecipue, postquam fuit insignitus vulneribus Salvatoris, pedester incedere non valens, portabatur asello; et cum quodam sero iam nocte transiret cum fratre socio per viam S. Verecundi asello equitans et sacco rudi amictus humeros et circa scapulas, laboratores agrorum vocabant eum dicentes: ‚Frater Francisce, mane hic nobiscum et noli ultra pergere, quia lupi ferales hic discurrunt, qui asellum tuum comedent et laedent vos'. Tunc beatus Fran-

(1) De quibus plura apud Felder, *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden* (Friburgi Brisg. 1904), pag. 44 sq.
(2) Ed. Faloci in *Miscell. Francesc.* t. X. pag. 6 et 7.
(3) Prope Eugubium.
(4) Cfr. S. Bonaventura, *Legenda maior*, c. 8. n. 6.

ciscus dixit: ‚ Nihil nocui fratri lupo, ut fratrem nostrum asellum audeat devorare. Valete, filii, et Deum timete ‘. Et sic frater Franciscus pertransivit illaesus. Haec nobis retulit agricola, qui praesens fuit ».

Capituli illius, quod S. Franciscus hic apud Eugubium celebrasse refertur, nullam mentionem legendae antiquae fecerunt; ex verbis « tercentum fratrum primorum » illud primis temporibus attribuendum censemus. Quae vero de « fratre lupo » dicuntur, credimus substantiam dedisse pulcherrimo illi capiti *Actuum* 23: « De lupo ferocissimo per sanctum Franciscum reducto ad magnam mansuetudinem (1) ». Notamus tandem novum testimonium impressionis stigmatum, quod verba haec exhibent.

3. Inter testes oculatos enumerare licet etiam officialem Gregorii IX, qui vitam illam huius pontificis conscripsit, quam cl. Muratori « ex manuscriptis cardinalis Aragoniae » edidit (2). Postquam vita Hugolinum episcopum Ostiensem ordinatum retulit, de ipso pergit dicens:

« Cuius officii tempore poenitentium et dominarum inclusarum novos instituit ordines et ad summum usque provexit. Minorum etiam ordinem intra initia sub limite incerto vagantem novae regulae traditione direxit et informavit informem, beatum Franciscum eis ministrum praeficiens et rectorem, quorum eodem rigante ad eos limites incrementa venerunt, ut praebente divina potentia per singulos orbis terminos eorum venerando consortio vix viculus reperiatur immunis. Praeter illa quidem mira existimatione notanda, quae fratrum necessitatibus pia liberalitate concessit, dominabus eisdem in urbe monasterium unum, scl. monasterium sancti Cosmae (3), in Lombardia, in Tuscia, impensis innumeris et ministerii sui subventione construxit, providendo postmodum necessitatibus singulorum; eas etiam, quae suae praedicationis studio divinitus inspirante, parentibus dimissis et patria, nec lacrimis emollitae natorum, mundi superbiam et temporales divitias commutaverant in paupertatis extrema et in asperae lanae mordentes aculeos vestis pretiosae contextum, post summi pontificii solium colligebat ut filias, venerabatur ut matres, ipsarum indigentiam uberioribus auxiliis prosecutus » (l. c. pag. 575).

Post pauca auctor ad S. Franciscum rediens pergit:

---

(1) Alii relationem de lupo mansuefacto allegorice explicandam voluerunt: cfr. ex. gr. *Miscell. Francesc.*, t. X pag. 35, et Sabatier, qui de cap. 66. *Speculi* « Qualiter docuit quosdam fratres lucrari animas quorundam latronum per humilitatem et caritatem » dicit: « La fameuse histoire du loup de Gubbio n'en est guère que la transposition en langage poétique et populaire » (Speculum perfectionis, pag. 126 not. 1). Tamassia vero in illa legenda invenire voluit « frammenti gregoriani e pregregoriani »; cfr. Tamassia, *S. Francesco d' Assisi e la sua leggenda* (Patavii 1906), pag. 203-212. Cfr. etiam Terracini, *Appunti su alcune fonti dei « Fioretti »* (in *Bulletino critico di cose francescane*, an. II pag. 22).

(2) *Scriptores Rerum Italicarum*, t. III. pag. 575-587.

(3) Cfr. breve Gregorii IX « Quia illos vere diligimus » de 5 iulii 1233 aliudque ipsis « Quoties a nobis petitur » de 9 augusti 1238 (Bull. Franc., t. I pag. 112 et 249). — Post verba « in Lombardia » et « in Tuscia » aliquid deesse videtur; in codice *Arm. XV. n. 1.* archivi vaticani, in quo vita exstat fol. 415 seqq., hoc loco habentur lacunae. Quem codicem cum codice 228 bibl. Riccardianae pro hoc textu edendo adhibuimus.

« Tunc autem beatus Franciscus in civitate Assisii quasi novum sidus in ecclesiae firmamento miraculorum claritate fulgebat; quibus per diligentem inquisitionis indaginem ex veridica testium relatione probatis sanctissimus papa Gregorius de patrum consilio perrexit Assisium, ubi IV nonas octobris anno sui praesulatus secundo cum venerabilium cardinalium et praelatorum diverso collegio pretiosis ornatus cum palmis et cereis de mundi partibus multitudine populi congregata post sermonis profundi decursum, cuius tale sumpsit exordium: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi sol lucens in diebus suis, sic iste fulsit in domo Domini* (1), post miracula recitata et prudenter exposita praesul beatissimus profusis lacrimis beatum Franciscum Crucifixi ministrum, cuius corde ac corpore stigmatum portavit vestigia, decrevit in sanctorum catalogo adnotandum, ac post triduum Perusium est reversus » (l. c. pag. 576).

Quae magni sunt momenti. Primordia praesertim ordinis clara luce illustrant et magnam Hugolini partem in stabiliendo ordine novello et condenda regula diserte manifestant, at simul exaggerant verbis « beatum Franciscum eis ministrum praeficiens ». Quod Hugolinus « dominarum inclusarum instituit ordinem », apud alios quoque auctores coaevos habetur; « ordinem sancti Damiani — inquit ex. gr. Urbanus IV (2) — almus Christi confessor beatus Franciscus et fel. rec. Gregorius papa IX in agro ecclesiae plantaverunt ». Vita nostra vero primum memorat actiones Hugolini in instituendo ordine poenitentium (3), quas ob alia argumenta historici iam dudum indicaverant (4). Ut clarius testimonii valor patescat, vitae auctorem inspiciendum censemus.

Vita est anonyma; ast non desunt vestigia auctoris. Facile cognoscitur esse scripta ab homine, qui ipsi pontifici fuit familiaris; Fabre et Marx (5) auctorem inter clericos camerae apostolicae optime quaesiverunt. « Comme dans les Vies du XII siecle — ait Fabre — une grande importance y est donnée à toutes les acquisitions, à tous les établissements, à toutes les constructions du pape, c'est à dire à tout ce qui relève de la Chambre ». Porro auctor clare se Campanum prodit, de Frederico II scribens: « Campaniae fines aggreditur, exterminium patriae comminatur ». Reapse invenitur inter officiales Gregorii IX notarius quidam ex Campania oriundus: « Ioannes de Campania subdiaconus et notarius noster », « de quo loquitur Gregorius IX in epistola sub die 30 Octobris 1240 (6) ». Estne ille, cui

(1) Eccl., c. 50 v. 6 et 7. Cfr. I Cel. 125.
(2) « Licet ex iniuncto », de 14 iulii 1263 (Bullarium Franc., t. II p. 474).
(3) Nomen « poenitentium fratrum » pluries alumnis tertii ordinis S. Francisci datur; cfr. breve Gregorii IX « Ut cum maiori » de 21 nov. 1234 (Bullarium Franc., t. I pag. 142).
(4) Cfr. Schnürer, *Franz von Assisi* (München 1905), pag. 106. — Idem testatur Bernardus de Bessa, *Liber de laudibus B. Francisci*, c. 7. (ed. in *Analecta Franciscana* pag. 686, ed. P. Hilarini a Lucerna pag. 75).
(5) Cfr. *Mélanges d'Archéologie et d'histoire*, t. VI (1886) pag. 154, et Marx, *Die vita Gregorii IX. quellenkritisch untersucht* (Berlin 1889), pag. 14-20.
(6) Cfr. *Legenda brevis S. Francisci nunc primum edita curante P. Eduardo Alinconiensi* (Romae 1899), pag. 4.

Bernardus de Bessa vitam S. Francisci attribuit dicens: « Beati Francisci vitam scripsit vir venerabilis, dominus Ioannes, apostolicae sedis notarius (1) »? Rationibus internis hanc de uno eodemque utriusque vitae auctore opinionem non plane comprobare possumus, quum vitae S. Francisci nonnisi paucae partes habeantur; attamen praetermittere nolumus, quod in hisce plura verba parum frequentia leguntur, quae pariter exstant in vita illa Gregorii IX; utraque ex. gr. vita loquitur de tunica « lanae mordentis (2) ». Quodsi addiderimus, ipsis etiam vitam antiquam S. Elisabeth Thuringiae: « Vas admirabile, opus Excelsi (3) » pluries concordare, jam dedimus argumenta opinionis, quae nos saepe arridet: Vita illa Gregorii IX, vita S. Francisci: « Quasi stella matutina », vita S. Elisabeth: « Vas admirabile, opus Excelsi » eundem habent auctorem, notarium illum Ioannem. Duas ultimas pro ipsa canonizatione scriptas esse putamus. Ast alias plura hac de re!

Vitam Gregorii IX auctor conscripsit anno circiter 1240: unde explicantur quaedam minus accurate dicta; canonizationem ex. gr. S. Francisci die 4 octobris peractam dicit.

4. Inter auctores contemporaneos tandem nominandos adhuc censemus Richardum de S. Germano et illos scriptores, qui de bello sacro 1219 suscepto egerunt.

Richardus de S. Germano, notarius regni Siciliae, defunctus anno 1243, in *Chronica regni Siciliae* (4) ad annum 1228 meminit canonizationis S. Francisci hisce utens verbis:

> « Gregorius papa mense iulii de Perusio vadit Assisium, ubi fratrem Franciscum, Minorum fratrum ordinis inventorem, propter duo quae fecerat miracula in aperto, in caeco videlicet uno et claudo, quibus visum et gressum reddiderat, canonizavit (5) ».

Plures deinde scriptores itineris recordantur, quod sanctus Franciscus 1219 ad soldanum Aegypti suscepit. De hoc loquuntur Ernoul, qui Gulielmi Tyrii *Belli sacri historiam* continuavit, Bernarnardus Thesaurarius, cuius est *Liber de acquisitione Terrae Sanctae,* ac alia continuatio dicti Gulielmi, quae a suo exordio *L'Estoire de Éracles* vocatur (6). Qui ultimus refert: « Saint Francois vint en l'oste de Damiate et demora tant que la ville fu prise... et fu une piece

---

(1) L. c. pag. 666 ed. in Analecta, pag. 2. ed. P. Hilarini.

(2) *Legenda brevis*, pag. 9.

(3) Edidimus in *Mittheilungen des Historischen Vereins der Diözese Fulda*, an. IV (Fuldae 1901) pag. 8-12.

(4) Ed. Pertz in *M. G. H. Scr.*, t. XIX: cfr. pag. 350.

(5) Haud eruere possumus, de quibus miraculis sit sermo. In suo *Tractatu de miraculis* (n. 119) Celanensis memorat miraculum in caeco sanato patratum « in Campania », patria Richardi.

(6) Quae testimonia collegit P. Hieronymus Golubovich O. F. M. in utilissimo suo opere « *Biblioteca Bio-Bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente Francescano* », t. I (Quaracchi 1906); cfr. pag. 10-14.

en Surie ». Nihil scimus de loco, ubi auctor scripsit, eiusque fontibus. Verba proinde « en Surie » nimis ambigua sunt; unde notissimam illam quaestionem, num S. Franciscus loca sancta Ierosolymorum adierit, nondum plane decidere possunt. Ex verbis « demora tant que la ville fut prise » deducit Fischer (1), S. Franciscum post expugnatam civitatem ex Aegypto mox abiisse. — Pulcherrima testimonia, quae de S. Francisco primisque fratribus reliquit Iacobus Vitriacensis, alio loco ponentur (2).

5. Nota est similitudo, quae habetur inter initia operis Valdesii Lugdunensis ordinisque Minorum; immo haud defuerunt scriptores, qui rationibus quidem minime suffulti sanctum Franciscum prioris imitatorem fuisse voluerunt. Quam similitudinem iam in ipsis initiis chronistae notarunt. Burchardus O. Praem. praepositus Urspergensis († 1230) de ipsa in suo *Chronicon* loquitur, at bene differentiam utriusque operis indicat et causam, unde prius haereticum evasit, alterum vero tot ecclesiae fructus protulit.

« Eo tempore, inquit Burchardus (3), mundo iam senescente exortae sunt duae religiones in ecclesia, cuius ut aquilae renovatur iuventus, quae etiam a sede apostolica sunt confirmatae, videlicet Minorum fratrum et Praedicatorum. Quae forte hac occasione sunt approbatae, quia olim duae sectae in Italia exortae adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Luduno se nominabant; quos Lucius papa quondam inter haereticos scribebat (4), eo quod superstitiosa dogmata et observationes in eis reperirentur; in occultis quoque praedicationibus, quas faciebant plerumque in latibulis, ecclesiae Dei et sacerdotio derogabatur. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Luduno, apud sedem apostolicam cum magistro suo quodam, ut puto, Bernhardo (5); et hi petebant sectam suam a sede apostolica confirmari et privilegiari. Sane ipsi dicentes, se gerere vitam apostolorum, nihil volentes possidere aut locum certum habere, circuibant per vicos et castella. Ast domnus papa quaedam superstitiosa in conversatione ipsorum eisdem obiecit, videlicet quod calceos desuper pedem praecidebant et quasi nudis pedibus ambulabant; praeterea cum portarent quasdam cappas quasi religionis, capillos capitis non attondebant nisi sicut laici; hoc quoque

(1) Fischer, *Der heilige Franziskus von Assisi während der Iahre 1219-1221* (Friburgi Helv. 1907), pag. 27. Idem tenet Sabatier, *Vie de S. François*, pag. 263. Golubovich e contra, in opere iam citato pag. 95, et Böhmer, in *Analecten zur Geschichte des Franciscus von Assisi* (Tubingae 1904), pag. 126, tenent S. Franciscum in Aegypto usque ad martium anni 1220 remansisse.

(2) Cfr. Golubovich l. c. pag. 2-10.

(3) In *M. G. H. Scr.*, t. XXIII (edd. Abel et Weiland) pag. 376.

(4) Anno 1184. Cfr. decretum ipsius « Ad abolendam » (c. 9. X. de haereticis V. 7), quo dicit: « In primis ergo Catharos et Patarinos et eos, qui se Humiliatos vel Pauperes de Lugduno falso nomine mentiuntur..., perpetuo decernimus anathemati subiacere ». Loquitur Burchardus de illis ordinis Humiliatorum asseclis, qui in Lombardia Waldensibus adhaeserant, non vero de ordine Humiliatorum generatim; quod voluit Sabatier, *Vie de S. François*, pag. 267 not. 1. Cfr. Felder l. c. pag. 41.

(5) De quo loquitur Innocentius III in epistola infra citata.

probrosum videbatur in eis quod viri et mulieres simul ambulabant in via et plerumque simul manebant in domo una, et de eis diceretur, quod quandoque simul in lectis accubabant; quae tamen omnia ipsi asserebant ab apostolis descendisse.

Ceterum domnus papa in loco illorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant Pauperes Minores, confirmavit, qui praedicta superstitiosa et reprobrosa respuebant, sed praecise nudis pedibus tam aestate quam hieme ambulabant et neque pecuniam nec quidquam aliud praeter victum accipiebant, et si quando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat; non enim quidquam petebant ab aliquo. Hi tamen postea attendentes, quod nonnumquam nimiae humilitatis nomen gloriationem importet et de nomine paupertatis, cum multi eam frustra sustineant, apud Deum vanius inde gloriantur, maluerunt appellari Minores Fratres quam Minores Pauperes, apostolicae sedi in omnibus obedientes ».

Verba haec magni sunt momenti pro cognoscendis moribus primorum fratrum. Tempus, quo auctor fratres vidit, ex ipsa hac relatione coniicere licet. Burchardus testatur, se Romae vidisse « magistrum Bernhardum »; quem Bernardum Primum Romae esse moratum anno 1210, apparet ex bulla Innocentii III: « Cum inaestimabile pretium » de 14 iunii 1210 (1). Huius sui itineris occasione Burchardus fortasse Fratres Minores vidit eorumque mores inspexit. Nomen illud primum « Pauperes Minores » apud alios scriptores haud memoratur.

6. Alius eiusdem ordinis Praemonstratensium chronista nobis affectus pandidit, quibus antiquiores religiosi novellos consodales exceperunt. *Chronicon Montis Sereni* dioecesis Magdeburgensis (— 1225) (2) ad annum 1224 (3) narrat:

« Duo novae conversationis ordines in provincia et praecipue in ipsa civitate Magdeburgensi haberi coeperunt, unus eorum, qui Sanctos Praedicatores se nominant, alter eorum, qui Minores Fratres appellantur; de quibus ferunt, quod ante hoc tempus viginti annis instituti et ab Innocentio papa fuerint confirmati. Et prior quidem clericorum tantum est; sequens vero et clericos et laicos recipit, quem dicunt ab institore quodam principium accepisse. Quid autem est huiusmodi novitatum introductio nisi quaedam exprobratio neglectae et otiosae conversationis eorum, qui in ordinibus constituti sunt, in quibus ecclesia primitus est fundata? Denique beatissimi Augustinus et Benedictus, qui ita docuerunt ut vixerunt, ad quantum sanctitatis culmen ex sua conversatione pervenerint notum est, quorum praeceptis si quis obedientiam servare voluerit, nullis novis institutionibus videbitur indigere. Nam si eisdem novis institutionibus sanctitas quaeritur, illa posset sufficere, ad quam praedicti patres sanctissimi secundum suas vivendo regulas pervenerunt. Non enim facile credi potest, quod quisquam vel ex ordine sanctorum Praedicatorum vel

(1) Cfr. Migne. *P. L.* T. 216 col. 289.
(2) In *M. G. H. Scr.*, t. XXIII (ed. Ehrenfeuchter); cfr. ib. pag. 220.
(3) Secundum Iordani Chronicam Fratres Minores 1223 Magdeburgum venerunt (**Analecta Franciscana, t. I. pag. 12**).

Minorum Fratrum Augustino vel Benedicto sanctior sit futurus. Absit autem, ut quorumlibet bonis studiis derogando haec dixerim, sed quia dolendum et valde dolendum est, quod primitivi ordines ex eorum, qui eosdem professi sunt, inordinata conversatione ad tantum deducti sunt contemptum, ut saeculo renuntiare volentibus ad salutem sufficere non credantur. Si enim posse sufficere putarentur, numquam novi alii quaererentur ».

Verba « Prior clericorum tantum est » haud probant inter Praedicatores laicos omnino defuisse (1); ast pauciores fuerunt, nec ad officia et munera vel ad sermocinandum admissi; unde oculos hominum effugerunt. Inter Fratres Minores vero primis temporibus clericos numero superabant, immo munera quaeque exercuerunt usque ad tempora fratris Haymonis, qui « laicos ad officia ordinis inhabilitavit, quae usque tunc ut clerici exercebant (2) ».

7. Alii chronistae ea notarunt, quae magis eorum attentionem excitaverant. Auctor *Chronici Erici Regis* (3) in frigidis Daniae regionibus scribens ad annum 1232 admiratus refert: « Eodem anno Fratres Minores nudis pedibus Daciam intraverunt ». Albericus vero Cisterciensis notat (4), quod Minores « habent propriam regulam, quam beatus Franciscus cooperantibus viris religiosis et peritis edidit; et morem legendi et psallendi secundum ritum ecclesiae Romanae. Superiorem habent, quem ministrum generalem appellant ». Plures deinde memoratu dignum putarunt, quod fratres Minores « edebant et bibebant, quae apud illos erant, quibus officium praedicationis impendebant », « nihil sibi ultra noctem reservantes iuxta illud: *Nolite esse solliciti* (5) ».

Reliqui chronistae, qui S. Francisci eiusque ordinis saeculo XIII mentionem fecerunt, in suis memoriis consignandis praeter propriam experientiam aliorum librorum testimonia adhibuerunt; de quibus iam agemus in parte sequente.

---

(1) Cfr. Felder, *Geschichte der wissenschaftlichen Studien*, pag. 69 not. 3.

(2) *Chron. XXIV ministrorum generalium* (in *Analecta Franciscana*, t. III), pag. 251.

(3) Chronicon hoc (— 1288), quod etiam vocatur *Annales Ryenses*, edidit Langebek in *Scriptores rerum Danicarum*, t. I. (Hafniae 1772): cfr. ib. pag. 166.

(4) Albericus monachus Trium Fontium (Trois — Fontaines prope Châlons — sur — Marne in Gallia) scripsit *Chronicon* (— 1241), quod praeter alios edidit Scheffer — Boichorst in *M. G. H. Scr.* t. XXIII; cfr. ib. pag. 888. — Ibidem pag. 922 ad an. 1228 refert: « In Tuscia apud Assisium... facta est canonisatio beati Francisci... Quidam autem de isto ordine, qui publice quasdam haereses Parisiis praedicaverat, captus fuit et incarceratus ». Albericus, mortuus post 1252, loqui videtur de fr. Gerardo a Borgo San Donnino, de quo cfr. Salimbene, *Chronica* (ed. Parmensis) pag. 102.

(5) Ita Rogerus de Wendover et Matthaeus Paris, de quibus infra; cfr. *M. G. H. Scr.*, t. XXVIII pag. 42 et 397. Idem refert Iacobus Vitriacensis in sua *Historia orientali* (apud Böhmer l. c. pag. 103 et Golubovich l. c. pag. 9). Cfr. *Speculum perfectionis* (ed. Lemmens c. 25; ed. Sabatier c. 19) et S. Bonaventura, *Determinationes quaestionum*, pars I. qu. 8 (ed. ad Claras Aquas, t. VII. pag. 342).

II. — *De chronistis, qui sequuntur testimonia scripta.*

Secundum diversos, ex quibus hauserunt, fontes illos ad diversas classes reducere possumus.

1. Regulam Fratrum Minorum adhibuit auctor *Chronici Normanniae,* qui de papa Honorio tertio loquens refert (1):

« Huius temporibus ordo Minorum de partibus Lombardiae venit, cuius institutor fuit quidam, qui vocabatur Franciscus civis Assisii, fratribus regulam componens ac praecipiens, ut *fratres nec domum nec locum nec aliquam rem sibi appropriarent, sed tamquam peregrini et advenae in paupertate et humilitate in hoc saeculo* (2) discurrerent circumquaque. Cuius regulam praedictus Honorius confirmavit. Eodem tempore ordo Iacobitarum a quodam, qui Dominicus vocatus est, inventus de Hispaniae partibus super terram ascendit, qui sibi postmodum nomen imposuerunt Praedicatorum. Isti duo ordines cum magno gaudio propter conversationis novitatem ab ecclesia et populo sunt recepti, et ubique coeperunt praedicare nomen Christi. Ad quorum ordines multi nobilium et iuvenum sophistarum propter novitatem insolitam transierunt, in tantum, quod in pauco tempore terram repleverunt, ut vix civitas aut castrum famosum posset inter christianos reperiri, in quo praedicti ordines loca sibi non aedificassent, eligentes in hominum multitudine conversari ».

Ultimis hisce verbis auctor differentiam exhibet, quae fuit inter novos religiosos et ordines antiquos, qui loca solitaria, montes vallesque inhabitabant.

2. Officium S. P. Francisci adhibuerunt duo chronistae ordinis Minorum: *Minorita Erphordiensis* (3) et auctor chronici, quod vocatur *Flores temporum* (4). Uterque ex. gr. in narranda sacrorum stigmatum impressione utitur antiphona ad *Benedictus* (5). Prior refert:

« Anno Domini 1224 beatus ille servus Dei Franciscus *contuens in aere Seraphim in cruce positum ex tunc in palmis, latere et pedibus effigiem plagarum Christi* tulit (6) ».

3. Legendam primam fr. Thomae de Celano sequuntur *Annales Wawerleienses* (7) in referenda morte S. Francisci et Albertus Stadensis (8), ubi narrat ipsius canonizationem.

---

(1) Vel *Annales Normannici* (— 1259); ed. Holder-Egger in *M. G. H. Scr.*, t. XXVI; cfr. ib. pag. 514 et 576.

(2) Reg. c. 6.

(3) *Chronica minor auctore Minorita Erphordiensi* (— 1261); ed. Holder-Egger in *M. G. H. Scr.*, t. XXIV.

(4) *Flores temporum* (— 1292); ed. Holder-Egger in *M. G. H. Scr.*, t. XXIV.

(5) Cfr. Felder, *Die liturgischen Reimofficien auf die hl. Franciscus und Antonius* (Friburgi Helv. 1901), pag. 123.

(6) L. c. pag. 197.

(7) In *Recueil des historiens des Gaules et de la France*, t. XVIII. Cfr. ib. pag. 210: « Hoc anno miraculis coruscavit » etc.; quae verbotenus leguntur I Cel. 80.

(8) Scripsit *Chronicon* vel *Annales Stadenses* (— 1256); ed. Lappenberg in *M. G. H. Scr.*, t. XVI. Ib. pag. 360: « Papa Gregorius canonizavit beatum Franciscum sic dicens alta voce: ‚Ad laudem — celebrari' »; cfr. I Cel. 126.

4. Legendae minori fr. Thomae omnino adhaerent *Chronica Sialandica* (1) et Walterus Gisburnensis. Chronica illa narrat:

« Eodem anno sanctus Franciscus expletis XX annis, ex quo perfectissime adhaesit Christo, vitae mortalis compedibus absolutus quarto nonas Octobris die Dominico (2) feliciter migravit ad Christum.

Beatus iste de civitate Assisii ortus fuit. Tertio decimo conversionis suae anno ad partes Syriae pergit, festinat ad Soldanum, atteritur verberibus, lacessitur iniuriis, praedicat Christum, remittitur tamen ab infidelibus ad fideles. Columbina simplicitate plenus omnes creaturas ad Creatoris amorem hortatur; praedicat avibus, auditur ab eis, tanguntur ab ipso, nec nisi licentiatae redeunt. Duobus annis antequam spiritum coelo redderet, in visione Dei super se vidit Crucifixum, qui crucifixionis suae signa sic in eo evidenter expressit, ut crucifixus videretur et ipse. Consignantur manus, pedes et latus crucis charactere, resultant in ipso. Legitur idem servus Dei leprosos mundasse duos, de quibus unus paralyticus fuit, sed utriusque infirmitatis consecutus est sanitatem. Passiones etiam diversas patientes, quorum numerus ignoratur, Christi virtute sanavit. Ideo canitur de ipso in prosa sic: Salve decus pauperum etc. (3) ».

5. Walterus ille Gisburnensis suam narrationem de S. Francisco contexuit ex legenda illa minore et ex legenda secunda fr. Thomae de Celano; quod urgemus contra Liebermann, qui in edenda Walteri chronica (pag. 631 not. 2) ad hanc narrationem notat, illam ex fonte quodam ignoto fortasse desumptam; unde in errorem duxit Böhmer (l. c. pag. 129) et Felder (l. c. pag. 62 not. 9. et pag. 130 not. 3), qui vel « perditam recensionem » Celanensis, vel novum testimonium de cantico solis hoc loco viderunt (4). Refert Walterus:

---

(1) *Chronica Danorum et praecipue Sialandiae* (— 1282) habetur apud Langebek, l. c. t. II; cfr. ib. pag. 626.

(2) Accuratius dicit *Legenda minor:* « Die sabbati in sero feliciter migravit ad Dominum, sepultus in die Dominico ».

(3) 1. Salve decus pauperum,
In quo Christus iterum
Monstrat sua vulnera.

2. Signa probant te beatum,
Cuius ope sanitatum
Vaporant dulcedinem.

3. Quot sunt morbi, tot medelae,
Visus, gressus et loquelae
Praebes plenitudinem.

4. Crucem praefers specialem,
Nec in terris habet talem
Sanctus nec in patria.

5. Novi clavi lateris,
Vulnus novi sideris
Probant privilegia.

6. O Francisce, lux solaris,
Crucifixus singularis,
Iam cum Christo gloriaris
In choro coelestium.

Haec prosa neque in *Repertorio Hymnologico* Ul. Chevalier (Lovanii 1892) 1897 neque in eiusdem *Supplemento* (ibid. 1904). habetur.

(4) Walterus canonicus ord. S. Augustini in Gisburn (Yorkshire) scripsit *Chronica de gestis rerum Angliae* (— 1300), quam edidit Liebermann in *M. G. H. Scr.*, t. XXVIII. Primum (« Ordinem fratrum Minorum — Innocentius tertius confirmavit ») narratur fundatio ordinis verbis *legendae minoris,* praeter ea, quae inserit de domo fratrum iuxta Bononiam. Deinde sequitur mors S. Francisci (« Cum iam ad dies appropinquasset extremos » etc.); quae ad verbum fere habentur in *legenda secunda Celanensis,* p. III c. 139.

« Ordinem fratrum Minorum incepit beatus Franciscus in civitate Assisii, ubi et oriundus fuit. Qui cum audiret die quadam ea, quae Dominus discipulis suis ad praedicandum missis locutus est, statim ad universa servanda tota virtute consurgit; solvit calciamenta de pedibus, tunica una sed vili induitur et pro corrigia mutavit funiculum instituitque fratres iuxta eamdem civitatem Assisiam apud Sanctam Mariam de Portiuncula anno Domini 1206 pontificatus Innocentii tertii anno 14 (1); a quo et confirmatus est ordo ille.

Habuit etiam fratres in Ricardina iuxta Bononiam quibus contulerat mansiunculam dominus Accursius Magnus, qui fecit novam glossam in iure civili super omnia quinque volumina (2).

Istum beatum Franciscum multi nobiles et ignobiles, clerici et laici spreta saeculari pompa secuti sunt eius vestigiis inhaerentes, quos pater sanctus docuit evangelicam perfectionem implere, paupertatem apprehendere et per viam sanctae simplicitatis incedere. Scripsit praeterea evangelicam regulam sibi et suis fratribus habitis et habendis, quam dominus papa Innocentius tertius confirmavit.

Cumque iam ad dies appropinquasset extremos, longa infirmitate confectus super nudam humum poni se fecit et convocatis fratribus et singulis manus imponens omnibus simul in fine benedixit et instar coenae dominicae singulis panis buccellam divisit invitabatque, ut moris sui erat, omnes creaturas ad laudem Dei eique laetus occurrit et ad suum invitabat hospitium dicens: ‚Bene veniat soror mea mors!' Ad extremam igitur horam veniens dormivit in Domino anno eiusdem 1226, 4 die octobris ».

Legendam secundam fr. Thomae etiam sequitur Salimbene in sua *Chronica* plura verba S. Francisci referens (3).

6. Mortem vero ipsius refert verbis Legendae maioris S. Bonaventurae, dicens ad annum 1226: « *Transiit* beatus Franciscus *ex huius mundi naufragio* ad coelestia regna *die sabbati sero; et sepultus* est *die dominico* in civitate Assisii (4) ». Quae eadem verba habet Albertus Milioli in *Libro de temporibus et aetatibus* (5).

7. Vincentius Bellovacensis pro *Speculo historiali* excerpsit legendam, quam attribuunt fr. Iuliano. Ex ipso Bellovacensi vero

(1) Error ille est etiam apud Martinum Polonum (*M. G. H. Scr.*, p. XXII pag. 438), *Chron. XXIV Generalium* (Analecta Franciscana, t. III pag. 2), *Glassberger* (Analecta Franciscana, t. II pag. 4) aliosque plures. Cfr. Anal. Franc., t. II pag. 4 not. 5, ubi bene dicitur: « Amanuensis scripsit XIIII pro VIIII, mutando V in X, qui modus scribendi erroneus non raro in codicibus antiquis invenitur ». Innocentius III papa electus est anno 1198; quare annus 1206 est nonus sui pontificatus.

(2) De Accursio Magno cfr. Felder l. c. pag. 130 not. 3.

(3) Cfr. pag. 333 (ed. Parmensis): « Socio suo dixisse legitur: *Daemones sunt gastaldi Domini nostri, quos* ad exercitium hominum *destinavit.* Puto enim *quod idcirco gastaldos suos in nos permisit* irruere, *quia non bonam speciem praefert aliis mansio* nostra *in curia Magnatorum* »; cfr. II Cel. 61. Aliis verbis idem refertur in *Speculo perfectionis* (ed. Sabatier), c. 67 pag. 129.

(4) Ed. Parm. pag. 7, ed. Holder-Egger pag. 35. Cfr. *Leg. maior* c. 15 n. 6.

(5) Ed. Holder-Egger in *M. G. H. Scr.*, t. XXXI; cfr. pag. 505.

suas notitias de S. Francisco desumpserunt fr. *Franciscus Pipinus* (1) et fr. *Ioannes a Columna* (2), uterque ordinis Praedicatorum.

Quo modo omnes fere legendae S. Francisci saeculo XIII conscriptae apud chronistas huius saeculi nobis occurrunt, qui generatim ipsas ad verbum transcripserunt. Mentione speciali dignum videtur, quod nullibi adhibita est legenda, quam vocant « *Trium sociorum* » nec *Speculum perfectionis;* unde sententia commendatur opinans, hasce compilationes ante exitum saeculi XIII haud extitisse.

III. — *De his, qui exhibent famam popularem.*

Nonnulli chronistae ordinis sancti Benedicti in suis chronicis plura de sancto Francisco conscripserunt, quae apud alios antiquos auctores non leguntur ipsisque aperte contradicunt; unde non relationibus securis, sed famae populari et « rumoribus incertis » inniti videntur.

Rogerus de Wendover, monachus abbatiae S. Albani, defunctus 1236, in suam *Chronicam* inseruit maiorem vitam S. Francisci (3); quam paulo post paucis mutatis in sua *Chronica Maiora* transumpsit eiusdem abbatiae monachus notissimus, Matthaeus Paris (4). Alius huius classis chronista est Richerus monachus Senoniensis in Gallia, qui scripsit *Gesta Senoniensis ecclesiae* (—1264), quae pariter plura de S. Francisco referunt (5).

Rogerus refert, Franciscum fuisse « generis nobilitate praeclarum », eumque « theologicis disciplinis ab aetate tenera incubuisse (6) »; Richerus vero dicit, quod pater ipsius « eundem causa mercimonii ad partes Franciae frequenter mittere solebat ». Quae aliis legendis minime conveniunt. Rogerus deinde narrat, quod papa Innocentius beatum Franciscum, quando regulam approbandam obtulit, ad porcos misit. Nec Celanensis nec S. Bonaventura huic relationi aperte contradicunt; immo in illo additamento, quod fr. Hieronymus, S. Bonaventurae successor, in ipsius legendam inseruit, legimus, quod papa « Christi famu-

(1) *Chronici* sui (— 1314) partes, quae de S. Francisco agunt, edidit Faloci in *Miscellanea Franc.*, t. VII pag. 173-178. — Bertoni, *Sopra un codice dello Speculum Historiale di Vincenzo di Beauvais* (in *Bullettino critico di cose francescane,* an. II pag. 19), cum Della Giovanna tenet Vincentium relationem de obitu S. Francisci ex legenda I Celanensis desumpsisse. Ast perperam; verba Vincentii omnino conveniunt fr. Iuliano (n. 69, in *Analecta Bollandiana,* t. XXI pag. 197); a legenda I Celanensis (n. 109) vero pluries discrepant.

(2) Scripsit *Mare historiarum*, ex quo plura excerpsit Waitz in *M. G. H. Scr.*, t. XXIV; cfr. ib. pag. 280.

(3) *Chronica* sive *Flores historiarum*, ed. in *Rerum Britannicarum medii aevi Scriptores*, N. 84; cfr. t. II pag. 328-333. — In *M. G. H. Scr.* t. XXVIII edidit Liebermann excerpta Rogeri et Matthaei Paris; inter quae omisit ea, quae de S. Francisco agunt.

(4) In eadem collectione N. 57; cfr. t. III pag. 135 sqq.

(5) Ed. Waitz in *M. G. H. Scr.*, t. XXV pag. 306.

(6) Cfr. Felder l. c. pag. 60.

lum tanquam ignotum repulit indignanter (1) ». Quare difficulter de hac narratione iudicium fertur. Sabatier dicit (2): « Le trait est d'un tour bien franciscain et doit avoir quelque base historique ».

Nota omnibus est oratio, quam fecit avibus S. Franciscus prope Bevanium. Celanensis nihil de ipsius occasione refert (3); S. Bonaventura (4) vero et *Actus* (5) addunt, quod illam habuit, postquam a fratre Silvestro et sancta virgine Clara voluntatem Dei de sua destinatione perceperat. Rogerus et Richerus etiam referunt orationem avibus habitam; sed aliam nominant occasionem. Secundum ipsos Franciscus se ad aves vertit, postquam incolae civitatis eum audire recusaverant; Richerus illud accidisse refert « ad quandam civitatem », Rogerus vero « in suburbio » Romae. Num hic error ipsorum adsit, an nova quaedam oratio habeatur, ignoramus. Praetermittere nolumus factum simile a legendis S. Antonii Patavini referri; quae dicunt hunc piscibus praedicasse, postquam haeretici verbum ipsius respuerant (6).

Alios errores Rogeri, quod v. gr. Franciscus Romae obiit, et quod « in suo oratorio » sepultus est, negligimus, ut ad suam de sacris stigmatibus narrationem transeamus. Secundum Rogerum stigmata apparuerunt quinto decimo die ante obitum S. Francisci, magnam excitarunt populorum admirationem, sanctus ipsa cum admonitione populis ostendit, tandem post mortem omnino disparuerunt. « Ex quibus — dicit optime Suyskens (7) — liquet, constitisse quidem ipsi de stigmatibus S. Francisco impressis, sed de tempore, modo ac reliquis miraculi adiunctis pessime fuisse instructum ». Sabatier vero dicit (8): « La notice contient presque autant d'erreurs que de phrases ». « Pour lui pardonner la fantaisie de ses longues pages sur saint François, on est obligé de penser qu'il devait ses renseignements à la relation verbale de quelque pélerin (9) ».

Nihilominus suam relationem hoc loco inserendam censuimus, cum plura de laboribus moribusque primorum temporum ordinis bene dicantur; quibus adhaerere haud dubitamus, cum haec ex propria experientia ab Angliae fratribus vidisse iure credatur (10). Refert Rogerus et ex ipso Matthaeus Paris l. c.:

---

(1) Cfr. *Legenda maior* (ed. ad Claras Aquas 1898), pag. 28 not. 1.
(2) *Vie de S. François*, pag. 111 in nota.
(3) I Cel. 58.
(4) *Legenda maior*, c. 12 n. 3.
(5) *Actus* (ed. Sabatier), c. 16 pag. 57.
(6) *Legenda Florentina* (ed. P. Lemmens in *Römische Quartalschrift*, 1902), pag. 411 et *La vie de Saint Antoine de Padoue par Iean Rigauld* (ed. P. Ferdinandus d'Araules, Bordeaux 1899), c. 8.
(7) *AA. SS.* t. II Oct. De S. Francisco, *Commentarius praevius*, pag. 653.
(8) *Vie de S. François*, pag. CXXV.
(9) Ibidem, pag. 408.
(10) Felder l. c. passim testimonium suum in medium ducit.

De morte fratris, qui ordinem Minorum primum instituit (1). — Circa dies istos (2) frater quidam de ordine Minorum, nomine Franciscus, qui illius ordinis fuerat institutor, in civitate Assisii coepit miraculis coruscare (3). De quo sic narratur contigisse. Erat autem Franciscus memoratus generis nobilitate praeclarus, sed tamen multo clarior morum probitate refulsit. Hic siquidem puerilibus annis simpliciter transactis coepit de mundi huius illecebris et rerum temporalium mutabilitate saepius mente revolvere et quam nulla sunt, quae temporaliter defluunt indesinenter pensare. Nam hoc didicerat in literis et theologicis disciplinis, quibus ab aetate tenera incubuerat usque ad notitiam perfectam, quo ordine rerum labentium mutabilitatem contemneret ac viribus totis ad coelestis regni desiderium suspiraret. Sed quod mente conceperat, ut liberius opere compleret, haereditatem paternam non modicam cum cunctis saeculi oblectamentis despiciens, cucullam et cilicium induit, calceamenta deposuit, in vigiliis carnem et ieiuniis maceravit; et ut spontaneam eligeret paupertatem, nihil omnino proprium habere decrevit; nec etiam ipsam refectionem carnalem, nisi quod de eleemosinis fidelium sub titulo reciperet caritatis; et si forte post tenuissimam refectionem aliquid superabundaret, nihil in crastinum reservans totum pauperibus erogavit. Vestitus etiam de nocte dormivit, mattam pro stratu cubiculi habuit, saccum capiti pro cervicali supposuit, cuculla solummodo et cilicio, quibus in die vestitus incessit, pro nocturnalibus operimentis contentus. Sicque in praeparatione Evangelii discalceatus incedens et vitam apostolicam amplectens diebus dominicis ac festivis in ecclesiis parochialibus et aliis fidelium conventiculis praedicationis officium implevit; quod tanto efficacius cordibus audientium imprimere potuit, quanto a carnalibus desideriis et gastrimargiae crapulis extitit alienus. Ut autem vir Dei Franciscus hoc salubre propositum ad effectum perduceret, articulos iam dictos cum quibusdam aliis, quae a fratribus illius religionis usque in hodiernum diem strenuissime observantur, in schedula conscriptos sedenti in consistorio Romae papae Innocentio praesentavit et suam petitionem confirmari a sede apostolica postulavit.

Quomodo dominus Papa ordinem praedictum privilegio confirmavit. — Papa itaque in fratre memorato habitum deformem, vultum despicabilem, barbam prolixam, capillos incultos, supercilia pendentia et nigra diligenter considerans, cum petitionem eius tam arduam et communi exercitatione impossibilem recitari fecisset, despexit eum et dixit: « Vade, frater, et quaere porcos, quibus potius debes, quam hominibus comparari, et involve te cum eis in volutabro et regulam illis a te provisam (4) tradens, officium tuae praedicationis impende ». Quod audiens Franciscus inclinato capite exivit continuo, et porcis tandem inventis in luto se cum eis tamdiu involvit, quousque a planta pedis usque ad verticem corpus suum totum cum ipso habitu polluisset. Sicque ad consistorium reversus papae se conspectibus praesentavit dicens: « Domine, inquit, feci, sicut praecepisti; exaudi nunc, obsecro,

(1) Matth. Par. pro hoc titulo habet: « De miraculis per Sanctum Franciscum crebrescentibus ».
(2) Ad annum 1227.
(3) Ita Matth. Par.; Rogerus dicit: « ordinis institutor fuisse perhibetur et magister, Romae mirabiliter ex hac luce migravit ».
(4) Matth. Par. « commentatam ».

petitionem meam ». Quod factum cum papa admirans conspexisset, contristatus est valde, quod illum despexisset; atque in se reversus praecepit, ut lotus rediret ad eum, qui celeriter a sorde mundatus reversus est festinanter. Commotus itaque papa super eo petitionem eius admisit et per privilegium romanae ecclesiae officium praedicationis simul cum ordine petito ei confirmans cum benedictione dimisit. Deinde famulus Dei Franciscus oratorium in urbe Romana, in quo contemplativos meteret fructus, construens, spirituale certamen contra spiritus malignos et carnalia vitia egregius bellator assumpsit.

De praedicatione fratris memorati et de fine eiusdem nimis admirabili. — Franciscus igitur per Italiam totam et ceteras nationes et praecipue in urbe Roma, cum officium praedicationis devote impleret, populus romanus totius bonitatis inimicus praedicationem viri Dei adeo despexit, quod nec ipsum audire nec sanctis eius voluerunt exhortationibus interesse. Tandem cum per dies plurimos praedicationem eius despexisset, Franciscus indurationem eorum graviter increpavit. « Doleo, inquit, multum super miseria vestra, quod non solum me Christi famulum spernitis, verum etiam illum in me despicitis, quoniam Redemptorem mundi evangelizavi vobis. Et nunc recedens ab urbe, testimonium illius invoco super desolatione vestra, qui est testis in coelo fidelis; atque in confusionem vestram vado evangelizare Christum brutis animalibus et volatilibus coeli, ut audientes salutifera verba Dei obediant et adquiescant ». Sicque ab urbe exiens invenit sedentes in suburbio in morticiniis corvos, milvos et picas aliasque aves multas in aere volitantes et dixit eis: « Praecipio vobis in nomine Iesu Christi, quem crucifixerunt Iudaei, cuius praedicationem miseri despexerunt Romani, quatenus ad me accedentes audiatis verbum Dei in nomine eius, qui vos creavit et in archa Noe ab aquis diluvii liberavit ». Et continuo ad imperium eius universa avium illa multitudo illuc accedens circumdedit eum, et facto silentio omnique garritu deposito per diei dimidium spatium verbis viri Dei intendentes de loco non sunt motae, sed semper intuebantur faciem praedicantis. Haec autem res admirabilis cum a civibus romanis simul et ab intrantibus urbem et exeuntibus comperta fuisset et per triduum a viro Dei idipsum avibus convocatis replicatum extitisset, exierunt de civitate clerus cum populo multo introducentes hominem Dei cum veneratione magna in urbem; quorum deinceps corda infructuosa et pertinaciter obdurata oleo praedicationis obsecrantis emolliens in melius commutavit. Coepit itaque celebre nomen eius per universos Italiae fines ita dilatari, quod multi nobiles ipsius exemplum secuti, relicto saeculo cum vitiis et concupiscentiis eius, sese magisterio subdiderunt. Crevit igitur in brevi hic ordo fratrum praedicatorum, qui Minores dicuntur (1), per orbem universum, qui in urbibus habitantes et castellis, deni et septeni exierunt in diebus (2), per villas et ecclesias parochiales verbum vitae praedicantes et turbis agrestibus virtutum plantaria inserentes fructum plurimum Domino obtulerunt (3). Nec solum

(1) Rogerus om. « qui Minores dicuntur ».
(2) Unus codex addit « festivis ».
(3) Eadem fere Rogerus iam dixerat ad annum 1207. Cfr. *M. G. H. Scr.*, t. XXVIII pag. 42: « Sub his diebus praedicatores, qui appellati sunt Minores, favente papa Innocentio subito emergentes terram repleverunt, habitantes in urbibus et civitatibus deni et septeni, nihil omnino possidentes, de evangelio

inter fideles semen verbi Dei et rorem doctrinae coelestis consperserunt, verum etiam ad gentilium et saracenorum nationes se conferentes perhibuerunt testimonium veritati, inter quos etiam multi ex eis ad martirii gloriam pervenerunt.

De concursu populorum ad obitum fratris saepe dicti. — Tandem vero, cum amicus Dei Franciscus in urbe Roma simul et terris adiacentibus cum fratribus suis per annos multos evangelium pacis praedicasset et talentum sibi creditum ut foenerator optimus cum usuris multiplicibus suo largitori restituisset, venit hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad Christum et pro mercede laborum suorum acciperet coronam vitae, quam Deus se diligentibus repromisit. Itaque quinto decimo die ante exitum suum de corpore apparuerunt vulnera in manibus eius et pedibus sanguinem iugiter emittentia, sicut in mundi Salvatore in ligno pendente apparuerant, cum crucifigeretur a Iudaeis. Latus quoque eius dextrum adeo apertum et cruore respersum apparuit, ut etiam secreta cordis intima perspicua viderentur. Quid ergo? factus est ad eum concursus populorum rem tam insolitam admirantium; inter quos etiam ipsi cardinales accedentes sciscitabantur ab eo, quid haec visio sibi vellet. Quibus ille: « Haec visio in me idcirco vobis ostensa est, quibus mysterium crucis praedicavi, ut credatis in eum, qui pro mundi salute haec quae videtis vulnera in cruce pertulit, et etiam ut me sciatis eius esse servum, quem evangelizavi vobis crucifixum, mortuum et resuscitatum; et ut omni ambiguitate remota in hac fidei constantia usque in finem perseveretis, haec vulnera, quae in me ita videtis aperta et sanguine cruentata, statim cum defunctus fuero, adeo sana erunt et cohaerentia, ut carni ceterae similia videantur ». Qui continuo absque omni angustia corporis et carnis cruciatu corpore solutus, spiritum suo reddidit Creatori, quo defuncto nulla vulnerum praedictorum in latere vel pedibus sive manibus stigmata remanserunt. Sepulto autem viro Dei in oratorio suo, romanus pontifex ipsum in catalogum sanctorum admisit et diem eius depositionis solemniter instituit celebrari ».

Hucusque Rogerus (1). Richerus haec de S. Francisco habet:

« Franciscus igitur de Assisia civitate vallis Spoletanae oriundus fuit. Filius quidem cuiusdam divitis civis dictae civitatis extitit, qui eundem Franciscum causa mercimonii ad partes Franciae frequenter mittere solebat. Unde a Francia Franciscum nuncupatum fuisse referunt. Qui Franciscus bonae indolis iuvenis existens et sapiens, sicut mos est mercatorum, ambitionem rerum saecularium insectatus est, sed de mercimonio a patre sibi credito ecclesiis et pauperibus largissime erogabat. Contigit igitur ipsum Franciscum ad partes suas quodam tempore redire, et a patre libenter receptus paucis diebus cum ipso mansit. Quadam vero die cum pater eius quendem solemnem

viventes, in victu et vestitu paupertatem nimiam praeferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus praebuerunt. Diebus autem dominicis et festivis, de suis habitaculis exeuntes praedicaverunt in ecclesiis parochialibus evangelium Verbi » (cfr. Matthaeus Paris, eodem tomo pag. 397). — Hic in mentem veniunt ea, quae Ubertinus de Casali pluries de intentione S. Francisci dixit, ex. gr. in *Responsione Clementi V tradenda* (in A L K G t. III. pag. 76): « Dicebat beatus Franciscus, quod placeret sibi, quod fratres haberent parvas ecclesias pro orando et divina pro se ipsis officia celebrando et irent ad praedicandum ad ecclesias saeculares ».

(1) Matthaeus Paris plura monita pro Minoribus addit et ipsorum regulam.

ageret diem, Franciscus iuvenis laudabilis quandam cameram intrans vestibus suis omnibus exuitur; quadam tunica, in qua caputium consutum erat, et tamen vilissimi panni, se induens cordella nodata praecingitur, et ita sine calceis et tonsoratus ad patrem exiit et patri valedicens asseruit, se potius Deo servire velle quam mammonae. Circuiens igitur regionem illam plures sibi fratres et ordini suo sociavit. Veniens igitur ad papam Gregorium, sicut praedicatores ab eo auctorizati sunt. Et ita per diversas regiones collocati sunt. Franciscus vero cum paucis fratribus per civitates et castella circuiens, praedicando ad quandam civitatem fertur devenisse; et ibi verbum Dei volens praedicare, cives loci illius in tali habitu eum cum suis considerantes quasi stultum a civitate sua eum expulerunt. Ipse vero extra portam ipsius civitatis iuxta stratam publicam stans, conspexit in campo diversi generis aves pascentes; quasi hominibus loqueretur, ipsas ad se vocavit et statim ad voces ipsius tanta multitudo diversarum avium circa eum adunata est, quanta nunquam in partibus illis visa fuisse feratur. Quas beatus Franciscus admonens, quia gens intelligibilis et sensata verbum Dei audire contemneret, saltem aves indiscretae mandata Dei audire non omitterent. Illae vero colla erigentes et capita et visum, quasi eum intelligerent, porrigebant ei. Ille vero hortabatur eas vocibus et cantibus suis Deum, qui eas creaverat et pascebat, glorificare et laudare; et sic diu eas alloquens, quasi cum rationabilibus creaturis de verbo Dei cum eis disputabat. Videntes autem transeuntes ignotum virum in tam extraneo habitu avibus quasi hominibus praedicantem nuntiaverunt haec in civitate. Ad quem tota civitas exiens admirans super miraculo avium rogabant eum, ut quia eum expulerant, civitati indulgeret. Ipse vero avibus benedicens iussit eas abire. Et convertens se ad populum improperabat ei, quod populus intelligibilis et rationabilis verbum Dei audire contemneret, aves vero sine ratione cum gaudio magno illud susciperent. Cumque gentem illam diu allocutus fuisset, sermone finito et dans benedictionem a loco discessit. Fertur etiam transfretasse et ad Babyloniam devenisse et a rege illius terrae licentiam praedicandi obtinuisse. Videns itaque beatus Franciscus gratiam dicti regis et gentis ipsius terrae se habere, paucos de discipulis suis relinquens ad partes suas reversus est, volens pluriores illuc ad praedicandum dirigere. Sed quia non est laborantis vel currentis, sed volentis Dei cursum hominis dirigere, nescio quo impedimento detentus ad Babyloniam ultra non est reversus. Cumque plures sui ordinis fratres ubique disseminasset et pluribus in vita sua claruisset miraculis, ad civitatem Assisiae revertens infirmitate detentus ibidem bono fine in Domino quievit et ibidem sepultus est.

Apud alios etiam Chronistas — ex gr. apud Martinum Polonum, auctorem *Chronicae Sanblasianae* et vitae Innocentii III a Muratori « ex manuscriptis Bernardi Guidonis » editae — nonnulla de S. Francisco leguntur, quae nihil novi praebent, unde ea praetermittere possumus. Pariter ipsius fit mentio in pluribus aliorum sanctorum legendis, de quibus suo loco sermo recurret.

Fuldae, Frauenberg, die 2 Sept. 1907.

P. LEONARDUS LEMMENS, O. F. M.

LITTERAE INEDITAE FR. HIERONYMI AB ASCULO GEN. MIN. (1274-79):

De additione facienda in *Legenda Maj.* S. Bonaventurae.

Nemo sane, qui vitam Divi Francisci perlegerit, ignorat, fratrem Hieronymum ab Asculo, dum Minorum Ordinem qua Generalis Minister gubernaret (1274-1279), nonnulla Legendae a Doctore Seraphico conscriptae adiunxisse: visionem nempe Innocentii III Summi Pontificis, de palma illa, quae inter pedes suos paulatim succrescebat et in arborem pulcherrimam elevabatur, quaeque pauperem Franciscum, ab eodem Christi Vicario indignanter pridie repulsum, designabat (1); nec non et miraculum illud addidisse quod meritis almi Patriarchae apud Assisium patratum novimus in quodam homine, cuius oculi fuerant effossi. De isto namque mirando facto haec in *Chronicis XXIV Generalium* (2) legimus: « Certificavit etiam idem Generalis (Hieronymus) Capitulum *per litteras suas*, quod beatus Franciscus apud Assisium cuidam oculos sibi totaliter per curiam effossos, miraculose reddiderat, quamvis dati oculi in testimonium miraculi, parviores essent prioribus ». Hae igitur litterae, quae usque adhuc ineditae remanebant, nunc a nobis feliciter inventae, in lucem prodeunt ex codice 434 (f. 194 r.v) bibliothecae Riccardianae Florentiae, quem hic alias describemus.

Iam huius nostri Collegii Patres Editores in notis ad *Analecta Franciscana* (3), alias circa idem miraculum evulgarunt litteras, ex codice sacri conventus Assisii n. 24, directas tamen *Ministro, Custodi et Guardiano Sancti Francisci* apud Assisium. Documentum hoc, ut est videre, fusius factum enarrat; nostrum vero, quod infra damus, etsi nihil substantiale taceat, quasdam tamen praetermittit circumstantias in quibus paululum immoramur, cum cuique legenti differentia utriusque documenti facile pateat.

En igitur litterae ineditae fratris Hieronymi:

Venerabilibus in Christo sibi dilectis fratribus ministris et distinctionibus (sic) *apud Paduam in Capitulo Generali congregatis, frater Jeronymus ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, salutem et pacem.*

Quia testante angelo beato Thobie dicit: *Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri hono-*

(1) *Anal. franc.* t. III. p. 365. — S. Bonav. *Opera omnia* ed. Quaracchi t. VIII. p. 512, nota 2.
(2) *Anal. franc.* loc. cit. p. 358.
(3) Loc. cit. p. 358 nota 1. — S. Bonav. loc. cit. p. 560, nota 4.

rificum est (1), ideo opera Dei mirifica, que invenio a Deo per merita patris nostri beati Francisci certitudinaliter esse facta, testificantibus illis qui oculis propriis viderunt et manibus palpaverunt, devotionis vestre desiderio ingerendo mentibus vestris leticiam, curavi praesentibus explicare. Nam cum quidam apud Assisium captus esset per dominum Gracianum (2) Mathei, patrem civitatis eiusdem, ecclesiae furti commissi (3) de quo fuerat incusatus, et per dominum Octomanum iudicem communis eiusdem sententiatus, ut illi incusato oculi traherentur; et sententia per dominum Ottonem Ottamanni, tunc milite[m] partis eiusdem, et per ministros nomine Fringillum, Jacobum et Bartholomeum, et alios plures foret executioni mandata, et effossi fuissent ipsius accusati oculi cum cultello, idem sic cecatus ductus ad altare beati Francisci, cuius misericordiam implorans (4), quia iniuste secum actum fuerat, ut dicebat, infra triduum per merita ipsius beati patris nostri, Deus omnipotens eidem cecato oculos novos dedit cum quibus clare (5) videbat; sed minores erant quam illi qui de suo capite effossi fuerant cum cultello. Quod inquam miraculum testificantur dictus dominus Otto miles, iuramento astrictus et examinatus, coram multis testibus per venerabilem dominum Jacobum abbatem monasterii sancti Clementis, auctoritate domini Jacobi episcopi Tiburtini, et etiam frater *Guillelmus* romanus, qui astrictus a me dura obedientia et excommunicatione, quam incurreret ipso facto, ut de hoc claram diceret veritatem coram fratre *Guidone* ministro romano, fratre *Conrado* ministro Allamanie superioris, fratre Dominico penitentiario domini pape, fratre *Bonagratia* et fratre *Monaldo* visitatore monasteriorum sancte Clare examinatus, clare deposuit quod illum cecatum primo cum oculis viderat et vidit execari et oculos eius, adhuc ipse existens in seculo, pluries in terra cum baculo revolvit, ut videret quomodo essent facti, et postmodum vidit eum habentem oculos et clare videntem, postmodum cum eisdem oculis quos per merita beati Francisci dederat sibi Deus, sicut idem illuminatus, plane coram omnibus asserebat. Unde videtur mihi quod tam clarum miraculum debeat per Ordinem publicari et inter miracula sancti patris in legenda noviter edita annotari. Valete et orate pro me. — Datum Rome, anno domini M. CC. LXXV. tertio nonas maii. Amen.

Magni siquidem momenti hae sunt litterae, nam praeter alia annum determinant, quo tunc Paduae Comitia Generalia indicta fuerunt, circa quem historicorum opinio hucusque non erat concors; quidam enim an. 1275, quidam vero an. 1277 indicaverunt (6). Attamen de anno, in quo miraculum caeci illuminati evenit, nihil penitus noscitur, neque ex documento iam in *Analectis* evulgato constat: « Quoto autem anno Domini hoc miraculum esset factum, dixit idem frater quod nullatenus recordatur (7) ».

(1) Tob. 12, 7.
(2) Cod. As. vocat *Cyprianum;* cfr. *Anal. fr.* t. III. pag. 358.
(3) Cod. As. ait: *Fuit accusatus de furto cappae vel mantelli ipsi domino Cypriano.*
(4) Cod. *in pormis.*
(5) Cod. *dare.*
(6) Cf. Wadding *Annales* ad an. 1277, n. 6. — *Anal. franc.* t. II. p. 89 nota 5. — Ibid. t. III. p. 357, nota 3. — Ehrle *Archiv* t. VI. p. 47.
(7) *Anal. franc.* t. III. p. 358, nota 1.

Refert Glassberger qualiter Capitulum Paduae iniunxit « omnibus ministris ut litteram generalis ministri missam capitulo...., quae incipit: *Venerabilibus et in Christo dilectis* etc., cum omni diligentia executioni studeant demandare, cuius tenor est, quod inquirant de operibus beati Francisci et aliorum sanctorum fratrum, quaecumque memoria digna, prout in suis provinciis contigerunt, eidem generali sub certis verbis et testimoniis rescribenda (1) ». An revera littera haec Capitulo Paduano pariter directa, sit eadem cum ista quam nos edimus, et Patri Glassberger non bene nota, prorsus non audemus pronuntiare.

Cl. P. Ehrle, verba praemissa Glassberger recitans, lectores remittit ad cod. 330 bibliotecae Assisiensis (2): at notandum quod, littera huius codicis de miraculo caeci illuminati tantum loquitur, quae etiam non Capitulo Generali sed Ministro et Guardiano Assisiensi est directa.

De visione Innocentii III quidam etiam dixerunt (3) eumdem fratrem Hieronymum Capitulo Paduano litteras misisse. Apud nullum tamen antiquorum hoc invenimus; sed si verbis Chronicorum XXIV Generalium (4) attenditur, credendum potius est Hieronymum Legendae Bonaventurianae illam visionem de palma simpliciter addidisse, absque ullo tamen officiali documento Ordini universo directo. Codex 434 bibliothecae Riccardianae, ex quo litteras de caeco illuminato eduximus, visionem etiam Innocentii suo loco affert (f. 123v-124r) iisdem verbis quibus in editione operum S. Bonaventurae (5) apponitur, sed nec verbum quidem profert de huiusmodi additione a fratre Hieronymo facta.

Ad Claras Aquas (Quaracchi) 10 Oct. 1907.

P. ATHANASIUS LÓPEZ, O. F. M.

---

(1) *Anal. franc.* t. II. p. 89, sq.
(2) Cfr. Ehrle *Archiv* t. I. p. 482. et t. VI. p. 47, nota 4. — *Miscellanea franc.* t. II. p. 14.
(3) Wadding *Annales*, ad an. 1210 n. 8, et 1277, n. 6.
(4) *Anal. franc.* t. III p. 365.
(5) T. VIII p. 512, nota 2.

DE CAPITULO PROVINCIALI PROVINCIAE COLONIAE

Fuldae habito anno 1315, a die IX usque in diem XV Maii.

Litterae, quibus capitulares confirmationem novi electi Ministri, Fr. Thomae de Colonia, a Ministro Generali expetunt.

Postquam fr. *Adolphus* de Stammheim, minister provincialis Coloniensis (1309-1314), die XIX Novembris (1) 1314 supremam diem clausit, fr. *Arnoldus,* Custos Brabantiae, vicarius provinciae, capitulum, novi ministri eligendi gratia Fuldae (2), circa Pentecosten anni 1315 celebrandum indixit. Feria ergo sexta ante dictum festivum diem i. e. IX Maii fratres *de corpore capituli,* Fuldae convenerunt. Sabbato, cantata missa de Spiritu Sancto, lectisque testimonialibus litteris fratrum (3), in « disquisitores et auditores votorum » fr. *Gerwinus* nominavit (4) frm. *Conradum* guardianum coloniensem, frm. *Iohannem* lectorem treverensem et frm. *Henricum,* lectorem fuldensem. Statim hi duo ultimi votum fr. *Conradi* secundum methodum tunc vigentem, *coram* caeteris, sed « *seorsum* » ab aliis, *audierunt* et *scripserunt* et *legerunt* (5). In eundem modum cum aliis processum est.

E fratribus capitularibus 63 votum dederunt fr. *Thomae* lectori coloniensi, 4 vero suffragati sunt pro fr. *Arnoldo,* custode Brabantiae et vicario Provinciae Coloniensis. Tres insuper elegerunt in ministrum fr. Romanum, custodem trevirensem, et 14 capitulares pro fr. *Wilhelmo,* custode Westphaliae suffragia tulerunt.

Secundum constitutiones generales, unus e disquisitoribus tunc, ex officio, electum esse denuntiavit publice fr. *Thomam* de Colonia, lectorem Coloniensem (6). Diebus sollemnibus Pentecostes sessiones non ha-

(1) P. Patrit. Schlager O. F. M. *Beiträge zur Geschichte der Kölnischen Franziskaner-Ordensprovinz im Mittelalter. Köln* 1904 p. 151. Dies eruitur e Necrologio. Cf. etiam P. Conrad. Eubel O. M. Conv. *Geschichte der Kölnischen Minoriten-Ordensprovinz. Köln.* 1906. *(Veröffentlichungen des historischen Vereins für den Niederrhein* I.).

(2) Conventus Fuldensis tunc Provinciae Coloniensis erat et Custodiae Hassiae. Schlager l. c. p. 26. 34. Eubel: l. c. P. C. Eubel: *Provinciale Ordinis Minorum vetustissimum.* Ad Claras Aquas. 1892 p. 24 seq.

(3) De ritu celebrandi Provincialis capituli eo aevo, cf. P. Fr. Ehrle S. I. *Die ältesten Redactionem der General-Constitutionem des Franziskanerordens,* in: *Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte des Mittelalters.* T. VI. Freiburg i. B. 1892. p. 124. p. 129 seqq. Pro hoc opere allegando utemur litteris *ALKG.*

(4) Fr. Gerwinus erat nempe Custos Hassiae, in qua custodia capitulum habebatur.

(5) *ALKG* VI 124: « Disquisitores ad hoc assumpti singulorum vota seorsum aliquantulum coram oculis omnium perquirant fideliter et conscribant, ita quod singuli, antequam secedant ab eis, audiant qualiter conscripserint vota sua ».

(6) Formula qua usus est Fr. Conradus, disquisitor, aliquantulum differt ab illa, quam statuta generalia tunc praescribebant. *ALKG* VI 124: « In nomine Patris et Filii

buerunt, et nonnisi feria V post Pentecosten documentum infra primum evulgandum confecerunt capitulares, quod ad Ministrum Generalem duo nuntii e corpore capituli et de capituli mandato deferrent.

Valor huius documenti in eo est, quod nomina omnium fratrum, qui capitulo interfuerunt, et methodum celebrandi capituli provincialis, tunc praescriptam patefacit. Catalogi longi, qui nominum fratrum praebeant uberem seriem, rari e medio aevo ad nos pervenerunt. Catalogus Fuldensis, sive mavis Coloniensis, anni 1315, nomina 86 fratrum pandit, cum et custodes et guardiani et lectores, necnon discreti conventuum ibi enumerentur. Maxima pars horum nominum hucusque delituit.

Ad ordinem rerum in capitulo discutiendarum quod attinet, iuvat hic alludere ad aliud documentum nostro omnino simile, quamvis ducentis annis recentius sit. Est instrumentum electionis Ministri Provincialis Provinciae Germaniae Superioris seu Argentinensis, factae in capitulo anni 1510 die IV Martii (1). Plura enim, post duo decursa saecula, immutata manserant.

Quia in catalogo Fuldensi vota discordia erant, in enumerandis votis systematice, ordo realis suffragantium observari non poterat. Nihilominus quisque perspiciet primo loco custodiae Coloniensis conventus enumerari, deinde Brabantiae, Hollandiae, Trevirorum, Westfaliae atque ultimo in loco custodiae Hassiae, in qua comitia provincialia habebantur.

Mirum est, deficere custodem Daventriae, quae custodia in vetustissimo Provinciali (2) sexto loco ponitur. Suspicari ergo licet anno 1315 Custodiam Daventriae nondum separatam fuisse a Custodia Hollandiae, et divisionem infra annos 1316 et 1343 factam esse. Haec suppositio vel eo minorem stuporem gignere videtur, quia conventus daventriensis recentiore epocha fundatus extiterat neque diu ante annum 1315 (3). Idem videtur de coenobio Minorum Campis ad Rheni ora (4). Sequioris aetatis esse videtur conventus Falerne (5) [Gross-Faldern, Feldern] (6), qui in catalogo Fuldensi praetermittitur.

Considerantibus chronologiam ordinis et Ministrorum Generalium, documentum hoc Provinciae Coloniensis non poterit quin admirationem iniciat. Nam plane et *ex officio* epistula haec ad Ministrum Generalem datur, ut ab eo novus Provincialis confirmationem impetret. Ast tunc

---

et Spiritus S. Ego frater N. nomine meo et omnium nostrum [in margine Cod. Vat. Ottob. f. 339 correxerat: omnium qui in ipsum consensimus] eligo talem fratrem in provincialem ministrum ». Hoc publicare eum iussit custos Hassiae, qui capitulo praesidebat. *ALKG* VI, 131. fr. Thomas de Colonia, etiam nominatur de Wieda, immo de Viola; provinciam rexit usque in annum 1335, mortuusque legitur die IV Ianuarii. Schlager: p. 151.

(1) P. Conr. Eubel, O. M. Conv. *Geschichte der oberdeutschen (Strassburger) Minoriten-Provinz. Würzburg,* 1886. p. 350-353.

(2) Eubel, Provinciale p. 25, ubi dicitur constitisse e conventibus: Daventriae, Herdervikae, Campis, Groningiae, Bolswardae atque Falerne.

(3) Schlager, l. c. 71.

(4) Schlager, 73.

(5) Schlager, 73.

(6) Schlager, l. c.

temporis, mense scilicet Maii anni 1315, non erat minister Generalis, qui ordinem regeret.

Fr. Alexander ab Alexandria electus fuerat Generalis in capitulo Barchinonensi anno 1313 celebrato (1), sed die V Octobris (2) anni 1314 « cum tantum per annum cum dimidio ordinem gubernasset, appositus ad sanctos patres, Romae sepultus est in Aracaeli; et post ipsum fere per 17 menses fuit Ordo sine Generali Ministro », uti aiunt Chronica XXIV Generalium (3). Nam successor ei suffectus est nonnisi in capitulo Neapolitano anno 1316 (4), secundum Constitutiones generales tunc vigentes (5).

Ministri Provinciales electi, a Ministro Generali confirmationem flagitare debebant (6). « Si autem, mortuo generali ministro, aliquem provincialem ministrum mori contigerat et alium eligi, statuimus, ut per ministrum provinciae vicinioris loco capituli, in quo electio celebrabitur, et per duos custodes eiusdem provinciae similiter viciniores, ... electus confirmetur ». Sic voluerunt tunc Statuta Generalia.

Provincia Coloniae hoc autem omnino non observasse videtur anno 1315. Iuxta Statuta Ministri Provincialis Argentinae fuisset novum electum Coloniensem confirmare, quia alterius, provinciae *conventus vicinior* erat conventus Gelnhusanus, qui ad Argentinensem Provinciam pertinebat (7).

Licetne supponere capitulares Colonienses mense Maio 1315 nuntium mortui Generalis (qui mense Octobri 1314 obierat) post medium ferme annum nondum accepisse? Difficulter hoc admittetur, si revera obitus Generalis, *nuntiatus* (8) extitit. Non legitur post decessum fr. Alexandri Vicarius aliquis Generalis institutus fuisse. Quia autem Capitulum Generale nonnisi anno 1316 celebrandum esse constabat, ex Statutis, ommissum forte fuit mortem Generalis prompte nuntiare, ita ut Capitulares Provinciae Coloniae mense Maii 1315 mortem Generalis ignorare possent.

Addam, quod mirum non esse debet, *nomen* Generalis in epistulae inscriptione deesse, quia tunc temporis ex industria nomina illa propria praetermittebantur saepissime, quantumvis auctoribus epistulae mittendae nota essent.

---

(1) *Analecta Franciscana* III (1897) 467 Wadding, *Annales Minorum*, t. VI. *Romae* 1733. ed. p. 213.

(2) Wadding. l. c. VI 223.

(3) Apud *Anal. Franc.* III 469.

(4) L. c. III 470. Wadding. VI 243 seq.

(5) *ALKG* VI, 124, seq. « Si vero generalem ministrum mori contigerit ante festum Sancti Michaelis, minister, in cuius ministratione moritur, vel vicarius teneatur significare sine dilatione ministris omnibus, quibus poterit bona fide, ut in Pentecoste sequenti fiat capitulum generale. Si *vero post dictum festum* decesserit, nuntietur nihilominus, ut dictum est, non tamen fiat generale capitulum anno illo, nisi alias eodem anno debuerit celebrari, sed celebrabitur in sequenti ».

(6) *ALKG* VI 125 « Ordinamus, quod ministri provinciales convocato provinciali capitulo a subditis eligantur, confirmandi per Generalem ministrum.

(7) P. C. Eubel: *Geschichte der oberdeutschen Minoriten-Provinz* p. 10-215.

(8) Iuxta Statuta: *ALKG* VI 125.

Ex his ergo dubium nullum moveri potest contra authenticitatem huius documenti, de qua certo constat. Desunt quoque *sigilla,* sed originale inspicienti luce clarius patebit, illa, una cum parte inferiore chartae abscissa esse cultro vel forfice (1).

Originale huius documenti, quod pluribus in chartis exemplatum fuit, quia Ministro Generali transmittendum erat et in archivo Provinciae deponendum, pluribus in partibus laesum et corrosum est, quam ob rem plures lacunae in eo sunt. Scriptura gothica est pro documentis conscribendis adhibita, plana et ubique sibi equalis. Pergamenum 29 centim. altum et 39 longum adhuc est. Desunt Sigilla. In dorso eadem manus scripsit: « Reverendo in Christo Patri, Fratrum Minorum Generali Ministro ».

Reverendo in Christo patri Generali Ministro frater *Arnoldus* custos Brabancie, vicarius (2) provinciae Coloniensis, ceterique fratres de corpore provincialis capituli apud Vuldam (3) anno domini MCCCXV, in festo pentecostes celebrati, cum omni humilitate obedientiam debitam et devotam. Sciat vestra paternitas veneranda, quod iam tempore aliquo per mortem pii patris fratris *Adolphi,* nostri antea ministri bone memorie, orbati tali capite, tempore, locoque predictis ad alterius electionem per viam scrutinii processimus, in cuius primo congressu, favente Domino, in fratrem *Thomam* de Colonia lectorem coloniensem, virum utique religionis, scientie, industrie, ministerii officio maior pars medietate omnium nostrum consensit, secundum formam constitucionum generalium, modumque inferius subnotatum. In Vulda igitur pro huiusmodi electione et celebrando provinciali capitulo, feria sexta inmediate ante penthecosten congregati, ipsoque die quiescentes et deliberantes, die sequenti, in vigilia scilicet penthecostes, de mane cantata, prout moris est (4), missa de spiritu sancto, ac congregacione fratrum facta, invocataque communiter spiritus sancti gracia, ex tunc recedentibus qui non erant de corpore capituli, ceterisque, quorum eligere intererat remanentibus, eorum quoque super (5).... screcione lectis testimonialibus literis, nec admissis aliquibus excommunicatis, interdictis, suspensis aut aliquo actu legitimo privatis, frater *Gerwinus,* custos Hassie, de consilio discretorum pro disquisitoribus et auditoribus votorum tres fratres fidedignos ordinavit [scilicet fratrem *Conradum*] de Co[lonia] guardianum coloniensem, fratrem *Iohannem* lectorem treverensem et fratrem *Henricum* lectorem vuldensem, quorum aliquantulum seorsum in congregacione omnium pariter positorum,

---

(1) Originale nunc est in archivo R. D. Vicarii Generalis Fuldensis Dioecesis, Fuldae in aedibus Seminarii, quod benigne consentiente A. R. D. Dr. Guil. Ahrenhold p. t. vic. gli, et R. D. Dr. I. Müller, secret. et archivii praeposito, lustravimus. Utrique pro sua liberalitate publice grates referimus libenter. Gratiae quoque heic dicendae nobis sunt V. P. Andreae Boeglin, O. F. M., qui documentum pro nobis fraterne transcripsit.

(2) Illam fuisse suspicamur, qui 1336-1362 Provincialem ministrum Coloniae egit.

(3) Hoc dictum: « apud Vuldam » (= Fuldam, quia Germani τὸ V eodem modo pronuntiant, quo τὸ F.) premere non licet, quia antiquus conventus Ordinis Minorum *intra* moenia urbis situs erat. Cf. de eo *Browerus,* S. I. *Fuldensium Antiquitatum libri IV. Antverpiae* 1612. p. 307. P. Polyk. Schmitt O. F. M. *Das ehemalige Minoritenkloster etc. in Fulda,* in: *Schneiders* Buchonia. Fulda 1828. III 177-184. *P. Patr. Schlager:* l. c. 35. P. Mich. Bihl O. F. M: in: *Fuldaer Geschichtsbätter.* IV. Fulda 1905. 30-32.

(4) *ALKG.* VI. 123 f.

(5) Puncta denotant originale pergamenum ibi esse corrosum; voces uncis inclusas secundum alias partes documenti supplevimus.

duo, scilicet lector treverensis et lector vultensis, predicti votum nominati guardiani . . . .
Ego fr. *Conradus* guardianus coloniensis [nomino fratrem] *Thomam* lectorem coloniensem pro ministro provincie coloniensis, quod continuo scriptum antequam ab eis recederet, legerat coram ipsò, parique modo ceteri vero tertius . . . . audierunt consensum . . . . recederetur singulis . . . . . scripserant enarunt; sicque post dictum guardianum frater *Henricus* lector fuldensis nominatus eodem modo [et si]milibus consensit dicens: Ego fr. *Henricus* discretus [vuldensis et lec]tor ibidem, nomino fratrem *Thomam*, lectorem coloniensem in Ministrum nostrum provincie coloniensis; post quem secundum ordinem in eundem eodem modo consenserunt, ac ipsum pro ministro nom[inarunt] . . fr. *Henricus*, custos coloniensis (1), fr. *Iohannes* discretus aquensis et lector ibidem, fr. *Gerhardus* discretus Vallis Felicis et lector ibidem, fr. *Gerhardus* discretus Bunnensis et lector ibidem, fr. *Volcoldus* guardianus Nussiensis, fr. *Henricus* discretus Dusburgensis et lector ibidem, fr. *Meynhardus* discretus Nussiensis et lector ibidem, fr. *Wickerus* guardianus dusburgensis, fr. *Gerhardus* discretus roremundensis, fr. *Walramus* guardianus Vallis Felicis, fr. *Iohannes* guardianus bunnensis, fr. *Henricus* discretus clivensis, fr. *Symon* guardianus roremundensis, fr. *Arnoldus* custos Brabantie (2), fr. *Tilmanus* guardianus Traiecti Superioris, fr. *Wilhelmus* guardianus diestensis, fr. *Henricus* discretus bruxellensis et lector ibidem, fr. *Philippus* discretus diestensis et lector ibidem, fr. *Waltherus* discretus lovaniensis et lector ibidem, fr. *Gyselbertus* guardianus bruxellensis, fr. Tilmanus discretus Traiecti Superioris, fr. *Wilhelmus* discretus Sancti Trudonis, fr. *He*[*nricus* cu]stos Hollandie (3), fr. *Gerhardus* guardianus Traiecti Inferioris, fr. *Leoninus* discretus daventriensis et guardianus ibidem, *Remarus* guardianus in Sirixe, fr. *Ludolphus* discretus campensis et guardianus ibidem, fr. *Witto* guardianus in Dordraco, fr. *Iacobus* discretus Dordraci [et lector] ibidem, fr. *Petrus* discretus in Busco Ducis et lector ibidem, fr. *Iohannes* discretus middelburgensis et lector ibidem fr. *Alfardus* discretus in Herderwich et guardianus ibidem, fr. *Symon* discretus in Groningen et lector ibidem, fr. *Romanus* custos treverensis (4), fr. *Conradus* discretus lutzellimburgensis et lector ibidem, fr. *Henricus* guardianus lutzelburgensis, fr. *Conradus* discretus vesaliensis et lector ibidem, fr. *Iohannes* guardianus vesaliensis, fr. *Gozwinus* guardianus Confluencie, fr. *Arnoldus* discretus Confluencie et lector ibidem, fr. *Henricus* guard[ianus tor]nacensis, fr. *Wilhelmus* discretus andernacensis et lector ibidem, fr. *Nycholaus* discretus merlensis et guardianus ibidem, fr. *Everbardus* discretus limpurgensis et guardianus ibidem, fr. *Wiltebrandus* guardianus wetslariensis, fr. *Henricus* discretus wetslariensis et lector ibidem, fr. *W*[*ilhel*]*mus* custos Westphalie (5) fr. *Theodericus* discretus geysmariensis (6) et guardianus ibidem, fr. *Bertoldus* guardianus marpurgensis, fr. *Bertholdus*

---

(1) Nomina vernacula horum conventuum sic ex *Ordine* sonant: Köln, Aachen, Seligenthal Bonn, Neuss, Duisburg, Roermond, Cleve. Concordant cum *Provinciali vetust.* ed. P. C. Eubel, p. 24.

(2) En nomina in vulgari moderno: Maastricht, (lat. alias: Traiectum super Mosam), Diest, Bruxelles (Brüssel), Louvain (Löwen), Saint-Trond.

(3) Item vulgariter, Utrecht, Deventer, Zierikzee, Kampen, Dordrecht, s' Hertogenbosch, Middelburg, Harderwijk, Groningen.

(4) Trier (Trèves), Luxemburg, Oberwesel, Coblenz, Andernach, Merl, Limburg, Wetzlar.

(5) Westfalici conventus enumerantur postea.

(6) Sequuntur coenobia custodiae Hassiae: Geismar, Marburg, Hersfeld, Goettingen, Fritzlar, Fulda, Grünberg.

discretus hersveldensis, fr. *Bertoldus* discretus gottingensis et lector ibidem, fr. *Robertus* guardianus fritslariensis, fr. *Hermannus* discretus marpurgensis et lector ibidem, fr. *Conradus* guardianus vultensis, fr. *Henricus* guardianus gottingensis, fr. *Wernherus* discretus gronenbergensis et guardianus ibidem, fr. *Iohannes* discretus fritslariensis et lector ibidem, fr. *Gerwinus* custos Hassie. Verumtamen in fratrem *Arnoldum* custodem Brabancie pro ministro consenserunt et verbis consimilibus ac modo eodem ipsum pro huiusmodi nominarunt fr. *Thomas* discretus coloniensis et lector ibidem, fr. *Mathyas* discretus machliniensis (1) et lector ibidem, fr. *Baldewinus* guardianus lovaniensis, fr. *Arnoldus* discretus thenensis (2) et guardianus ibidem; fratrem vero *Romanum* custodem treverensem sub consimilibus verbis pro ministro nominaverunt fr. *Iohannes* discretus treverensis et lector ibidem fr. *Petrus* de Sirixe et lector ibidem, et fr. *Sifridus* discretus in Bodesswerde (3); fratrem *Wilhelmum,* custodem Westphalie consimilibus verbis et modo eodem pro minisiro nominaverunt fr. *Henricus* guardianus treverensis. fr. *Reymboldus* guardianus monasteriensis (4), fr. *Henricus* discretus hervordensis et lector ibidem, fr. *Gerhardus* discretus osnaburgensis et lector ibidem fr. *Iohannes* discretus huxariensis et guardianus, ibidem, fr. *Iohannes* guardianus hervordensis, fr. *Bertramus* discretus monasteriensis et lector ibidem, fr. *Henricus* guardianus tremoniensis, fr. *Arnoldus* guardianus osnaburgensis, fr. *Iohannes* discretus tremoniensis et lector ibidem, fr. *Lubertus* guardianus paderbornensis, fr. *Gotfridus* discretus paderbornensis et lector ibidem, fr. *heydinricus* guardianus susatensis, fr. *Sifridus* discretus susatensis et lector ibidem. Sicque maiori parte medietate omnium nostrum in primo scrutinio in predictum fr. *Thomam* concordante, de commissione custodis capitulo presidentis surrexit fr. *Conradus,* guardianus coloniensis unus ex electoribus et dixit: In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen: Ego fr. *Conradus,* guardianus coloniensis, nomine meo et omnium vestrum, qui mecum in ipsum consensistis, eligo fr. *Thomam,* lectorem coloniensem in Ministrum provincie coloniensis. Petimus igitur et imploramus paternitatem vestram humiliter et devote, quatenus dictum fratrem, taliter electum, nobis in ministrum nostre provincie paterne confirmare dignemini, confirmacionemque mittere per dilectos nobis et nostro iudicio fidedignos assumptos de corpore capituli, fr. *Henricum* guardianum luczellinburgensem et fr. *Gyselbertum* guardianum bruxellensem, latores presertium, quos pro huiusmodi confirmacione ad vestram reverentiam duximus destinandos, qui nostra vota et desideria vobis reserare poterunt et de hiis, que inquirenda sunt, ut speramus plenius informare, si quid etiam obmissum aut minus rectum in ipsa electionis forma, quod non speramus, vestra forsan invenerit providencia, supplicamus, quod pia vestra ignoscat et suppleat paternitas, eandem nichilominus de speciali gracia approbando. Et ut premissis fides adhibeatur omnimoda sigilla vicarii provincie et custodis Hassie, sub quo celebratum extitit capitulum et guardiani loci, vuldensis scilicet, presentibus duximus apponenda. Datum in Fulda anno predicto feria quinta tempore provincialis capituli memorati.

Ad Claras Aquas (Quaracchi), die 5 Maii 1907.

P. MICHAEL BIHL, O. F. M.

---

(1) Mecheln, (Malines).
(2) Tienen. Hi duo conventus sunt custodiae Brabantiae.
(3) Bolsward.
(4) Haec et subsequentia loca hodiedum dicuntur: Münster, Dortmund, Osnabrück, Paderborn, Soest.

EPISTOLA S. JACOBI DE MARCHIA AD S. JOANNEM DE CAPISTRANO

(EX AUTOGRAPHO).

Anno 1449, die 11 iunii, electio S. Joannis a Capistrano in Vicarium Generalem Minorum Observantium in cismontanis partibus confirmata est a fr. Antonio de Rusconibus, Ministro Generali totius Ordinis fratrum Minorum.

« Aegre nihilominus — uti Waddingus scribit — ferebat ipse (Mi« nister Generalis) et Ministri Provinciales a se pedetentim divelli nu« merosam, Principibus caram, populo acceptabilem, et multis titulis « honorificam familiam. Nihil ergo intentatum reliquerunt, nihil non « excogitarunt, ut sibi eo subiectionis et unionis glutino compaginarent, « quo non tam rescissum a corpore membrum, quam eiusdem pars in« tima et capiti inhaerens aestimaretur. In Bullam itaque Eugenianam, « separationis conspicuam originem, modis omnibus invehuntur, et co« nantur labefactare. Inde facilior videbatur conatus, et titulus specio« sior, quod plerique ex ipsa familia id clam appeterent, et secretis « suggestionibus hoc ad aggrediendum urgerent (1) ».

Minister Generalis, fr. Antonius de Rusconibus, paulo post, idest in festo S. Laurentii (10 aug. 1449) ad coelum evolavit; et Summus Pontifex Nicolaus V, intellecta Antonii morte, Vicarium substituit fr. Angelum Serpetrum, Perusinum, qui, vicaria potestate, Ordinem gubernaret usque ad proxima Generalia Comitia (2).

Hac occasione, dum maxima turbatione familia Minorum Observantium iactaretur, haec epistola scripta fuit a S. Jacobo de Marchia, quam hic *ex autographo* in lucem edimus, dignam profecto clarissimo et sanctissimo Viro, cuius animum, et zelum observantiae Regulae S. Francisci, et regularis disciplinae, germanissime exprimit, immo vivide sculpit.

Huius pretiosissimae epistolae membranaceum *autographum*, olim conventus S. Mariae Gratiarum Montisprandoni, nunc in palatio municipali eiusdem pagi asservatur, cuidam ligneae tabellae affixum, dimensionis mill. 28×21. Propter hominum incuriam a tineis abrosum, in pessimo statu invenitur, ita quod brevi tempore in consumptionem certissime iturum haud dubitamus. Quamobrem multum patientiae et laboris nobis causa fuit in praefati *autographi* textum restituendo, ac proinde recuperando.

Demum pro clariori intelligentia huius epistolae, recurrat lector ad plenam historiam tum originis, tum progressus Regularis Observantiae fratrum Minorum a coaevo B. Bernardino Aquilano compilatam in « *Chronica fratrum Minorum Observantiae* », editamque a P. L. Lemmens

(1) Ad ann. 1449, n. 23.
(2) Celebrata deinde fuerunt Romae in conventu Aracoelitano die 24 maii 1450.

O. F. M. (Romae 1902), ubi a capitulo 7 usque ad 10 tota quaestio de reformatione Ordinis dilucide explicatur.

JHESUS.

Crucifixo affixus, quia Crucifixum dilexisti. Te crucifixum cum illo, opus est, quia eius es. Perlegeram epistolam a Te mihi missam. Dolebam, quia Te dolorosum cernebam. Afflictus eram, quia Te afflictum conspiciebam. Mente autem oppressionem pauperculae familiae lugebas. Ego autem multas oppressiones propter illam assecutus sum. Consolabar tamen in Christo, sic enim necesse est, fieri existimans, ut humiliaremur, ut peccatis nostris purgaremur, gratiores tantorum beneficiorum Dei recognosceremur, ut forte a Deo prolongati, et ab observantia regulari consopiti, repatriaremur ad Jhesum, primum huius vineae plantatorem, et strictius ad observantiam regularem. Non ne, Pater *Joannes*, altitudinem apostolicam ab impiis dilaniatam, et tamen coronatam, triumphantem videmus? Quis Martyrum? Quis Confessorum? Quis Virginum, et omnium servorum Dei persecutiones mortales, diabolicas tentationes, amaritudines, et dolores, ceterasque dolorosas augustias non gustarunt? Omnes enim, qui in Christo iuste et pie vivere volunt, persecutiones, et amaritudines cum Christo patientur. Tu enim, Pater *Joannes de Capistrano*, quem omni charitate, reverentia, et dilectione dilexi, in meis tribulationibus particeps eris; quia in tuis ego particeps effectus sum, aggravatus sum nimis supra virtutem, quod taedebat me, clamantem, vivere: cognoscebam me Patribus nostris non esse meliorem. Inter servos autem Dei, angustia communicata diminuitur, et levior efficitur. Credo certissime, Te excepto, si nullus aliquis in Ordine Pater defensor familiae extitit, abundantius ego. Quis contundit ora praedicantium fugitivorum, nisi ego? Quis denigravit falsam famam ipsorum in devotione populorum, nisi ego? Hic in Curia Romana, ubique per civitates publice, coram omni populo praedicavi, ipsos fugitivos a familia ut carceres perpetuos fugerent. Scripsi litteras ad Summum Pontificem, et ad DD. Cardinales, et ad populos, et ad Dominos saeculares, tales praedicatores dignos esse carceribus perpetuis; et sic in spiritu Dei, et virtute Christi vilificati sunt, denigrati sunt, et a devotione populorum elongati nimis.

Quatuor enim vicibus a longis partibus, propter defensionem familiae et Bullarum, Romam petii in frigore, pluviis, caloribus, sitibus, per vias insuperabiles et lutosas, die noctuque per Curias Cardinalium, et Summi Pontificis, postulans audientiam, et minime multoties habui, usque ad horam noctis non reversus ad Conventum, sine cibo, et potu, protestans, et clamans coram Summo Pontifice et DD. Cardinalibus, quod si dictae Bullae revocarentur, periculosum scandalum oriretur in toto mundo; et sic virtute divina, Bullae, quae tunc in promptu erant revocandae et cassandae cum facta minuta et ingrossata erant (1), usque modo firmae et intactae existunt. Et tot labores, et angustias, et angarias, et molestias innumerabiles passus sum, quas certe calamo explicare et lingua fari non sufficeret. Quid lucratus sum, Pater, mecum particeps, nisi a falsis fratribus, in quibus est perditio magna, infamationes multas? Aliquas enarrabo, ut tecum communicatae, mihi leviores efficiantur.

(1) *Ingrossare*, est « luculentius scribere, quod de forensibus instrumentis dici solet ». (Du Cange, *Glossarium*).

In Capitulo Paduano nolens acquiescere passionibus fratrum, non recte ambulans ab omnibus existimatus sum. Clamabant enim scandalum futurum (1). Fabriani vero infamatus, ut Tibi aliquis scripserat, me cum Domino Protectore (2), velle revocare Bullas, quod nunquam cogitavi, et non nisi infamationem sustinui a fr. *Marco* Vicario, e partibus Dalmatiae vocatus pergere Romam, ut praedictae Bullae in tempestate maxima defensaretur; et quia Papa *Nicolaus [V]* dixit fratribus: « *Obedite Generali Magistro* », ex hinc clamabat ille magnus loquax diabolicus, cum suis satellitibus, in pergulis et ubique: « *Ecce, quod isti spirituales oportet quod obediant; et ideo nos discessimus ab illis, ne inobedientes efficeremur* ». Et ego clamabam in populo romano, et Curiis, ceterisque civitatibus, hoc non esse verum nos fuisse inobedientes. Clamabam enim et affirmabam, quod Tu, Pater *Joannes*, ego cum ceteris Vicariis Italiae fuimus genuflexi in Conventu Aracoeli ante ipsum Magistrum *Angelum de Perusio*, Generalem Ministrum electum (3), et cedimus sibi obedientiam et reverentiam. Cum esset dictus Generalis in praedicatione, ex tunc protestans, clamavi: « *O popule Romane, o Domini Curiales, videtur vobis nos esse apostatas? Nunquid vera locuti sunt malevoli obtrectatores? Quantum sit peccatum irremissibile, sine maxima poenitentia, infamare tantam multitudinem servorum Dei, et propter recuperandam famam, et honorem familiae, malis fratribus, nostris in locis, ad condonandum poena incisionis canonum me fecisse, ex parte Generalis diffamatus fueram, ac etiam patienter sustuli* ».

Modo ad praesens adstiti Summo Pontifici et omnibus Cardinalibus, ne praedicatae Bullae tangerentur, nec revocarentur, et sic usque in praesentiarum factum est. Et iterum tales mei sussurrones, dente canino, me rodentes, per Provincias diffamarunt, me esse causam revocationum dictarum Bullarum; et tantas angustias, et diffamationes, et persecutiones plurimas, et ingratitudines multas passus, patienter substinui, ut semper in Domino nostro Jhesu Christo conatus sum, et ut senectus mea quiesceret in pace, ac imponeret finem tantis infamationibus et persecutionibus, et ut desinerem recipere suspicionem a membris diabolicis. Voveram Deo coeli de praedictis Bullis non amplius me occupare, et praecipue coram Curia Romana: faciant modo ipsi obtrectatores, quia ego angariatus, non solum multa, sed maxima in Domino feci, quamvis in omni civitate, et locis, utique proposse, familiam defensabo.

Jam fama erat per universam Italiam, Bullas esse revocatas, et omnes militantes sub eisdem, semper in peccato mortali sistebant, et sic in perditione vita eorum finiretur. Hoc autem non in secretis, sed in publicis praedicationibus acclamatum est. Ego vero, talem infamiam moleste ferens, clamabam, ipsos esse haereticos, qui tale scelus asserebant. Scripsi enim, et quotidie scribo, quod condemnabant sacrum Concilium Constantiense V^{m}. quod praedictas Bullas autentice confirmavit. Condemnabant Papam *Martinum V*, qui praedictas Bullas sua authoritate confirmavit. Condemnabant Concilium Basilense, dum erant obedientes Papae *Eugenio IV*, qui praedictas Bullas, apostolica authoritate, stabilierat. Condemnabant Papam *Eugenium IV*, qui praedictas Bullas ratificavit, et ampliavit. Condemna-

---

(1) De hoc Capitulo Paduano (1443) cf. B. Bernard. Aquil., *Chron.* cap. 9, pp. 29-32. — Glassberger, *Chron.* (Anal. franc. t. II, pp. 307-308). — Wadding. ad ann. 1443, n. 3.

(2) *Iulianus de Caesarinis*, ep. Tusculan. † 1444. — Cf. Eubel, *Hierarchia*, p. 33. n. 14.

(3) Potius *Vicarium Generalem*. — Cf. Wadding. ad ann. 1449, n. 30.

bant Papam *Nicolaum V,* qui cum sacro Concistorio predictas Bullas examinavit, et intactas reliquit. Condemnabant *S. Bernardinum,* qui sub dictis Bullis militans, vitam finivit. Condemnabant fratrem *Joannem de Capistrano,* sub dictis Bullis etiam militantem, et alios servos Dei, per quorum miracula Deus omnipotens mortuos coram omni populo suscitavit, caecos, mutos, surdos, leprosos, claudos, daemoniacos, et in omni genere infirmitatum ad veram sanitatem restituit et reduxit. Condemnabant tantam multitudinem servorum Dei innocentium sub dictis Bullis militantium, ac observantiores sancti Evangelii, et Regulae *S. Francisci,* in eorum damnatione, et erronea vita teneri; et cum in Martiniana *Martini V* contineatur expresse sub obligatione damnationis quod nullus frater Minorum, aliquo quaesito colore, audeat perquirere aliquam dispensationem contra dictas Constitutiones, et tamen *Gulielmus de Casale* (1), tunc Generalis Minister Ordinis Minorum, impetravit a Papa *Martino V* pro octo sociis, et equis, posse ducere famulum cum pecunia, quod expresse est contra puritatem Regulae, dicentis, quod « *fratres non recipiant denarios, vel pecuniam per se, vel per interpositam personam* (2) », et tamen non condemnabant, quia multi conventus Bullas Papales non habentes, posse habere proprium, videlicet possessiones, vineas, domos, apothecas, redditus annuatim, et cetera huiusmodi, quod expresse est contra Regulae puritatem, dicentis, quod « *fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem* (3) ». Et tamen non condemnabant, et observatores Regulae *S. Francisci* et sacri Evangelii, cum fortificatione Bullarum, a reprobis et a membris diabolicis reprobantur: inique et crudeliter condemnant, et falso diiudicant.

O insania, et caeca invidia, et obstinata malitia membrorum Satanae, quae nunquam desinit a via veritatis bonos pervertere, et in viam perditionis impellere, et vitam reproborum laudare, et magnificare, ut veniat super eos omnis sanguis, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, ut Deus misericors et iustus non misereatur eis usque in sempiternum!

Reverendus vero Pater Vicarius Generalis fr. *Baptista* (4), et ceteri Patres Deum timentes, poterunt Te plenius informare, pro familia quid fecerim, et Reverendus Pater Vicarius Austriae, fr. *Gabriel* (5), poterit Vestram Reverendam Paternitatem plenius informare de praedictis, et praesentibus.

Vale, Martir, ante mortem in Christo, et pro me, finito martirio, Deum exora.

Curabo facere, ut ista familia, Dei gratia, sit tandem in multa pace, et in nostra salute, ut in proximo audieris.

Datum Romae die XIII. Decembris 1449.

Ego frater Iacobus de Marchia Ordinis Minorum vester consocius in labore, et tribulationibus, et infirmitatibus plurimis, manu propria me subscripsi.

Romae, in Collegio S. Antonii, die 28 novembris,
in festo S. Jacobi de Marchia, 1907.

P. Nicolaus Dal-Gal O. F. M.

(1) Obiit Florentiae die 2 febr. 1442. — Cf. Wadding. ad ann. 1442, n. 1.
(2) Cap. 4.
(3) Cap. 6.
(4) *Tagliacarne* de Levanto. — Cf. Wadding. ad ann. 1427, n. 17.
(5) *Veronensis.*

COMPENDIUM CHRONICARUM FRATRUM MINORUM

SCRIPTUM A PATRE MARIANO DE FLORENTIA

Nomen fratris Mariani a Florentia, omnibus, qui res historicas franciscanas vel leviter delibaverint, per quam notissimum est. Waddingus ipse eius scriptis tam saepe usus est, ut multi, non recte, hoc fere unico fundamento, Annalium suorum, aere perennius, monumentum erexisse putaverint. Quanti faciendum ergo Compendium historicum, quod, prima vice ex apographo, manu auctoris recognitum, hoc in *Archivo* lucem aspicit, legentibus patebit.

De auctore et operibus eius, et praecipue de hoc Compendio, usque huc fere ignoto, fusius et plenius, edito opere, tractaturi sumus (1); sed hic breviter aliqua, quae ad descriptionem et historiam manuscripti pertinent, praemittere ducimus.

Codex sub numero 97 asservatur in Bibliotheca Moreniana, Florentiae; quem nuper clarissimus Carolus NARDINI, praefectus Bibliothecae Riccardianae, humaniter Patri Hieronymo Golubovich Directori nostri *Archivi,* inibi evulgandum indicavit. Codex est chartaceus, ligatus dimidia pergamena, mill. 225×160. In margine superiori numeratio antiqua signat folia 69: in margine inferiori e converso numeratio recens signat fol. 70, quia computat parvum folium additum inter fol. 17 et 18, in antiqua numeratione neglectum. Haec pars codicis est saeculi XVI. Scriptura nitida et clara. Aliquando habet spatiola, vel lineas integras vacuas, quae scriba, vel verosimilius auctor, implere ex novis informationibus desiderabat. Numerus linearum in foliis singulis variat inter 28 et 34.

Titulus, rubeo colore, talis est: *Compendium Chronicarum Fratrum Minorum;* manu valde posteriori subditur nigro atramento: *scriptum a Patre Mariano de Florentia auctore Chronicarum.*

In margine inferiori primae paginae, erat nomen possessoris, nunc deletum, ubi difficulter adhuc legitur: *Hic liber est fratris F.... de Florentia Minorum Observantium.* In margine superiori, scriptura antiquior habet: *Fratris Danielis de Rhetibus S. Mariae in Balneo.*

Fol. 70 v. manu ipsius fratris Mariani, colore rubeo, haec leguntur: *Omnia in hoc volumine conscripta, sunt per me fratrem M. edita, quae fratribus meis corrigenda relinquo.*

(1) Hic tantum, ut desideriis aliquorum satisfaciamus, indicantur ea quae continentur in *Miscellanea Francescana* (vol. X, p. 57-59), *Luce e Amore* (ann. I, p. 27 e 317), et *Analecta Franciscana* (IV, p. XII, n. 4): de quibus suo loco erit sermo.

Manus recens addit: *Questo Compendio di Chroniche è di mano, e forse, del Padre Mariano di Firenze, e non può esser opera d'altri.*

Post Codicem Chronicarum, numeratio recens signat aliquot folia addita saeculi nuper transacti.

Fol. 72-77, continetur: « *Relazione della visita del Papa Nicolò V alla sepoltura ed al corpo di S. Francesco in Assisi, fatta l'anno 1447 nel mese di agosto, come si contiene in un codice cartaceo scritto nel 1581 da Piero di Antonio Carmassi, medico cerusico alle Bertuccie di Firenze, dichiarando di avere copiato da un altro codice, degno di fede, e con testimoni, tutto quello si contiene nel detto mss. ora esistente nella I. R. Libreria Magliabechiana di Firenze N. 215, Palchetto 7, classe 37* ». — Incipit: *Nicolò Papa quinto, essendo a Asciesi per gran devozione li venne desiderio di vedere il santo corpo del Serafico S. Francesco.* — Desinit: *et a morte lo replicò detto messer Pietro da Noceto, come appare tutto dal suo testamento, et questo fu nel 1447 di agosto.*

Quatuor postrema folia (77 r.-80 v.) continent animadversiones criticas cuiusdam fratris Minoritae in *Compendium Chronicarum*, quarum animadversionum auctor vivebat circiter anno 1830.

P. TH. DOMENICHELLI, O. F. M.

(1r:) COMPENDIUM CHRONICARUM FRATRUM MINORUM

SCRIPTUM A PATRE MARIANO DE FLORENTIA, AUTHORE CHRONICARUM (a).

In Thuscia, regione Italiae et valle Spoletana, anno Domini **1181** (1) et 23 Pontificatus Alexandri tertii, in stabulo et supra fenum, iuxta presepe animalium, natus est Beatissimus Pater Franciscus, ex nobilibus parentibus, videlicet Petro Bernardonis merchatore et Picha honestissima: quem in ulnis suis (ut peregrinus) suscepit Angelus Domini, et in dextro humero illius signum crucis impressum, et de sacro fonte baptismatis levavit: ipsumque Episcopus Assisinas, ex voluntate matris,

(a) Secunda pars huius tituli est ex alia manu exarata in codice.

(1) Alexander III mense augusti 1181 obdormivit in Domino, completo fere anno vigesimo secundo sui Pontificatus; quod ergo habet auctor de Alexandro error est; an etiam in anno nativitatis Sancti Francisci erraverit disputatur. Pro anno 1182, quem recentiores fere omnes amplexati sunt, citatur Albertus Stadensis coaevus, franciscanus: nec documentum vel testimonium firmius opponi potest. Mediolani opus a Zaroto editum anno 1477 (die VI februarii), quod falso tribuitur Sancto Doctori Bonaventurae, capitulo LXVII, haec tradit de chronologia S. Francisci. « Nacque Sancto Francescho ai 1180: convertissi in 1206, cioè in età di XXVI. Ricevette le stimmate nel 1224, cioè a 44 anni: passò da questa vita sabato sera, e fu seppellito domenica, 4 ottobre 1226, a 46 anni: canonizato 1228 ». Discrepatio ergo circa chronologiam Beati Francisci antiqua est. Pater Patrem (*Cronologia di S. Francesco* in *Miscellanea Francescana*, IX, pag. 76-101) nec ante mensem decembris 1181, nec post februarium 1182, ortum habuisse Franciscum, solide ac perspicue demonstrat.

Joannem in baptismo vocavit (1). Post dies octo pater eius, rediens de Francia, non Joannem, sed a Francia unde venerat, ipsum Franciscum nominavit.

Anno Domini **1205**, Beatus Franciscus in Ecclesia Sancti Damiani orans ante immaginem Crucifixi, audivit vocem de ipsa cruce ter dicentem sibi: *Vade, Francisce, repara domum meam, que, ut cernis, destruitur.* A qua hora ita vulneratum et liquefactum est cor eius, ut semper deinceps dum vixit, stigmata Domini sui in suo corde portavit (2).

Anno Domini **1206** Beatus Franciscus coram Guidone, Episcopo Assisino, ad patris requisitionem citatus et omnibus vestimentis exutus, dixit: « Audite omnes et intelligite. Usque modo, Petrum Bernardonis patrem meum vocavi, sed quia Deo servire proposui, reddo illi pecuniam pro qua turbatus erat, et omnia vestimenta que de suis rebus habui, volens amodo dicere: *Pater noster qui es in celis* » (3).

Episcopus autem hoc cum vidisset, inter brachia sua illum cum fletu colligens, pallio, quo amictus erat, operuit, precipiens suis ut aliquid sibi darent ad membra corporis eius tegenda. Ex qua re, mantellus pauper et vilis oblatus est ei, quem ipse gratanter suscipiens, cum cemento, ad modum crucis, manu propria consignavit. Itaque Christi vestigia devote sequens, sueque Religionis domum non super arenam temporalium, sed super evangelicam (**Iv**:) paupertatem fundavit, anno etatis sue vigesimo quinto, et septimo (4) pontificatus Innocentii tertii, et decimoseptimo imperii Henrici sexti (5).

Anno Domini **1207** et **1208** beatus Franciscus solus existens, ut pauper et mendicus, elemosinas querens, in reparatione trium ecclesiarum insudavit, videlicet Sancte Marie de Angelis, Sancti Petri et Sancti Damiami. Insuper leprosis diligentissime deservivit.

Anno **1209** (6) Beatus Franciscus audiens quod Christus discipulis suis ad predicandum missis, loquitur, ne, scilicet, aurum vel argentum, nec sacculum vel peram, nec virgam portarent in via, nec calciamenta haberent, nec duas tunicas, statim calciamenta solvit, baculum deposuit, peram reiecit et pecuniam execratus fuit, faciensque sibi tunicam valde contemptibilem, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumpsit.

Ad cuius exemplum statim quamplurimi animati, omnibus suis pauperibus erogatis, secuti sunt eum, videlicet:

---

(1) Haec de nativitate in stabulo, de nobilitate parentum, de angelo qui eum levavit de sacro fonte, de Episcopo qui aqua lustrali eum regeneravit, egent probatiore testimonio, ut verosimilia putentur: nec parum obstat silentium hac de re a Bartholomaeo Pisano servatum. Omnes attestationes, quae proferuntur in medio, videlicet inscriptio in superliminari ostii lapide sacelli *S. Francesco il piccolo,* picturae Montis Falci, dioecesis Spoletanae etc., sunt Pisano posteriores. Nomen Picae, primo occurrit in *Legenda trium Sociorum,* quae in Bibliotheca Vaticana, sub numero 7339 asservatur, et pluries postea in Conformitatibus fratris Bartholomaei de Pisis. Documentis praeterea synchronis manu notarii exaratis confirmatur. Verosimiliter ab eadem Legenda originem nominis Francisci frater Marianus desumpsisse videtur.

(2) Narratio de verbo ad verbum sumpta est ex *Legenda trium sociorum* cap. V. Aliqui, ut Papinius, haec anno 1205 adscribunt; sed non recte. Vide Patrem, in opere citato.

(3) Leg. cit. c. VI.

(4) *Nono* verius.

(5) Anno 1206 Imperator erat Otto IV: Henricus iam intererat ab anno 1197.

(6) Non anno 1209, sed 1208 haec evenisse certo constat: vide Patrem *op. cit.*

Bernardus de Quintavalle, vir venerabilis, in iure civili doctior ac ditior et sapientior omnibus, Assisinatis, cuius consilio (*a*) tota civitas regebatur (1); qui tante sanctitatis ex(ti)tit, quod Beatus Franciscus illum magno venerabatur et frequenti commendabat eloquio, et in sua absentia magnis extollebat laudibus, et moriens precipuam dedit benedictionem (2).

Petrus Cathani, Canonicus ecclesie maioris de Assisio, in conversione laudabilis, sed laudabilior in progressu, quia sicut sancte incepit, sanctius consummavit. Hunc beatus Franciscus, suum vicarium instituit, et in suis manibus generalatus officio renunciavit (3).

Egidius, vir simplex et rectus ac timens Deum, ad tertium coelum usque raptus, archana Dei conspexit: ideo multa utilia, et preclara dixit. Hi quatuor perfectissimi viri coniuncti, ad (2r:) profectum animarum, bini et bini divisi ad duas partes, seu provincias perexerunt, homines ad poenitentiam simpliciter animantes. Tandem ad Sanctam Mariam reversi, tres alii viri infrascripti, ad Beatum Franciscum venerunt (4).

Sabatinus, cuius vita virtutibus plena cunctis erat sanctitatis exemplum, vir, nempe, perfectionis magne. Cuius corpus Rome in Araceli requiescit (5).

Moricus parvulus, de Ordine Cruciferorum ad Ordinem Minorum veniens, tante fortitudinis extitit, ut longo tempore ad carnem loricam tulit, et crudis dumtaxat cibariis, herbis, videlicet, leguminibus, fructibusque contentus, nec panem nec vinum gustans, fortis tamen et incolumis perseveravit. Cuius corpus miraculis clarum in Urbevetere quiescit (6).

Iohannes de Cappella, in miro hedificio non positus in caput anguli, sed reprobatus. Hic de rebus necessariis procurator erat Fratrum, et quia nimis abunde providebat, et laxabatur in regulari disciplina, pluries fuit a beato Francisco reprehensus, et suum eventum ei predictum: qui nolens se corrigere, leprosus effectus, unde non valens patienter infirmitatem subire, Ordine egressus, et primus in Ordine apostata factus, tandem laqueo se suspendit (7).

Philippus Longus. Hic inter alia, calculo ignito, ab angelo mundari labia meruit: ex quo Sacras Scripturas intelligens et interpretans, verba de Iesu melliflua eructabat. Hic post mortem fratris Ambrosii, Monaci Cisterciensis, primus visitator Ordinis Sancte Clare extitit (8).

(*a*) Cod. *consolio.*

(1) Iisdem verbis commendatur in *Chron. XXIV Gen.* pag. 35, lin. 20-21, *An. franc.* III. Quaracchi 1897.

(2) Plura de tanto viro reccollegit Pater Lemmens in *Fragmenta minora: Catalogus Sanctorum fratrum*, pag. 8; Romae 1903.

(3) I. Cel. n. 25; *Spec. perf.* Sab. II; Jord. 11. Cfr. plura in Golubovich *Biblioteca,* t. I p. 119.

(4) I. Cel. n. 25. De hac missione, quam aliqui in dubium vocant, alibi fusius, cum Legenda trium sociorum discutietur.

(5) *Chron. XXIV Gen.* pag. 265, et *Conf.* fr. VIII, pag. 248, l. 40, in *Anal. franc.* tom. III et IV.

(6) Ita etiam Pisanus fr. VIII, pag. 250: et ante eum *Catalogus an. 1335,* pag. 13: *Chron. XXIV Gen.* e converso asserit corpus Morici asservari in Assisio: sed forte plures Morici in unum confusi extiterunt.

(7) *Act.* c. 1. (ed. Sab.) n. 3; Bern. a Bessa (*An. franc.* III, p. 668); *Chron. XXIV Gen.* (pag. 4, in *An. franc.* III); Pisan. pag. 178 et 440, (*An. franc.* IV).

(8) I. Cel. 25. O; *Act.* c. I. n. 6. Cfr. Golubovich *Biblioteca,* t. I p. 128.

Joannem in baptismo vocavit (1). Post dies octo pater eius, rediens de Francia, non Joannem, sed a Francia unde venerat, ipsum Franciscum nominavit.

Anno Domini **1205**, Beatus Franciscus in Ecclesia Sancti Damiani orans ante immaginem Crucifixi, audivit vocem de ipsa cruce ter dicentem sibi: *Vade, Francisce, repara domum meam, que, ut cernis, destruitur.* A qua hora ita vulneratum et liquefactum est cor eius, ut semper deinceps dum vixit, stigmata Domini sui in suo corde portavit (2).

Anno Domini **1206** Beatus Franciscus coram Guidone, Episcopo Assisino, ad patris requisitionem citatus et omnibus vestimentis exutus, dixit: « Audite omnes et intelligite. Usque modo, Petrum Bernardonis patrem meum vocavi, sed quia Deo servire proposui, reddo illi pecuniam pro qua turbatus erat, et omnia vestimenta que de suis rebus habui, volens amodo dicere: *Pater noster qui es in celis* » (3).

Episcopus autem hoc cum vidisset, inter brachia sua illum cum fletu colligens, pallio, quo amictus erat, operuit, precipiens suis ut aliquid sibi darent ad membra corporis eius tegenda. Ex qua re, mantellus pauper et vilis oblatus est ei, quem ipse gratanter suscipiens, cum cemento, ad modum crucis, manu propria consignavit. Itaque Christi vestigia devote sequens, sueque Religionis domum non super arenam temporalium, sed super evangelicam (Iv:) paupertatem fundavit, anno etatis sue vigesimo quinto, et septimo (4) pontificatus Innocentii tertii, et decimoseptimo imperii Henrici sexti (5).

Anno Domini **1207** et **1208** beatus Franciscus solus existens, ut pauper et mendicus, elemosinas querens, in reparatione trium ecclesiarum insudavit, videlicet Sancte Marie de Angelis, Sancti Petri et Sancti Damiami. Insuper leprosis diligentissime deservivit.

Anno **1209** (6) Beatus Franciscus audiens quod Christus discipulis suis ad predicandum missis, loquitur, ne, scilicet, aurum vel argentum, nec sacculum vel peram, nec virgam portarent in via, nec calciamenta haberent, nec duas tunicas, statim calciamenta solvit, baculum deposuit, peram reiecit et pecuniam execratus fuit, faciensque sibi tunicam valde contemptibilem, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumpsit.

Ad cuius exemplum statim quamplurimi animati, omnibus suis pauperibus erogatis, secuti sunt eum, videlicet:

---

(1) Haec de nativitate in stabulo, de nobilitate parentum, de angelo qui eum levavit de sacro fonte, de Episcopo qui aqua lustrali eum regeneravit, egent probatiore testimonio, ut verosimilia putentur: nec parum obstat silentium hac de re a Bartholomaeo Pisano servatum. Omnes attestationes, quae proferuntur in medio, videlicet inscriptio in superliminari ostii lapide sacelli *S. Francesco il piccolo,* picturae Montis Falci, dioecesis Spoletanae etc., sunt Pisano posteriores. Nomen Picae, primo occurrit in *Legenda trium Sociorum,* quae in Bibliotheca Vaticana, sub numero 7339 asservatur, et pluries postea in Conformitatibus fratris Bartholomaei de Pisis. Documentis praeterea synchronis manu notarii exaratis confirmatur. Verosimiliter ab eadem Legenda originem nominis Francisci frater Marianus desumpsisse videtur.

(2) Narratio de verbo ad verbum sumpta est ex *Legenda trium sociorum* cap. V. Aliqui, ut Papinius, haec anno 1205 adscribunt; sed non recte. Vide Patrem, in opere citato.

(3) Leg. cit. c. VI.

(4) *Nono* verius.

(5) Anno 1206 Imperator erat Otto IV: Henricus iam intererat ab anno 1197.

(6) Non anno 1209, sed 1208 haec evenisse certo constat: vide Patrem *op. cit.*

Bernardus de Quintavalle, vir venerabilis, in iure civili doctior ac ditior et sapientior omnibus, Assisinatis, cuius consilio (*a*) tota civitas regebatur (1); qui tante sanctitatis ex(ti)tit, quod Beatus Franciscus illum magno venerabatur et frequenti commendabat eloquio, et in sua absentia magnis extollebat laudibus, et moriens precipuam dedit benedictionem (2).

Petrus Cathani, Canonicus ecclesie maioris de Assisio, in conversione laudabilis, sed laudabilior in progressu, quia sicut sancte incepit, sanctius consummavit. Hunc beatus Franciscus, suum vicarium instituit, et in suis manibus generalatus officio renunciavit (3).

Egidius, vir simplex et rectus ac timens Deum, ad tertium coelum usque raptus, archana Dei conspexit: ideo multa utilia, et preclara dixit. Hi quatuor perfectissimi viri coniuncti, ad (**2r**:) profectum animarum, bini et bini divisi ad duas partes, seu provincias perexerunt, homines ad poenitentiam simpliciter animantes. Tandem ad Sanctam Mariam reversi, tres alii viri infrascripti, ad Beatum Franciscum venerunt (4).

Sabatinus, cuius vita virtutibus plena cunctis erat sanctitatis exemplum, vir, nempe, perfectionis magne. Cuius corpus Rome in Araceli requiescit (5).

Moricus parvulus, de Ordine Cruciferorum ad Ordinem Minorum veniens, tante fortitudinis extitit, ut longo tempore ad carnem loricam tulit, et crudis dumtaxat cibariis, herbis, videlicet, leguminibus, fructibusque contentus, nec panem nec vinum gustans, fortis tamen et incolumis perseveravit. Cuius corpus miraculis clarum in Urbevetere quiescit (6).

Iohannes de Cappella, in miro hedificio non positus in caput anguli, sed reprobatus. Hic de rebus necessariis procurator erat Fratrum, et quia nimis abunde providebat, et laxabatur in regulari disciplina, pluries fuit a beato Francisco reprehensus, et suum eventum ei predictum: qui nolens se corrigere, leprosus effectus, unde non valens patienter infirmitatem subire, Ordine egressus, et primus in Ordine apostata factus, tandem laqueo se suspendit (7).

Philippus Longus. Hic inter alia, calculo ignito, ab angelo mundari labia meruit: ex quo Sacras Scripturas intelligens et interpretans, verba de Iesu melliflua eructabat. Hic post mortem fratris Ambrosii, Monaci Cisterciensis, primus visitator Ordinis Sancte Clare extitit (8).

(*a*) Cod. *consolio*.

(1) Iisdem verbis commendatur in *Chron. XXIV Gen.* pag. 35, lin. 20-21, *An. franc.* III. Quaracchi 1897.

(2) Plura de tanto viro reccollegit Pater Lemmens in *Fragmenta minora: Catalogus Sanctorum fratrum*, pag. 8; Romae 1903.

(3) I. Cel. n. 25; *Spec. perf.* Sab. II; Jord. 11. Cfr. plura in Golubovich *Biblioteca*, t. I p. 119.

(4) I. Cel. n. 25. De hac missione, quam aliqui in dubium vocant, alibi fusius, cum Legenda trium sociorum discutietur.

(5) *Chron. XXIV Gen.* pag. 265, et *Conf.* fr. VIII, pag. 248, l. 40, in *Anal. franc.* tom. III et IV.

(6) Ita etiam Pisanus fr. VIII, pag. 250: et ante eum *Catalogus an. 1335*, pag. 13: *Chron. XXIV Gen.* e converso asserit corpus Morici asservari in Assisio: sed forte plures Morici in unum confusi extiterunt.

(7) *Act.* c. 1. (ed. Sab.) n. 3; Bern. a Bessa (*An. franc.* III, p. 668); *Chron. XXIV Gen.* (pag. 4, in *An. franc.* III); Pisan. pag. 178 et 440, (*An. franc.* IV).

(8) I. Cel. 25. O; *Act.* c. I. n. 6. Cfr. Golubovich *Biblioteca*, t. I p. 128.

Hi octo Fratres, bini et bini divisi, ad quatuor partes gressus suos dirigunt; frater autem Bernardus et frater Egidius cum Florentiam venissent, ibidem a pueris opprobria quam plurima et iniurias pro Christo patienter tulerunt. (**2v**:). Hospitio tamen capto apud ecclesiam Sancti Galli extra civitatem in societatem suam aliqui viri florentini receperunt (*sic*): videlicet frater Iohannes Bonellus, quem Beatus Franciscus misit postea ad Proventiam, primum Ministrum: frater Monaldus, vir angelicus, qui in Capitulo Arelatensi vidit Beatum Franciscum in modum crucis; Frater Joseph qui miraculis claruit, in ecclesia Sancti Galli sepultus (1).

Dum autem supradicti fratres, socii Beati Francisci, sic per mundum, predicando magis exemplo quam verbo, irent, Beatus Franciscus Assisium reversus est. Quo tempore quatuor alii boni et idonei viri, erogatis bonis suis pauperibus, ad Religionem venerunt, videlicet:

Iohannes a Sancto Constantio, vir simplex et dilectus inter coeteros a Beato Francisco, propter suam humilem conversationem: in Sancta Maria de Angelis sepultus (2).

Bernardus, vir sanctissimus, et frater Bernardus de Viridante, in omni virtute decorus (3).

Frater Silvester, qui fuit primus sacerdos Ordinis, et tante sanctitatis et gratie, quod cum Iesu Christo loquebatur, sicut amicus cum amico (4). His itaque viris a beato Francisco receptis, benignus Pater ceterorum, qui in dispersione erant, exoptans presentiam, cum in unum eos per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri qui [a] dispersione congregat Israel. Sicque factum est ut, absque humana vocatione, omnes et etiam illi quos et ipsi Florentie receperant, ex insperato post modicum temporis, iuxta eius desiderium, divina operante elementia, non sine eorum admiratione pariter convenerunt.

Itaque quum sunt omnes congregati, scripsit Beatus Franciscus sibi et Fratribus suis simplicibus verbis formulam vite, in qua Sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quedam alia inseruit, que ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Qua conscripta, omnes unanimes Romam versus iter arripuerunt, eligentes in ducem et caput fratrem Bernardum de Quintavalle (**3r**:), ut quocumque ipse declinare vel hospitari vellet, omnes declinarent vel hospitarentur.

Cum transisse[n]t per Reatinam civitatem, invenerunt militem quemdam, nomine Angelum Tancredum, cui Beatus Franciscus ait: « Domine Angele, cingulum, ensem et calcaria militaria, tempore magno tulisti: oportet modo ferre pro cingulo rudem funem, pro ense Christi crucem, pro calcaribus lutum et pulverem. Igitur venias post me, et faciam te militem Iesu Christi ». At ille statim relictis omnibus, factus frater, secutus est eum. Hic fuit primus miles, qui Ordinem intravit, magne curialitatis et discretionis et benignitatis, quem Beatus Franciscus tantum dilexit, usque ad mortem semper pro cappellano habere voluit, et in Ordinis negotiis semper secum duxit (5).

---

(1) I. Cel. 48; Pis. cit. p. 253; *Chron. XXIV Gen.* pag. 23 et 230.

(2) *Conf.* fruc. VIII, pag. 177 et 243; *Chron.* cit. p. 4 et 252.

(3) *Cat.* cit. p. 43, n. 6; *Conf.* loc. cit. p. 177, 243, et 362; *Chron. XXIV Gen.* p. 4.

(4) *Leg. 3 Soc.* c. IX; II. Cel. n. 109 etc.

(5) *Cat.* cit. p. 5; *Spec.* Sab. 67; *XXIV Gen.* p. 252; *Conf.* multis in locis.

Cum Beatus Franciscus pervenisset Romam, quamprimum accessit ad palatium Lateranense, ubi in loco, qui dicitur Speculum, invenit Christi Vicarium deambulantem, qui in altis videbatur occupatus meditationibus, qui Beatum Franciscum tamquam ignotum repulit indignanter. Qui humiliter foras ingressus, invenit Dominum Guidonem, Episcopum Assisii, a quo cum ingenti gaudio fuit receptus. Et audita causa adventus sui, recommendavit illum Domino Iohanni Columna, Episcopo Cardinali Sabinensi, qui obtulit se ei procuratorem coram summo Pontifice.

Interim Innocentio papae, sequenti nocte, huiusmodi revelatio facta est a Deo. Videbat namque inter pedes suos palmam paullatim succrescere, et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid hec visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius, quod hec palma illum pauperem, quem precedente die repulerat, designabat. Vidit etiam quod ecclesia Lateranensis minabatur ruinam, et quidam modicus despectus religiosus eam substentabat, proprio dorso submisso. Evigilans ergo, mane sequenti, misit per urbem dictum pauperem queri. Quem invenerunt (3r:) iuxta Lateranum, in hospitale Sancti Antonii; ante conspectum suum celeriter iussit adduci. Dum autem querebant, Dominus Cardinalis intrans ad Pontificem, quomodo invenerat virum perfectissimum retulit, et coram Sua Sanctitate presentavit.

Beatus autem Franciscus Summo Pontifici propositum suum patefecit, petiitque ab eo sibi Regulam confirmari. Respiciens eum Dominus Papa ita ferventem in Dei servitio, atque conferens de visione sua, coepit intra se dicere: « Vere hic est ille vir religiosus et sanctus, per quem sublevabitur et substentabitur Ecclesia Dei ». Et sic amplexatus est eum, et Regulam, quam scripserat, approbavit. Dedit etiam sibi licentiam predicandi ubique poenitentiam, ac Fratribus suis, ita tamen quod qui predicaturi erant, ab eo licentiam obtinerent. Et exortans eos de multis, benedixit eis, dicens: « Ite cum Domino, fratres, et sicut ipse vobis inspirare dignabitur, omnibus penitentiam predicate. Cum autem omnipotens Deus vos multiplicaverit numero et gratia, referetis nobis, et nos plura his concedemus, ac maiora vobis securius committemus ». Ad procurationem etiam prefati Cardinalis, voluit omnes illos duodecim fratres esse clericos. Ideo fecit fieri eis coronas, et instituit Beatum Franciscum Generalem Ministrum omnium Fratrum suorum, qui, tunc ibi erant presentes, et futuri. Tunc Beatus Franciscus promisit humiliter et devote Domino Pape obedientiam et reverentiam; et socii sui, ex precepto Pontificis Beato Francisco similiter promiserunt obedientiam; et suscepta benedictione, ad vallem Spoletanam redierunt. Acta sunt hec circa annum Domini **1210** (1).

Reversus itaque Beatus Franciscus in vallem Spoletanam, cepit circuire civitates et castra, ubique amplius et perfectius predicare, non in persuasivis humane sapientie verbis, sed in doctrina et virtute Spiritus Sancti, annuntians fiducialiter regnum Dei. Ceperunt proinde nobiles et ingnobiles, clerici et laici, divina inspiratione afflati, eius vestigiis adherere, abiectisque secularibus pompis et curis, sub ipsius vivere disciplina. Inter quos plurimi (4r:) magnis clari virtutibus fulserunt (*a*), videlicet: Leo columbinus, Sancti Patris secretarius et confessor

(*a*) Cod. *fluxerunt*.

(1) Nihil solidi contra hanc chronologiam afferri potest. Cf. Patrem cit.

et cancellarius, quem propter eius vite simplicitatem singulariter diligebat, et Fratrem pecorellam Dei frequenter nominabat. Hic multa scripsit de verbis et intentionibus Beati Francisci. Insuper vitam et gesta fratris Bernardi de Quintavalle, et fratris Aegidii, tertii socii Beati Francisci exaravit. Gesta quoque Sancti Patris in statu mundano annotavit; plurimis etiam miraculis vivens clarus, migravit ad Dominum (1).

Ruffinus Ciffj de nobilioribus de Assisio, consanguineus Sancte Clare. Qui virgo extitit purissimus, orationis et contemplationis prerogativa sublimis. Odorifere insuper conversationis floridus, coram Deo et hominibus, virtutibus multis et gratiis spiritualibus ornatus (2). Hic de mandato Capituli Generalis cum fratre Angelo et fratre Leone, *legendam* edidit Beati Francisci, que *trium Sociorum* dicitur.

Masseus Marignanus, vir utique magnus, orationis et lacrimarum, semel tantum in die comedens, multumque vigilans. Erat insuper gratiosi aspectus, naturali sensu (*a*) ornatus et precipue discretionis ac devoti eloquii, quem libentius pro socio ducebat Franciscus, propter adiutorium quod ei impendebat, dum erat in contemplatione, secularibus satisfaciendo et ipsum occultando, ne ab illis impediretur (3).

Juniperus, vir simplex et rectus: qui propter perfectam cognitionem proprie vilitatis, usque ad perfectum statum patientie devenit. Hic etiam propter profundam humilitatem suam et summum desiderium imitandi Christum per signum crucis, plus cupiebat vituperari, quam aliquis frater sui temporis, ex quo iniuriis lacessitum (*b*) nullus numquam turbatum vidit. Ex quibus demones presentiam suam valde timebant. Beatus Franciscus ipsum laudans, dicere consueverat: « Utinam de talibus Juniperis, magnam silvam haberem ». Hic Rome in pace quievit, ibidem sepultus (4).

(4v:) Illuminatus de Reate, vir luminis et virtutis clarus. Hic cum Beato Francisco ad Soldanum ivit (5).

Augustinus de Assisio tanta perfectione claruit, quod Beatus Franciscus misit eum primum Ministrum ad Terram Laboris. Sanctitatem huius, pariter et fratris Illuminati, Dantes poeta testatur, capitulo duodecimo, tertie Cantice, ponens eos inter Doctores, quamvis humana scientia caruisse(n)t, cum ut sol mundum lustrasse(n)t exemplo et sanctitate. Hic Neapolin requiescit (6).

Leonardus et frater Stephanus, sanctitate clari et socii speciales Beati Francisci (7).

(*a*) Cod. *naturalis sensus*. — (*b*) Cod. *lacessitus*.

(1) Cf. *Catal.* p. 4; ubi citantur plura testimonia; et Sab. in edd. *Speculi, Actus*, et *Bartholi*.

(2) I. Cel. 95; *Spec.* Sab. 85; *Act.* 31-35; *Cat.* p. 6.

(3) *Spec.* Sab. 85; *Catal.* cit. p. 6; Bartholi, *De Ind. Port. Intr.*

(4) *Cat.* ubi colliguntur omnia testimonia, quae habentur.

(5) A Papinio (Stor. I. pag. 121, n. 6) referuntur documenta certa eius conversionis. Cf. G. Golubovich (*Biblioteca bio-bibl.* t. I p. 30-34), ubi multa perspicue enucleantur.

(6) Cf. II. Cel. n. 218, et *Tract. de Mir.* 116; Bern. a Bessa, p. 669: *Chron. XXIV Gen.* asserit sepultum esse Capuae (p. 226); *Conf.* concordant cum Mariano (pag. 523), et cum *Catal.* ed. a P. Lemmens, p. 21.

(7) Cf. Bessa (pag. 669), *Cat.* cit. (pag. 12 et 30), *Chron. XXIV Gen.* (p. 248, 249), Pis. p. 345, 537, 244. Golubovich *Biblioteca* cit. t. I p. 126-28.

Iacobus de Assisio omni laude dignissimus, cuius corpus Fogie requiescit, provincie Sancti Angeli, miraculis clarens (1).

Theobaldus de Assisio, qui tanta claruit sanctitate, ut iniuncta sibi obedientia a prelato, super flumen Tiberis, propriis pedibus ambulavit, clamantibus et mirantibus omnibus circa flumen astantibus, ne transiret. Hic, miraculis clarus, apud Ortam sepultus est (2).

Simon de Assisio, vir solitarius et magne contemplationis et speculum lucide sanctitatis et omnium virtutum. Qui licet nunquam grammaticam didicisset (*a*), tamen tam profunde et tam alte de Deo loquebatur. Cuius miracula, auctoritate Gregorii noni, episcopus Spoletinus approbavit (3).

Symon de Collazone, scientia et sanctitate prefulgidus, per Beatum Franciscum missus est in Germaniam, ut ibidem Religionem dilataret. Hic multis fulgens miraculis, inter alia puerum submersum in aquis molendini, invocatione eius facta a matre, resuscitavit (4).

Iohannes de Laudibus. Hic suo tempore fuit fortissimus corpore super omnes fratres, et vivente Sancto Francisco, tangere meruit vulnus eius laterale. Cuius corpus Bittonii cum Sancto Tripolito requiescit (5).

Postquam Beatus Franciscus multiplicavit filios, binos ad predicandum per Italiam dispersit, regionesque varias cuilibet eorum assignavit. Et ut exemplum aliis de vera obedietia demonstraret, ipse primus, electo fratre Silvestro pro socio, per Etruriam iter arripuit, et per diversas civitates (**5r**:) et castra, plurimos ad Religionem recepit, qui virtutibus et miraculis mundum et Ordinem clarum fecerunt, inter quos hii praecipui fuere, videlicet:

Humilis de Perusio, vir innocens ac timens Deum, recedensque a malo omni tempore vite sue, qui tandem commonitus a Deo, mundo renuntians, ingressus Religionem, solitariam vitam duxit apud ecclesiam Sancti Galli, denique a seculo migrans, miraculis clarus, in sancta Cruce sepelitur (6).

Guidus de Cortona, a sua pueritia, in Dei amore nutritus, litterisque eruditus, adhuc in seculo degens, ieiuniis, vigiliis, orationibus et visitationibus infirmorum et pauperum servitio vacabat. In Religione autem orationi et contemplationi semper intentus erat, et populo solempniter proponebat verbum Dei. Hunc etiam Deus mundo miraculis dedit gloriosum (7).

Helias etiam de Cortona, vir utique sapientia et prudentia naturali in orbe famosus, a tota cur[i]a romana et imperiali dilectus, vi-

(*a*) Cod. *didiscet*.

(1) *Tract Mir.* Cel. n. 116: *Dial.* 91; *Catal.* 21; *Chron. XXIV Gen.* p. 498; Pis. p. 295, et 531.

(2) *Dial.* p. 17; *Cat.* p. 12; *Chron. XXIV Gen.* p. 265; Pis. 249.

(3) Simon de Assisio, ut bene adnotat Papinius (*Storia* II. 211), non est confundendus, ut plures faciunt, cum Simone de Colazone. Cf. *Actus.* ed. Sab. c. 73; Bessa, pag. 668; *Cat.* pag. 10, ubi tamen non recte dicitur de Spoleto; melius Pisanus praefert locum Brunfortii (pag. 244).

(4) Salimb. ed. Parm. pag. 146; *Chron. XXIV Gen.* p. 254; Pis. p. 240.

(5) *Spec.* Sab. c. 85; Salimb. ed. Parm. p. 410; Bessa, p. 668; *Chron. XXIV Gen.* 226; *Conf.* cit. fruct. VIII. p. 243, 504, 618.

(6) *Cat.* p. 14; *Chron. XXIV Gen.* p. 285; *Conf.* cit. p. 252, 429, 518.

(7) Cf. Pis. 261 et 519.

carius Beati Francisci in toto orbe, et Generalis post mortem Sancti electus, Cortone mortuus est, recognita culpa sua (1).

Victus de eadem urbe. Hic tanta religiositate et zelo religionis micuit, ut fama sua ad longinquas partes diffundebatur, qui etiam Minister in Greciam missus est (2).

Benedictus de Aretio, vir magne sanctitatis, et socius predilectus Beati Francisci, primus Minister in Grecia, Iohannem imperatorem ad Ordinem recepit (3).

Iohannes Parens, iuris peritus, uxore defuncta, cum unico filio factus est frater. Qui tanta in Ordine emicuit sanctitate, ut a Beato Francisco dignus omni reverentia iudicabatur. Unde ipsum primum Ministrum totius Hispanie constituit, quo ipsum cum multis fratribus ad dilatandum Ordinem transmisit. Denique post Sancti Francisci obitum, primus Minister Generalis totius Ordinis electus est. Qui etiam fuit miraculorum gloria decoratus (4).

Michael de Albertis, miraculis clarus, in ecclesia Sancti Galli, cum aliis pluribus sepultus est, et supra dictum (5).

Angelus de Pisis, vir omni perfectione decoratus. Hunc Beatus Franciscus, misit primum Custodem in Franciam, ubi Parisius fundavit Conventum (**5v**): deinde missus fuit primus Minister in Angliam (6).

Albertus de Pisis in Anglia successit in officio Ministeriatus fratri Angelo supradicto, in Germania fratri Cesario, in Hyspania fratri Iohanni Parenti; postremum electus fuit Generalis Minister totius Ordinis (7).

Anno Domini **1212**, et 13 pontificatus Domini Innocentii tertii et primo Imperii Federici secundi, et tertio ab inceptione (8) Ordinis Minorum, Beatus Franciscus instituit secundum Ordinem Pauperum Dominarum, cuius prima plantula fuit nobilissima virgo Clara, cum sua sorore Agnese, quas ipse Beatus Franciscus perpetuo carceravit in ecclesia Sancti Damiani. Proinde secuta est felicissimas filias, mater earum nobilissima, Ortulana nomine. Postea alia filia Beatrix nuncupata, et duo nepte, scilicet Amata et Balbina, cum pluribus aliis, sub arcta clausura et paupertate fratrum Minorum (9).

Agnes, illustrissima filia Otherchi (10) Regis Bohemie, Federico secundo iam desponsata, audita fama et fervore sanctissime Clare,

---

(1) Helias, non Cortonae, sed Boviliae apud Assisium natus est. Fuit Minister Generalis post mortem Sancti Francisci, sed non immediate; successit enim Iohanni Parenti.

(2) Omnia quae de tanto viro habentur collegit P. Golubovich, in sua *Biblioteca bio-bibliografica*, t. I pag. 139, 177.

(3) Critica severa usus, memorias B. Benedicti de Aretio ordinavit perpulchre laudatus P. Golubovich in cit. *Biblioteca bio-bibliografica*, t. I p. 129-149.

(4) *Catal.* p. 44; *Chron. XXIV Gen.* p. 210-215; Pis. 262, 517.

(5) Hucusque nihil de hoc viro reperi.

(6) Ecclest. *De Adv.* etc. (*Anal. franc.* tom. I, 217 et seq.).

(7) Ecclest. cit. p. 243; Iord. n. 31 et seq.

(8) Inceptio Ordinis hic significat approbationem Regulae.

(9) Cf. Vita a Thoma de Celano confecta, in *Act. SS.*

(10) Nomen proprium est Premislaus; Otherchus, rectius Ottokarus, nomen est adscitum. Plurae afferuntur epistolae Sanctae Clarae, ad Sanctam Agnetem, de quarum authenticitate non infirmis argumentis dubitavit P. Affò in sua *Risposta dell'autore della vita di fr. Elia, Ministro Generale de' Minori, stampata in Parma nel 1783, alla lettera dell'anonimo Pisano etc.* pag. 21 e 22.

celesti afflata spiritu, Imperatori terreno renunciavit, constructoque monasterio in civitate Pragensi, cum aliis quampluribus virginibus, sub eodem habitu et Regula et paupertate Sancte Clare se reclusit. Quam famam cum audisset Beata Clara, per nuncios, quos ipsa Sancte Clare direxerat, Dominum Deum collaudavit, et ei aliqua munuscula trasmisit, scilicet velum, vas, in quo comedebat, et ciffum. Que omnia Beata Agnes auro et gemmis ornavit. Harum fama roborante per mundum, multiplicare ubique ceperunt monasteria, multe filie Regum, Ducum, Comitum, et Baronum mundum deserentes, prefatarum exemplo, sponso celesti sunt iuncte. Verum post monasterium Sancti Damiani, primum quod erectum (*a*) fuit, est monasterium Montecelii apud Florentiam, in quo Beatus Franciscus destinavit abbatissam sanctissimam Agnetem, sororem Sancte Clare (1).

Ordine Pauperum Dominarum instituto, incidit (*b*) Beatus Franciscus in magnam dubitationis cuiusdam agoniam, utrum videlicet orationi vacaret, aut predicando per mundum discurreret. De hac igitur dubitatione (**6r**:) tandem certificatus, a Deo scilicet, qui non vocaverat eum per se tantum, sed propter salutem aliorum, protinus surgens succinxit se, et iter agressus (*c*) cum fratre Masseo et fratre Angelo venit ad castrum, quod dicitur Canarium, ubi in tanto fervore predicavit, quod omnes illi de Canario, viri et mulieres, volebant, relicto Castro, ire post eum. Sanctus vero Franciscus ait illis: « non festinetis; ego ordinabo, quod pro salute vestra facere debeatis ». Et ex tunc cogitavit facere Tertium Ordinem, quem postmodum, anno **1221**, scripta Regula, Florentie instituit (2).

(Continuabitur).

(*a*) Cod. *electum.* — (*b*) Cod. *incipit.* — (*c*) Cod. *ingressus.*

(1) Cf. *Bull. franc.* tom. I. p. 3, in nota.
(2) De Tertio Ordine, re non satis adhuc explorata, fr. Marianus scripsit integrum Tractatum. Quae ergo hic habentur non parvi aestimanda sunt, nec leviter respuenda.

CODICOGRAPHIA

DESCRIPTIO CODICIS AMSTELODAMENSIS

(Sted. Bibl., sign. I E 29).

Ad bibliothecam Communalem Amstelodamensem (Stedelijke Bibliotheek van Amsterdam) nescio quo casu devenit codex quidam Franciscanus (1), e Germania oriundus, qui olim ad usum erat cuiusdam conventus Fratrum Minorum Provinciae Saxoniae, quae S. Crucis hodie nuncupatur. Fere omnes, qui huic codici insunt, libellos alibi iam typis invenies expressos; reperiuntur tamen documenta duo, quae nullibi hucusque, quod sciam, typis fuerunt vulgata, scilicet: 1° *Statuta generalia* Tolosae anno 1532 edita in Observantium Ultramontanorum Capitulo Generali, et 2° *Statuta Provincialia* Provinciae Saxoniae annis 1467 et 1494 promulgata. Utrumque documentum publici facere iuris in animo mihi est. Posterius imo quam primum in hoc Periodico prodibit.

Praecedat necesse est accurata ipsius codicis descriptio, non solum technica quam vocant, sed etiam formalis.

Est codex chartaceus, foliorum 158 (folia 115-124 sunt membranea), $0^m. 160 \times 0.210$, ex variis libellis varia manu, varioque descriptis tempore compactus; ligatus dorso e corio confecto (originali, ut videtur), tabulisque duabus chartaceis, clausura aenea coniunctis. Foliorum notae olim in summis foliis interrupta serie plumbo erant appositae hoc ordine: 1-14, 14 bis -35, 1-7, 1-11, 1-63, 63 bis -77 et dein 26 folia non notata. Iis tamen in infimis foliis plumbo substitui seriem notarum continuam (1-158). Lemmata ubique minio sunt depicta. Conflatur codex ex variis fasciculis hoc ordine conglutinatis:

4 quaterni, sign. A-D =	fol.	1-32	1 sexternus	fol.	93-104
1 semiquaternus, sign. E.	»	33-36	2 quinterni	»	105-124
1 quaternus (deest f. ult.) (2)	»	37-43	1 quinternus (deest fol. ult. (2) sed habet fol. insiticium)	»	125-134
1 sexternus (deest f. 11um) (2)	»	44-54	1 quaternus*.	»	135-142
1 quaternus.	»	55-62	2 semi-sexterni . . .	»	143-154
1 sexternus	»	63-74	4 folia insiticia. . . .	»	155-158
1 septernus	»	75-88			
1 semiquaternus	»	89-92			

(1) Unicus hic est huius bibliothecae codex, latinus inquam, cui insint tractatus qui primum tangant S. Francisci Ordinem. Alii pauci qui asservantur codices latini Franciscani, ad Tertium potissimum spectant Ordinem. Quos suo tempore describere et evolvere curabo.

(2) Absque contextus detrimento.

E quo conventu codex oriundus sit diiudicare non potui, nec quinam fuerint, qui varios libellos exaraverint, amanuenses. Occurrit quidem fol. 132a post exscriptam quamdam Bonifacii VIII Bullam nomen fratris Nicolai Karoli hac formula: « *Ego frater nicolaus karoli vidi bullam origenalem sub plumbo, nec credo hoc privilegium esse revocatum per nova Iura in clementinis. Presentetur hec copia Reverendo patri henningo Selen, vicario benemerito provincie saxonie* », haec tamen verba ab eo non propria manu fuisse exarata, certis demonstratur argumentis. Sine dubio enim fr. Nicolaus Karoli est celeberrimus iste Vicarius Provincialis Provinciae Argentinensis (Strassburg), Observantiae regularis primus in sua Provincia ac strenuus promotor, qui annis 1450-1455 Vicarii Provincialis munere functus et deinde saepius Guardianus, obiit Moguntiae (Mainz) die 3 Octobris anno 1483 (1). Iamvero ex hoc uno negandum esse patet, Nicolaum Karoli, alienae Provinciae alumnum, gravibus in Ordine officiis perpetuo pressum, tempus suum impendisse in conscribendis codicibus. Sed et aliunde idem probatur. Eadem namque manus quae scripsit verba « Ego frater nicolaus karoli » etc. exaravit quoque haec codicis folia: 55-62 (anno 1496), 93-114 (anno 1497), 125-132 (sine anni nota). Quodsi harum partium scripturam penitius inspexeris, manifestum est, folia 125-132, licet anni nota non ornata, eodem tamen tempore fuisse descripta ac aliae duae partes, quum scriptura ubique usque ad puncta et apices eiusdem omnino indolis sit atque naturae. Ergo etiam verba « Ego frater nicolaus karoli » etc. fuerunt exarata circa annos 1496-1497. Ex quo statim duplici argumento deducitur, fratrem Nicolaum Karoli non propria manu verba laudata aliasque codicis partes exarasse, quum ipse, quod iam monui, anno 1483 mortuus sit, et Henningus Sehle, cui copia Bullae monetur praesentanda, iam anno circiter (= 1474) (2) e vivis fuerit sublatus.

Videtur codex noster olim fuisse adhibitus pro lectione ad mensam in refectorio. Non tantum namque in eo exstant omnia illa quae iuxta Statuta Provinciae Saxoniae postea edenda (Cap. III, n. 1. et Cap. VI, n. 4) ad mensam legenda erant (3), sed ad « articulos de pau-

---

(1) P. Minges, *Geschichte der Franziskaner in Bayern* (München 1896), S. 58; cf. S. 44-46, 54; K. Eubel, *Geschichte der oberdeutschen (Straszburger) Minoriten-Provinz* (Würzburg 1886), S. 61, 63 et Anm. 358 et 366. Multa etiam de fr. Nic. Karoli narrant Glassberger, *Chronica* (ed. in *Analecta Franciscana*, II, Quaracchi 1887) passim (cf. Registrum i. v. Nicolaus), et Fr. Hueber, *Dreyfache Chronickh von dem dreyfachen Orden des grossen H.... Francisci... in Teutschland* (München 1686), passim (cf. Registrum i. v. Nicolaus). Cf. etiam *Chronica Anonyma*, ed. in *Analecta Franciscana*, I (Quaracchi 1885), pp. 291, 296.

(2) Cf. Introductio ad Statuta Provinciae Saxoniae postmodum edenda.

(3) Sunt autem haec: *Regula fratrum Minorum*, legenda qualibet Feria 6, quae exstat in vulgari una cum Testamento B. Francisci fol. 55a1 - 61a2. *Declarationes SS. Pontificum*, legendae mensibus Ian. et Octobr. (fol. 93b - 113a la-

pertate », qui mensibus Aprilis, Iunii, Augusti et Decembris ex Nicolai III et Clementis V Declarationibus legi praescribebantur, in ipso codice diligenter minio adnotatur, ubi isti articuli incipiunt et ubi terminantur (1). Imo praeter indiculos novem ex corio confectos, quos ad foliorum margines invenire est (foll. 38, 55, 61, 77, 93, 105, 113, 116 et 125), adglutinati sunt alii duo foliis 96 et 108, ubi articuli isti de paupertate incipiunt in textu Declarationum latino.

Quoad codicis fata de cetero nihil notum est, nisi quod olim fuerit ex libris v. cl. Guilielmi Moll († 1879) (2), quo defuncto transiit ad Bibliothecam praedictam, ubi hodie asservatur sub signo I E 29.

Descriptio eorum, quos codex continet libellorum, iam habetur apud M. B. Mendes da Costa (3), qui tamen rem per summa tantum capita absolvit. Opus igitur est ut accuratiorem praebeamus tractatuum enumerationem. Cum tamen, ut iam monui, non una manu nec uno tempore omnia sint exarata, uniuscuiusque partis proprietates paleographicae separatim erunt notandae.

I. Fol. 1a - 35 a. *(Statuta generalia Tolosana).* Manu exarata satis nitida anno 1536; scribitur namque fol. 35a: *Scripta Anno domini M. d. xxxvj.* — Fol. 35b et 36 vacant.

II. Fol. 37a - 43b. *(Acta Capituli Generalissimi an. 1517).* Est opusculum typis expressum.

III. Fol. 44a - 52b. *(Statuta Provincialia Saxoniae).* Manu nitida litteris satis minutis descripta anno 1494, uti liquet fol. 52b: *Finita Anno domini 1494 in vigilia s. bartholomey.*

IV. Fol. 53a - b. *(S. Bernardini casus 39).* Manu vacillante saec. XV exeuntis. — Fol. 54 vacat.

V. Fol. 55a - 62b. *(Regula fratr. Min.* etc. in lingua vulgari), exarata manu satis bona, foliis bipartitis, anno 1496. Legitur namque fol. 62b2: *Expliciunt hic scripta in die divisionis apostolorum 1496.* (Eadem manus descripsit folia 93a - 114b et 125a - 132a).

VI. Fol. 63a - 87a. *(Bullae Nicolai III et Clementis V* in lingua vulgari). Manu paullo negligenti saec. XVI ineuntis. — Fol. 87b et

---

tine; fol. 63a - 86a in vulgari). *Statuta generalia,* mensibus Febr., Maii et Sept. (fol. 1a - 35a). *Statuta Provincialia,* fer. 2 post Dom. Quinquag. (fol. 44a - 52b). *Ordinarium Divini Officii,* mensibus Martii et Nov. (fol. 89a - 92b). *Articuli de paupertate,* mensibus Apr., Iun., Aug. et Dec. (fol. 96a - 102b et 108b - 112a latine; fol. 66a - 73a et 81a - 85a in vulgari). *Regulae fr. Nicolai de Ausimo,* « interdum... intelligibiliter » legenda [III. 1] (fol. 113a - 114b latine; fol. 62a2 - 62b2 in vulgari).

(1) Cf. foll. 66a, 73a, 81a, 85a, 96a, 102b, 108b, 112a.

(2) Vide *Catalogus der Handschriften (van de Stedelijke Bibliotheek van Amsterdam),* door M. B. Mendes da Costa, II (Amsterdam 1902), p. XXXVIs (= hs. Moll, n. 69-71 et 73, 84). — Maximas heic fas esto agere grates v. cl. C. P. Burger, Bibliothecae Amstelodamensis Praefecto, qui pro benigna sua liberalitate codicem praedictum plene evolvendi copiam mihi dedit et occasionem.

(3) *Catalogus der Handschriften* cit., n. 608, p. 106.

88 vacant, praeterquamquod fol. 88b inscriptum fuit: *Expliciunt statuta generalia,* quae verba tamen atramento postea fuerunt deleta.

VII. Fol. 89a - 92b. *(Bulla Pii II).* Manu negligenti saec. XV exeuntis descripta.

VIII. Fol. 93a - 114b. *(Bullae Nicol. III et Clem. V, et Regulae fr. Nicolai de Ausimo* lingua latina). Manu bona (vide sub V) descripta an. 1497, quod notatur fol. 105a et 113a; insuper fol. 114b minio scribitur: *Scripta sunt hec 1497 in vigilia s. andree.* — Fol. 115a vacat; 115b solum habet initium bullae Nicolai III.

IX. Fol. 116a - 124b, membranea *(Ordinarium div. Officii* etc.). Manu optima anno 1498, qui notatur fol. 124b.

X. Fol. 125a - 132a *(Regula Tertii Ordinis* etc.). Manu bona (vide sub V) saec. XV exeunte. — Fol. 132b - 134 vacant.

XI. Fol. 135a - 154b. *(Privilegia Fratr. Minor.).* Opusculum typis vulgatum. — Fol. 155 - 158 vacant.

Habet codex tractatus qui sequuntur:

1. (Fol. 1a - 35a). **Statuta generalia** in capitulo generali Tolosano anno 1532 de novo emendata, et Brevi apostolico per Clementem Septimum anno 1533 inauctorata.

In fine (fol. 35 a): *Expliciunt statuta generalia Barchinonensia de novo emendata in capitulo generali Tolosano anno domini 1532.* — Haec Statuta, uti iam monui, alio tempore lucubranda curare in animo est.

2. (Fol. 37a - 43b). [**Acta Capituli** Generalissimi, Romae 1517].

Est opusculum typis expressum. Habet 7 folia, avulso folio 8° (ultimo); sine reclam. vel numeri notis; typ. goth.; 45 lin.; sign. a ij - a iiij; in-4°. S. n. l. et a. [Romae 1517?].

Fol. 1 (37)a: Acta Capituli generalissimi || divi ordinis sancti Francisci: rome in sacro cô || ventu de ara celi: de mandato sanctissimi || domini nostri domini Leonis pape || .X Anno domini. M.D.XVII || In festo penthecostes || celebrati. — fol. 1 (37)b *vacat.* — fol. 2 (38)a: Bulla Unionis fratrum || ordinis Minorum || I *(xyl.)* N nomine sancte et individue || Trinitatis..... fol. 5 (41)b: Bulla Côcordie inter Ministrum || Generalem totius Ordinis sancti Francisci || et Magistrum generalem Fratrû Cô || ventualium...... fol. 7 (43)b, lin. 42: Laurentio sager clerico Uarmieu diocefz || testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. — (Cf. G. W. Panzer, *Annales typographici,* vol. IX [Norimbergae 1801], p. 115, n. 958).

Hae Bullae etiam alibi exstant typis vulgatae, v. g. apud F. Gonzaga, *De origine Seraphicae Religionis* ([ed. 2ª] Venetiis 1603), pp. 36 et 47; D. de Gubernatis a Sospitello, *Orbis Seraphicus,* III (Romae 1684), pp. 229 et 233; Emm. Rodericus, *Nova Collectio et Compilatio privilegiorum apostolicorum Regularium Mendicantium* etc. (ed. Antverpiae, 1623), pp. 247 et 249; *Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis,* I (Neapoli 1650), pp. 221 et 227; L. Wadding, *Annales Minorum,* XVI (ed. J. M. Fonseca, Romae 1736), ad an. 1517, nn. 23 et 30; Franc. Matritens., *Bullarium Fratr. Ord. Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae Discalceatorum,* I (Matriti 1744), pp. 88 et 97, et alibi. Cf. P. de Alva et Astorga, *Indiculus Bullarii Seraphici* (Romae 1655), II, p. 171, nn. 1 et 3. (1).

(1) Quum apud auctores saepius committantur errores in designandis aerae christianae annis, quibus documentum aliquod Pontificium fuit

In opusculo a nobis descripto ad Bullarum initium et finem adiectae sunt testationes Officialium Curiae Romanae.

3. (Fol. 44a - 52b). [**Statuta** provincialia Provinciae **Saxoniae** annis 1467 et 1494 edita].

Postea exscribentur et curabuntur integra.

4. (Fol. 53a - b). [**Casus 39 S. Bernardini** in quibus frater Minor dici potest proprietarius].

(Inc.) *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, vi capitulo regulae. Circa quod capitulum sciendum quod Sanctus Bernhardinus de Senis ponit hos 39 casus, in quibus frater Minor dici potest proprietarius, sive pro quibus debeat se proprium aestimare habere. Primus casus est.....* (Des.) *Et ideo ab omni proprietate summe cavendum est. Haec Sanctus Bernhardinus quondam Vicarius Generalis devotorum locorum totius Italiae. Et nunc gloriosus in coelo triumphat.* — Editi sunt in *Firmamentum Trium Ordinum* (ed. Parisiis 1512), Pars IV, fol. 178b2 - 179b1; (ed. Venetiis 1513), Pars III, fol. 170a 2 - 171a2; *S. Bernardini Senensis Opera omnia*, ed. J. de la Haye (Parisiis 1635), III, p. 594, et saepius alibi. — Sententiae in codice proponuntur forma magis contracta quam in editis. Habet insuper codex casus 39 non 38, inter 14^{m} et 16^{m} inserens: *Quintus decimus. Elemosinas quascumque petitas vendere non solum proprietas sed peius est; simoniacus est.* — Fol. 53a in summo margine manus coaeva notavit: *Frater, quicumque sis, considera et attende quae sequuntur. Tangunt quidem pupillam oculi; ea in corde tuo iugiter fige.*

Fol. 54a in fronte descripta sunt sola haec verba: *Quaeritur an pro penna, aut filo, aut acu, vel huiusmodi re vili semper oportet ire ad praelatum. Et dicit fr. Hugo* [de Digna, † 1278], *quod credit sufficere licentiam habere generalem a praelato etc.* — Caeterea et fol. 54b vacant.

5. (Fol. 55a1 - 59a2). Hye hebith sich an dy vorrede des babstes honorij.

Est Bulla Honorii III approbans Regulam Fratrum Minorum an. 1223, lingua medii aevi Germanica.

6. (Fol. 59a2 - 61a2). Hie hebit sich an das das testament des heiligen vaters francisci.

Testamentum S. Francisci, eadem lingua.

7. (Fol. 62a2 - 62b2). Hy hebin sich an sebbin mergliche gesetze zu halden dy regel der mynner bruder.

Sunt declarationes fr. Nicolai de Ausimo (et S. Bernardini), quae infra (fol. 113a) idiomate latino habentur.

---

editum, talesque errores in dies augeantur, monitos volo eos, qui egregio opere Petri de Alva et Astorga utuntur, in hoc libro annos Pontificatus cuiusque Summi Pontificis pari passu progredi cum annis aerae christianae. Sic ad Clementis Pp. V annum Pontificatus 1um Alva et Astorga notat annum 1306; ad annum Pontificatus 2um notat annum 1307. Quod tamen omnino erroneum est. Clemens namque Pp. V coronatus est die 14 Septembris anni 1305, ideoque annus 1us Pontificatus eius patet inde a die 14 Sept. 1305 usque ad 13 Sept. 1306; annus Pontificatus 2us inde a die 14 Sept. 1306 usque ad 13 Sept. 1307. Ineptam suam annos significandi methodum memorat ipse Alva et Astorga (*l. c.*, I, p. 22): quo tamen non obstante, sequioris aetatis auctores non semel ab eo in errorem rapti sunt vel in dubitationem inducti. Cf. ex. gr. Franc. Matritensis, *Bullarium Fratr. Ord. Min.... Discalceatorum*, I. 76, col. 2.

8. (Fol. 63a - 77a). Hye heben sich an dy vorclerung des hern des babstes Nicolay des dritten vber dy regel der minor oder barfussen bruder.

Est Nicolai III Decretalis *Exiit qui seminat.*

9. (Fol. 77a - 86a). Hye hebet sich an di declaracio des bapstes Clementis des fünfften uber die regel der minor pruder.

Bulla *Exivi de Paradiso* Clementis Pp. V. — Fol. 86b - 87a exstant indices in Declarationes Nicolai III et Clementis V.

10. (Fol. 89a - 92b). Incipit **Piana Bulla concordiae fratrum Minorum Conventualium et de observantia nominatorum.**

Est Bulla Pii II *Pro nostra ad B. Franciscum devotione,* 1450, 5 Id. Octobr., Pontificatus anno 1°, quae exstat apud Wadding, *Annales,* ad an. 1458, n. 19, et in locis indicatis apud P. de Alva et Astorga, *Indiculus Bullarii,* II, p. 38, n. 2. — Fol. 89a ad initium Bullae in margine adscribitur: *Istud iam abrogatum cernitur in bulla Unionis Leonis Papae X anno etc.* [15] *17, ut superius patet* (id est fol. 37a - 43b).

Fol. 93a exstat initium Bullae Nicolai III per spatium tantummodo 17 linearum. Reliqua vacant.

11. (Fol. 93b - 105a). [**Declaratio Nicolai III** *Exiit qui seminat,* 15 Aug. 1279].

Ex ipso originali typis exstat expressa in *Seraphicae Legislationis textus originales* (Quaracchi 1897), p. 181 (auctor huius libri est P. Hilarius Parisiensis; cf. *Analecta Franciscana,* III, Quaracchi 1898, p. 271, nota 4 in fine). Habetur etiam in *Corpus iuris canonici,* Cap. 3, De verbor. signif. in VI (V. 12), et saepius alibi; cf. A. Potthast, *Regesta Pontificum Romanorum ab an. 1198-1304,* II (Berolini 1875), n. 21628; Alva et Astorga, *Indiculus Bullarii,* I, p. 88, n. 1. — Datum huius documenti est 15 Aug. 1279, non vero 1278.

12. (Fol. 105b - 113a). [**Declaratio Clementis V** *Exivi de Paradiso,* 6 Maii 1312].

Edita ex originali in *Seraphicae legisl. textus orig.,* p. 229. Exstat etiam Cap. I, Clem. De verbor. sign. (V. 11), et alibi pluries. Cf. Alva et Astorga, *Indiculus.* I, p. 142, n. 13.

13. (Fol. 113a - 114b). **Declarationes** fratris **Nicolai de Ausimo.**

Sunt Declarationes quorumdam articulorum Regulae Fratrum Minorum, quas conscripsit fr. Nicolaus de Auximo (Osimo, † c. 1450), iussu et auctoritate S. Bernardini Senensis; quas idem S. Bernardinus in forma Epistolae vulgavit anno 1440 die 31 Iulii. — Typis exstant expressae in *Speculum Minorum,* (Rothomagi, M. Morin, 1509), Pars III, fol. 85b - 86b; *Firmamentum* (ed. 1512), IV. 72a2 - 73a1, et correctius IV. 179b 1 - 180b2; (ed. 1513), III. 70a2 - 70b2; *Chronologia hist.-leg.,* I. 100; De Gubernatis, *Orbis seraphicus,* III. 93; *S. Bernardini Opera* (ed. cit.), III. 595, et alibi saepius. Cf. J. H. Sbaralea, *Supplementum et castigatio ad Scriptores III Ordinum S. Franc.* (Romae 1806), p. 550 s.

Fol. 115b iterum exscribitur initium Decretalis Nicolai III.

14. (Fol. 116a - 121b). Incipit **Ordinarium Divini Officii.**

(Inc.) *Ad omnes horas canonicas primo pulsetur campana maior....* (Des.) *et sic ad sua loca ordinate revertantur.* — Cf. num. seq.

15. (Fol. 121b - 124b). Sequitur **Ordinarium Missae.**

(Inc.) *Indutus planeta sacerdos....* (Des.) *et Spiritus Sanctus. Responsio. Amen.* Statim in codice minio additur: *Finit Ordinarium Divini Officii una cum Ordinario Missae. Laus omnipotenti Deo 1498.*

Uterque libellus liturgicus (nn. **14** et **15**) vulgatus exstat in *Speculum Minorum* (ed. 1509), III. 219a - 223b, et auctius in *Firmamentum* (ed. 1512), III. 47b1 - 56b2. De horum tractatuum origine ac vicissitudinibus alio tempore fusius dicere propositum mihi est.

16. (Fol. 125a - 128b). [**Bulla Nicolai IV** cum **Regula Tertii Ordinis,** 17 Aug. 1289].

Est Regula Tertii Ordinis, quae exstat apud J. H. Sbaralea - D. Rossi, *Bullarium Franciscanum,* IV (Romae 1768), p. 94, n. 150 et alibi. Cf. Alva et Astorga, *Indiculus,* I. 98, n. 1; Potthast *Regesta,* II. n. 23044. — Fol. 125a ponitur hoc lemma: *In nomine Domini incipit Regula et modus vivendi Fratrum et Sororum Ordinis Continentium sive de Poenitentia, institutus a Beato Francisco anno Domini M°cc°xxj°, et bullatus per Dnm. Nicolaum Papam Quartum anno Domini M°cc°lxxxix°, xv° kal. Sept., Pontificatus sui anno secundo.*

17. (Fol. 128b et 130a) (1). Copia **Bullae de Indulgentia** quam dedit Papa Clemens audientibus legere eamdem Regulam **Tertii Ordinis.**

Integram Bullam hic exscribere ratus sum, quum nullibi, quod sciam, habeatur typis expressa.

(Fol. 128b). « Clemens Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in « Christo filiis universis fratribus Continentibus venerabilis Ordinis San« cti Francisci salutem et apostolicam benedictionem. Cordis [sic] est « nobis divino quidem spiritu inlustratis cetera beneficia pio animo im« pendere et donare, piis locis et personis prompta (fol. 130a) dextra elar« giri. Et praecipue dictis fratribus venerabili[s] beati Francisci constitutis « ubique. In [quo] quidem Ordine multa pro animarum salute peragunt « ac etiam intuitu dicti Ordinis totus orbis proculdubio illustratur. Ad « petitionem igitur et instantiam religiosi viri et dilecti Nobis fratris « N e r i P i s a n i, militis de Ordine Continentium civitatis Pisanae, nec« non et fratris I o a n n i s ministri Fratrum Continentium civitatis Ro« mae, et ad exaltationem et honorem praedicti reverendissimi Ordinis, « universis fratribus Continentibus sive Poenitentium notum fiat, quod « quotiescumque collegio [sic] dictorum fratrum seu maior pars eorum « in quocumque loco ordinatum fuerit vel aggregatum fuerit, et Regu« la[m] dicti Ordinis legerit aut memoria[m] dictae Regulae fecerit, ac « etiam exteri, qui dictam Regulam legi audierint, ex pio fonte divinae « gratiae necnon et nostrae liberalitatis gremio, et dictorum fratrum « meritis circumspectis, quatuordecim vices quadraginta dierum indul« gentias pro singulis mensibus quibus dicta regula lecta fuerit con« cedimus et donamus. Datum Bordegallis pontificatus Nostri anno « octavo ».

Additur in codice litteris minio depictis: *Summa harum indulgentiarum sunt mille quingenti et sexaginta dies* [sic; 14 $\times$ 40 = 560].

Sitne haec Bulla authentica, diffinire non ausim; imo magnam, opinor, habet dubitationem. Alibi circumfertur similis indulgentiarum concessio in forma Bullae Clementis V incipientis *Cum illuminatum sit cor nostrum,* dd. « Burdigalae in Francia die 8 mensis Maii 1305. Pontificatus nostri anno secundo », in qua itidem conceduntur 560 dies indulgentiarum. Dirigitur haec altera Bulla ad omnes Fratres et Sorores Tertii Ordinis, nec in ea alicuius oratoris fit mentio. Exstat ap. L. Fer-

(1) Fol. 129 est insiticium.

raris, *Prompta bibliotheca canonica,* i. v. Indulgentiae, art. V, n. 26; etiam ap. Hilarium Parisiensem, *Liber Tertii Ordinis* (Genève 1888), p. 200 et locis ibidem citatis. — Cum hisce Bullis connexionem videtur habere alia, quae indicatur apud Petrum de Alva et Astorga, *Indiculus,* I, 142, n. 31, ubi memorat quamdam Bullam emanatam a Clemente V, Pontificatus anno VII° (14 Sept. 1312-13 Sept. 1313), his verbis: « Indulgentia « pro observantibus Regulam S. P. N. Francisci. *Cordi est nobis.* « Copia »; voce « Copia », ni fallor, asserens se habuisse illam Bullam apud se descriptam ex nescio quo codice vel libro, eam tamen non exstare in aliquo ex fontibus, quos magno numero in sui operis initio enumerat.

Fol. 129, insiticio, sub inscriptione: *Nota de tertia regula quam instituit Beatus Franciscus* exhibentur nonnulla de sanctis viris et mulieribus Tertii Ordinis. Nullius haec sunt momenti.

18. (Fol. 130a - 131b). [**Bulla Sixti Pp. IV** ad *Zanetum de Utino,* Min. Gen., qua *Tertiarii* eius subiiciuntur correctioni: *Romani Pontificis,* 18 Kal. Ian. 1471].

Exstat apud Wadding, *Annales,* Regestum Pontificium, ad an. 1471, n. 3, et aliis in locis quos laudat Alva et Astorga, *Indiculus,* II, 62, n. 1.

19. (Fol. 131b - 132a). **Privilegium** Fratrum et Sororum **Tertii Ordinis** Sancti Francisci [per Alemanniam], de communione Sacramenti.

Est Bulla Bonifacii VIII, *Devotionis vestrae,* 5 Kal. Aug. 1296, quae exstat apud Wadding, *Annales,* Reg. Pont., ad an. 1296, n. 20, et apud Sbaralea, *Bullarium,* IV. 408, n. 87. Cf. Alva et Astorga, *Indiculus,* I. 124, n 14; Potthast, *Regesta,* II, n. 24375, et vide ibidem n. * 24376 et n. 24377. — In codice nostro hoc privilegium authenticatur ab Archiepiscopo Bisuntinensi (Besançon) hac formula:

« Nos, Vitalis, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Bi- « suntinensis, et nos Officialis Curiae Bisuntinensis notum facimus uni- « versis, quod nos vidimus [et] de verbo ad verbum legimus quoddam « privilegium sanum et integrum, non corruptum, non cancellatum, non « abrasum, nec in aliqua sui parte vitiatum, vera bulla plumbea cum « filo serico bullatum, cuius tenor sequitur in hunc modum [Dein exscribitur Bulla Bonifacii VIII laudata, et post finem, fol. 132a pergit].... « Nos autem Vitalis et officialis praedicti huic praesenti transsumpto a « vero originali sumpto, in testimonium visionis nostrae, sigillum no- « strum, nos Vitalis et nos Officialis curiae Bisuntinensis, duximus ap- « ponendum. Datum visionis nostrae octo [sic] Idus Novembris anno Do- « mini M°ccc°xix° ».

Statim in codice additur: *Ego frater nicolaus karoli vidi bullam origenalem sub plumbo, nec credo hoc privilegium esse revocatum per nova Iura in clementinis. Praesentetur hec copia Reverendo patri henningo Selen, vicario benemerito provincie saxoniae.*

De fr. *Nicolao Karoli,* Vicario Provinciali Provinciae Argentinae, vide supra, p. 109, in descriptione codicis.

20. (Fol. 135a - 154b). **Privilegia** et **indulgentiae** fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci.

Est opusculum typis expressum « Liptzk [Leipzig] per Cunradum Kachelofen » anno 1495, quod describitur apud L. Hain, *Repertorium bibliographicum* (Stuttgart 1826-38), n. * 13372.

Woerden (Holland) — 3 Septembris 1907.

P. Bonaventura Kruitwagen, O. F. M.

DESCRIPTIO CODICUM FRANCISCANORUM

BIBLIOTHECAE RICCARDIANAE FLORENTINAE (1).

Cod. n. 117 (L. I. 33) chart. mill. 280 × 200, ff. 144, praeter tria insiticia in principio et duo ad calcem, partim binis columnis (1r - 120r) partim lineis plenis (125r - 144v), duplici manu exaratus circa finem saec. XV (1r - 120r) et finem saec. XIV (125r - 144v).

Ex duobus compactus codicibus et membrana ligatus. Secundus propter nimias abbreviationes et quia multum irregulariter est scriptus, lectu quandoque difficilis. In tertio folio insiticio manus saec. XVIII indicem operum, quae in codice continentur, apposuit. Codex miscellaneus in prima parte quosdam S. Thomae tractatus philosophicos continet; in secunda vero adest

(f. 135r - 144v). [**Tractatus de motu**].

Inc. Utrum in moventibus ad qualitatem illud semper velocius moveatur quod in equali tempore acquirit maiorem latitudinem qualitatis. Quod non, arguitur primo, quia si sic, sequeretur. — *Des.* ad istud respondeo: Concedo omnes istas quaestiones tanquam possibiles. — Explicit de inequalitate per fratrem **Iohannem de Casali** ordinis fratrum Minorum Sacre Theologie doctorem in conventu fratrum Minorum (nomen rasum). Anno Domini millesimo CCCXLVI. Mei Iacopi Ser Tinghi. = Cfr. Pisanum in *Anal. franc.* t. IV p. 527. — Sbaralea *Suppl. ad Script.* p. 404. Idem occurrit tractatus in cod. misc. Bibl. Bodleianae sub titulo: « Quaestiones de actione ». Cfr. A. G. Little, *Initia operum Latinorum quae saeculis XIII, XIV XV, attribuuntur*. Manchester, University Press, 1904 p. 259.

Cod. n. 119 (L. III. 13) chart. mill. 330 × 230, ff. 200, binis columnis ab una manu exaratus saec. XV. Tituli necnon litterae initiales rubrae. Lectu non facilis et in fine mutilus est. In principio est fol. insiticium, in quo index operum, quae in codice habentur, praefigitur. — Codex miscellaneus plurimos continet *tractatus de Alchimia*, sed ad rem nostram hii tantum qui sequuntur:

1. (f. 39v.b - 42v.a). Incipiunt **Recepte Rogerii Baconis**, et primo de purge lune.

Inc. Argentum eodem modo componitur quo et aurum, quamvis non eque depuratum et minus digestum, et post aurum melius. — *Des.* et invenies salem ab atramento separatum. Expliciunt Recepte Rogerii Baconis.

2. (f. 142v.a - 166r.a). [**Liber Compostelle fr. Bonaventurae de Iseo**].

Rubr. In nomine Domini amen. Incipit *liber compostille* multorum experimentorum veritatis ex dictis fratris *Bonaventure de Iseo* ordinis Minorum, quem composuit Venetiis existens in conventu fratrum sancte Marie et in conventu loci *Vinee*. Et est liber medicinalis

(1) Tum auctor descriptionis horum codicum, tum huius Collegii S. Bonav. Patres, pro favoribus et adiutorio praestito ad opus, cl. domino Carolo Nardini Riccardianae bibliothecario gratias ex animo rependunt. (Nota Directionis).

et alchimie, cuius capitula sunt multa, quorum tabula haec est. Fuit autem tempore domini Rainerige ducis Venetiarum.

Prohemium Compostille. — *Inc.* Compostilla est liber compositus et inventus a fratre *Bonaventura de Yseo* ordinis fratrum Minorum ex dictis multorum philosophorum. — (f. 143v.a): Ego quidem frater *Bonaventura de Yseo* ordinis Minorum fui amicus domesticus et familiaris fratris *Alberti* Theotonici de ordine Predicatorum; multa contulimus de scientiis et de experimentis secretis secretorum, ut Nigromantie, Alchimie etc... — (f. 144v.b): Ego quidem frater *Bonaventura de Yseo* in ordine fratrum Minorum existens in conventu civitatis, qui dicitur *Vinea,* qui locus est parvus sed pulcher et amenus, studens autem illic et habens magnam familiaritatem multorum hominum religiosorum et mundanorum sapientum *etc.* pro anima mea hunc librum composui, credens servire Deo et mundo propter interpositam veritatem multorum capitulorum, que fui expertus interdum, et ut quicumque posset perficere in eo et per eum, si voluerit uti sapienter de aliquibus scriptis quae continentur in eo scripta de manu mea. — f. 164v.b parva est lacuna. — *Des.* interdum auri pigmentum. Explicit liber compostille fratris *Bonaventure de Yseo* Congelationum mercurii presens liber Syrac filii Melchisedech est compositus ab eodem, ut per multa experimenta videatur sufficienter quomodo mercurius congelatur et induratur et cum fixatur, quod sustinet fusionem, maleationem, ignitionem et decoctionem sine fuga. Igitur lege, adverte et fatiga et proba receptas continue, invenietis veritatem eorum de quibus iam multi sunt fatigati. Et sic est finis huius ideo gracias. = Cfr. Sbaralea *Supplem.* p. 177, qui alium ibi codicem describit eiusdem fr. Bonav. de Yseo. — Golubovich *Bibliotheca bio-bibliografica* t. I p. 223 sq. nota 5. — *Bullettino critico di cose francescane* diretto da Luigi Suttina. Anno 1° p. 46, 142).

3. (f. 166r.b - 177r.b). [**Fr. Eliae** Liber Alchimiae].

Incipit liber alchimicalis quem frater *Helya* edidit apud Fredericum imperatorem. Liber lumen luminum transactus de sarraceno ac arabico in latinum a fratre Cypriano ac compositus in latinum a generali fratrum minorum super alchimicis. Incipit liber qui lumen luminum dicitur ex libris medicorum.... *Inc.* Primum quod in eo explicatur est sal armonicatus quod dupliciter invenitur — (f. 168v.a): Incipit liber tertius translatus et compositus a fratre Helya minorum. *Des.* et proiice super 50 partes iovis et convertet eas ad se etc. Et sic est finis. Et sic est finis huius libri. Deo gracias. = Cfr. Golubovich *l. c.* p. 116-117, 224 nota.

Cod. n. 228 membr. mill. 370 × 250; non tamen per totum eamdem habet dimensionem. ff. 343, binis columnis in maiori parte exaratus diversis manibus saec. XIII-XIV. Initiales et tituli rubro charactere. Codex intitulatur Liber Censuum S. R. E. cuius auctor seu compilator extitit Cencius Camerarius.

Inter plura quae continet, pro historia franciscana tantum faciunt quae hic exhibemus.

1. (f. 225r - 236v). [Conventio regis **Hungariae** cum **Legato Pontif.**].

Est documentum Andreae regis Ungariae qui quoddam cum Legato Sedis Apostolicae Iacobo pactum fecit. *Des.* « Acta sunt hec in hospitali cruciferorum Sancti Regis de Strigonio...... Praesentibus..... Priore Provinciali fratrum minorum de Ungaria...... Datum.... anno Dominice incarnationis mill.° ducentesimo tricesimo tertio ». = Edidit Theiner, in *Vetera Monumenta historica Hungariam sacram illustrantia,* Romae 1859, t. I. p. 116-19.

2. (f. 276r.a - 284v.b). [Vita Papae **Gregorii IX**].

Hic plurima de S. Francisco et ordine Minorum inveniuntur. *Inc.* Venerabilium gesta Pontificum. *Des.* filios petiturus. = Edidit Muratori, *Scriptores rerum italicarum* t. 3. p. I. p. 575-587).

3. (f. 289v - 299v). [**Relatio missionis** fratrum **Minorum** et **Praedicatorum** ad Patriarcham graecorum].

Inc. Anno Domini Mccxxxiii mens. Ian. Nos de ordine fratrum predicatorum fr. *Hugo* et fr. *Petrus*, de ordine fratrum minorum *Aymo* et fr. *Rodulfus* nuntii Domini pape missi ad archiepiscopum grecorum. *Des.* nobis reservabamus. = Edidit Echard, *Bibliotheca Script. Ord. Pred.* t. I. p. 911-927. — Cfr. Golubovich, *Biblioteca* cit. t. I p. 163-169.

4. (f. 299v - 304r). Haec est **Epistola patriarche Nicen.** grecorum missa ad summum pontificem Dominum Gregorium nonum.

Inc. Credimus in unam deitatem. — *Des.* etiam sancti concilii suscripsi. = Edidit Waddingus, *Annal.* an. 1233 n. 23.

In (f. 344 non num.) Haec adest nota: « Accomodavimus fratri Andree Domini pape nepoti librum *Bernardi* et *dial* ». Cfr. *Mélanges d'archéologie et d'histoire* t. VI p. 150.

Cod. n. 229 mill. 370 × 250, ff. 401, nitidissimo charactere et binis columnis exaratus saec. XIV (1388) ut ex nota in f. 8v apposita constat. Tituli et initiales rubrae et ceruleae aliquantulum ornatae. — Codex continet Librum Censuum S. R. E. et fuit transcriptus de verbo ad verbum ex praecedenti cod. n. **228**. Additiones quas habet minime ad nos attinent.

1. (f. 261r.a - 263r.b). [Docum. Andreae reg. Ungariae].

2. (f. 325r.a - 337r.a). [Vita papae Gregorii noni].

3. (f. 337r.a - 350r.a). [Relatio missionis fratrum Minorum et Praedicatorum].

4. f. 350r. [Epistola patriarchae Nicen.].

Cfr. *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine* publié avec une préface et un Commentaire par M. Paul Fabre ancien membre de l'Ecole Française de Rome. Paris 1905. — Prodiit primum volumen p. 1-600 duabus columnis, cura cl. L. Duchesne. Secundum vol. nondum edi expletum est.

Cod. n. 230 membr. mill. 380 × 280, ff. 352, praeter duo folia vacua in principio et alia duo ad calcem, binis columnis ab unica manu nitidissime exaratus saec. XV exeunte. — Auro, minio imaginibusque hinc et inde elegantissime ornatus. — Initiales rubrae et ceruleae alternatim, quandoque floribus et foliis diversorum colorum contextae. Rubricae ubique minio notantur.

Corio ligatus, in dorso hanc sequentem exhibet inscriptionem:

Lectionarium secundum Ord. FF. Minor. — Tomus I.

f. 1r. *Rubr.* « Incipit lectionarium secundum Ordinem fratrum minorum: Dominica prima de adventu. Hac nocte ponitur Ysaias propheta et legitur usque ad nat. domini, tam in dominicali quam in feriali officio. In primo nocturno leguntur tres lectiones de Ysaia. Lect. 1ª. Visio Ysaie filii Amos », = Littera V variis ornata coloribus, in vacuo habet effigiem prophetae perpulchre depictam: In f. 28r depictus est Puer Iesus in stabulo iacens, quem Virgo Mater aliique genuflexi adorant. — f. 32r. S. Stephanus Protomart.

cum palma in manu dextra libroque in sinistra sub brachio. — f. 35v. S. Ioannes Evang. in libro scribens quem aquila sustinet. — f. 39r. In festo SS. Innocentium puer pannis involutus qui sanguinem ex uno humerorum effundit. — f. 52v. Pontifex qui Puerum Iesum circumcidit. — f. 66r. Adoratio magorum. Virgo Maria Filium in ulnis tenet. — f. 82r. Baptismum Iesu a Ioanne. — f. 105r. S. Paulus Apostolus. — f. 106v. Pater aeternus angelorum capitibus redimitus. — f. 112v. Noe qui arcam manibus sustinet. — f. 117r. Abraham Patriarcha. — f. 125v. S. Paulus Apostolus. — f. 134v. Isaac filium benedicens. — f. 143v. Sanctus senex manibus iunctis. — f. 160r. Hieremias propheta. — f. 169r. S. Ambrosius, cuius ibi est sermo. — f. 176v. Hieremias plorans. — f. 182r. Simeon. — — 187r Lamech. — f. 195r. Iesus a mortuis resurgens. — f. 204v. S. Lucas Evang. cum libro in manibus. — f. 213v. S. Ioannes Evang. — f. 224v. S. Iacobus Minor — f. 237v Iesus caelos ascendens. — f. 156r Missio Spiritus Sancti super Apostolos. — f. 265r. Imago SS. Trinitatis. — f. 268v Puer intra Calicem. — f. 281v Imago regis. — f. 310r Rex cum diademate. — f. 318r Iob super sterquilinium. — f. 323v Tobias. — f. 325v Iudith cum capite Holophernis. — f. 328r Hester — f. 330v Imago regis. — f. 346r Oseas propheta.

(f. 265 sq.), [**Officium** Bmae Trinitatis].

Rubr. « Incipit officium beatissime Trinitatis compositum et ordinatum a reverendo domino et patre nostro fratre **Iohanne de POciano** ordinis fratrum minorum bone memorie archiepiscopo Canturiense et notabili magistro in sacra theologia. Augustinus de Trinitate. Lectio 1ª ». = Pro vita et operibus Ioannis Pecham cfr. *Bibl. Franc. Ascet.* IV. p. XVIII, Quaracchi 1905. — *De humanae cognit. ratione.* Quaracchi 1883, p. XV. — Sbaralea, *Suppl. ad Scriptores* p. 440, 601, 732.

Cod. n. 231 membr. mill. 395 × 270, ff. 262, praeter duo folia vacua in principio et alia duo in fine, quae numeratione carent. Nitidissime ab eadem manu qua cod. n. 230 exaratus saec. XV exeunte; miniaturae vero cod. 231 pulchriores sunt. Pluribus in foliis margo superior et inferior necnon dextra et spatium, quo duae columnae seiunguntur, auro, minio, floribus et foliis diversorum colorum pictis ornantur. Initiales etiam quandoque sunt deauratae, et ubique aliquantulum ornatae coloribus rubro et ceruleo alternis. — Corio est ligatus, habetque in dorso hunc titulum:

Lectionarium fratrum Minorum. — Tomus II.

Inter plurima quae continet haec praesertim notamus:

1. (f. 10r sq.). [**Officium** Imm. Conceptionis].

Rubr. « Incipit officium immaculatae Conceptionis Virginis Marie edictum per reverendum patrem dominum Leonardum Nogarolum prothonotarium apostolicum artium ac sacre theologie doctore (sic) famosissimum. Ex dictis beati Ieronimi Lectio prima ». = Saepius editum.

2. (f. 25v - 27v). [**Officium** SS. Berardi et soc. Mart.]

Rubr. « In sanctorum martirum quinque fratrum Minorum quod decimo VI die Ianuarii sub ritu duplicis maioris celebratur ». = **Lectio I.** *Inc.* Anno domini millesimo CC. decimo tertio beatus Franciscus. — *Des.* Colimbriam pervenerunt. = **Lect. II.** *Inc.* Domina vero Oracha. — *Des.* quod et factum est. = **Lect. III.** *Inc.* Deinde sancti procedentes. — *Des.* ingredi permictantur. = **Lect. IV.** *Inc.* Tandem ad portam palatii. — *Des.* primogenita Infantes appellantur. = **Lect. V.** *Inc.* Qui sanctos fratres fecit. — *Des.* et inde a (sic) partes fidelium transfretarent. = **Lect. VI.** *Inc.* Sancti vero fratres.

— *Des.* eos remitterent sine mora. = **Lect. VII.** *Inc.* Cepit tamen mirari. — *Des.* et multi eius osculabantur pedes. = **Lect. VIII.** *Inc.* Cum vero reversi Marrochium. — *Des.* separatos fortiter flagellari. = **Lect. IX.** *Inc.* Tunc iniqui ministri ligatis. — *Des.* anno Domini MCCXX decimo octavo Kal. februarii domini pape Honorii III anno III. ferme septem annis ante mortem sancti Francisci. = Hae lectiones prodierunt in *Act. SS.* t. II Ian. pag. 65-67 nn. 3-13. ed. Antverpiae 1643.

3. (f. 48r - 50v). [**Officium** Transl. S. Antonii].

Rubr. « In translatione sancti Antonii de Padua presbiteri et confessoris ». = **Lect. I.** *Inc.* Cum beatus Antonius unctione (sic) devote susciperet psalmos penitentiales ipse cum fratribus decantavit et ad finem usque complevit. — *Des.* hoc ordine cunctis innotuit. = **Lect. II.** *Inc.* Adhuc enim omnes preter illos. — *Des.* consentaneos invenerunt. = **Lect. III.** *Inc.* Venientes itaque fratres. — *Des.* prestolarentur adventum. = **Lect. IV.** *Inc.* Media autem nocte clamor. — *Des.* perscrutantes intelligunt. = **Lect. V.** *Inc.* Veniente autem ministro. — *Des.* consensu omnium custodiri. = **Lect. VI.** *Inc.* Quarta ergo die episcopus. — *Des.* perdiderant deferri viderent. = **Lect. VII.** *Inc.* Sed his visis. — *Des.* precibus implorare. = **Lect. VIII.** *Inc.* Tunc potestas seditionem. — *Des.* quinto sepelierunt. **Lect. IX.** *Inc.* Verum divina providentia. — *Des.* Qui vero accedere vel adduci pre turba non poterant salvi omnibus etiam pre foribus in platea fiebant. = Lectiones huius officii desumptae fuerunt ex Leg. quae incipit: *In Hispaniis* in *Act. SS.* t. II Iunii p. 705-717 iam edita. Novem praecedentes respondent nn. 31-38; nonnullas tamen offerunt variantes.

4. (f. 79r - 81v). [**Officium** S. Bernardini Sen.].

Rubr. « In festo sancti Bernardini confessoris officium approbatum per sanctissimum papa (sic) nostrum Sixtum quartum. In prima nocte ». = **Lect. I.** *Inc.* Apparuit gratia Dei. — *Des.* pariter et exemplo. = **Lect. II.** *Inc.* Hic quamquam in civitate. — *Des.* eminentius excedebat. = **Lect. III.** *Inc.* Mox in tenera existens. — *Des.* et eximius predicator ero. = **Lect. IV.** *Inc.* Pius et liberalis. — *Des.* obsequiis subiugare. = **Lect. V.** *Inc.* Iste vir Dei. — *Des.* penitus exalare. = **Lect. VI.** *Inc.* Attendens igitur sui cordis. — *Des.* corde tuo penitus dele. = **Lect. VII.** *Inc.* Et illo dilectam suam. — *Des.* devotissime famulatur. = **Lect. VIII.** *Inc.* Iste vir Dei tanta. — *Des.* negotiis conferamus. = **Lect. IX.** *Inc.* Volens autem Dominus. *Des.* quam imperiti eum audientes vehementem admirationem assumerent. = In f. 79r est imago S. Bernardini pulchre depicta cum monogrammate SS. Nominis Iesu in pectore.

a) (f. 81r - 84r). — *Rubr.* « In prima nocte infra octava ». = **Lect. I.** *Inc.* Ceterum hoc quod est summe laudis. — *Des.* equanimiter. = **Lect. II.** *Inc.* En dignum quoque. — *Des.* lassitudine lacessitus. = **Lect. III.** *Inc.* Cognoscens vero. — *Des.* religionis imponunt. = **Lect. IV.** *Inc.* Bernardinus autem cum. — *Des.* ducere satagebat. = **Lect. V.** *Inc.* Fuit praeterea. — *Des.* animas nostras possidemus. = **Lect. VI.** *Inc.* Postquam autem evangelicus. — *Des.* religionis assumerent. = **Lect. VII.** *Inc.* Porro licet gramatica. — *Des.* incipit ebullire. = **Lect. VIII.** *Inc.* Quidam namque fratres. — *Des.* humilitate respondit. = **Lect. IX.** Mandatur tamen sibi. — *Des.* cum apostolo in tribulationibus et infirmitatibus letabatur.

b) (f. 84r - 86r). — *Rubr.* « In secunda nocte infra octava ». = **Lect. I.** *Inc.* His tandem peractis Dei gratia in nullo. — *Des.* sunt obmittenda. = **Lect. II.** *Inc.* Dum vir Dei Senis. — *Des.* ante sensisset. = **Lect. III.** *Inc.* In eadem urbe. — *Des.* officio restitutus. — **Lect. IV.** *Inc.* Mediolani cum ad honorem. — *Des.* gloriam adepta est. = **Lect. V.** *Inc.* Ergo his aliisque. — *Des.* morte migrasse. = **Lect. VI.**

Inc. Vir Deo dilectus. — *Des.* verbo vacarent. = **Lect. VII.** *Inc.* Unde vir Dei se. — *Des.* obtruncatione finivit. = **Lect. VIII.** *Inc.* Mediolani hic evangelicus. — *Des.* helemosinam misit. — **Lect. IX.** *Inc.* Nuntius itaque. — *Des.* sancti viri prudentiam summopere commendavit.

c) (f. 86r - 88v). — *Rubr.* « In quarta nocte infra octavam de canonizatione eius extracte de privilegio domini Nicholai pape ». = **Lect. I.** *Inc.* Nicholaus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Misericordias Domini. = **Lect. IX.** — *Des.* Sedes apostolica observare consuevit.

d) (f. 89r - 91r). — *Rubr.* « Infra octava die quinta ». = **Lect. I.** *Inc.* Commissit tribus sancte romane. = **Lect. IX.** *Des.* pontificatus nostri anno IIII°. = Lectiones S. Bernardini pro die festi, prima et secunda nocte infra octavam ex Legenda a S. Antonino scripta, quamvis non ad litteram, confectae sunt. Cfr. *Chron.* tit. 24 cap. 5 ed. Lugduni 1586 p. 738-43. Sexdecim vero Lectiones pro noctibus quarta et quinta extractae fuerunt ex bulla canonizationis eiusdem Sancti, quam inter alios edidit Waddingus, *Annales* ad an. 1450 n. 2.

5. (f. 91r - 93v). [**Officium** Translationis S. Francisci].

Rubr. « In translatione sancti Francisci confessoris ». = **Lect. I.** *Inc.* Franciscus igitur servus et amicus Altissimi ordinis minorum fratrum institutor. = **Lect. IX.** *Des.* magnificentia virtus altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. = Hae novem integrae Lectiones respondent integro cap. XV *Leg. maj.* S. Bonaventurae. — S. Bonav. *Leg. duae.* Quaracchi 1898, p. 155-61.

6. (f. 102r - 105r). [**Officium** S. Antonii].

Rubr. In festo sancti Antonii confessoris de ordine fratrum Minorum. = **Lect. I.** *Inc.* In ispanis civitate Ulisbona quae ad occidentalem regni Portugallie plagam in extremis terre finibus sita est. — *Des.* assumpsit. = **Lect. II.** *Inc.* Ubi dum pacem. — *Des.* plenus esset. = **Lect. III.** *Inc.* Funditur interea. *Des.* rumor insonuit. = **Lect. IV.** *Inc.* Nam subito. — *Des.* agentes abscedunt. = **Lect. V.** *Inc.* Ipse vero prelati. — *Des.* nomine declinaret. = **Lect. VI.** *Inc.* Fervens igitur. — *Des.* fraudatum conspiceret. = **Lect. VII.** *Inc.* Instabat autem. — *Des.* paraverat impetravit. = **Lect. VIII.** *Inc.* Illic solitariam. — *Des.* lumen abscondit. = **Lect. IX.** *Inc.* Licet enim ut. — *Des.* et omnino se ad hoc imparatos assererent. = In principio Lectionum (f. 102r) est imago S. Antonii qui cor igneis ardoribus scatens in manu dextra librumque in sinistra habet.

Responsoria post lectiones ibi habentur sicut edidit P. Hilarinus Felder in opere: *S. Francisci Ass. et S. Antonii Pat. Officia rhythmica* auctore fratre Iuliano a Spira († c. 1250) p. 128-132.

Post ℟. « Sanctus hic titulo crucis et suppliciis » est aliud quod nullibi editum invenimus quapropter operae pretium est hic proferre. ℟. Pennis columbe deargentatis volat ad sidera olim pauper Antonius * et quia dormivit inter medios cleros posteriora dorsi eius et laborum in finem tolerantiam * aurum pennis pallens Christi Dei et hominis innuit. ℣. Dum discernit celestis reges inter eos locat Antonius (sic) candore niveo dealbatum. * Et quia. Gloria. * Aurum pennis.

a) (f. 105r - 106v). — *Rubr.* « Infra Octavam beati Antonii. In prima nocte ». = **Lect. I.** *Inc.* Tunc demum ad Antonium idem minister. — *Des.* misteriis. = **Lect. II.** *Inc.* Sed quid immorer. — *Des.* fari cepit. = **Lect. III.** *Inc.* Sed cuius lucernam. — *Des.* probate virtutem. = **Lect. IV.** *Inc.* Non multo post. — *Des.* morte probatur. = **Lect. V.** *Inc.* Constitutus enim. — *Des.* annuntiaverit veritatem. = **Lect. IV.** *Inc.* Hic siquidem virtus. — *Des.* tyrannidi resistebat. = **Lect. VII.** *Inc.* Tanta namque. — *Des.* conclusione consumat. = **Lect. VIII.** *Inc.* Antonius itaque. — *Des.* sibi proposuit. = **Lect. IX.** *Inc.* Mirabantur in eo. — *Des.* perversa hereticorum dogmata confutavit.

b) (f. 106v - 108v). — *Rubr.* « Secunda nocte infra octavam ». = **Lect. I.** *Inc.* Nam et apud Ariminum quam plures. — *Des.* convertamus. = **Lect. II.** *Inc.* Verumtamen in explicando. — *Des.* praesentavit. = **Lect. III.** *Inc.* Nam ac si. — *Des.* conceditur. = **Lect. IV.** *Inc.* Primum itaque. — *Des.* disposuit. — **Lect. V.** *Inc.* Quo postquam. — *Des.* abscesit. = **Lect. VI.** *Inc.* Cumque Dei. — *Des.* episcopus adherat. = **Lect. VII.** *Inc.* Non solumque. — *Des.* reddibant. = **Lect. VIII.** *Inc.* Finito autem. — *Des.* sacerdotes. = **Lect. IX.** *Inc.* Hic igitur servus. — *Des.* insignia cognovissent.

c) (f. 108v - 109v). — *Rubr.* « Tertia nocte infra octavam ». — **Lect. I.** *Inc.* Iam enim in tantum. — *Des.* decoranda asseruit. = **Lect. II.** *Inc.* Quid utique quam patenter. — *Des.* rei titulum. = **Lect. III.** *Inc.* Post hec instante. — *Des.* recreatione divertit. = **Lect. IV.** *Inc.* Quem quidam vir. — *Des.* usui mancipavit. = **Lect. V.** *Inc.* Sic igitur cuius erat. — *Des.* vigore destitui. = **Lect. VI.** *Inc.* Cumque magis. — *Des.* evidentibus propinquare. = **Lect. VII.** *Inc.* Post igitur facta. — *Des.* et utile mihi est. = **Lect. VIII.** *Inc.* Igitur unctionem devote. — *Des.* tricesimo primo. = **Lect. IX.** *Inc.* Post mortem viri Dei. — *Des.* mortuus est, inquit, sanctus Antonius.

d) (f. 109v). — *Rubr.* « Quarta nocte infra Octavam ». = **Lect. I.** *Inc.* Qui rumor continuo in omnes civitatis angulos, — *Des.* introyre valeret. = **Lect. II.** *Inc.* Tandem post magna. — *Des.* mirifice suscitati. = **Lect. III.** *Inc.* Quedam vero alia. — *Des.* sicca remansit. = **Lect. IV.** *Inc.* Quedam alia mulier. — *Des.* visitare promisit. = **Lect. V.** *Inc.* Quidam desperabiliter. — *Des.* reddito liberatur. = **Lect. VI.** *Inc.* Miles quidam. — *Des.* doctus efficitur. = **Lect. VII.** *Inc.* In diocesi Paduana. — *Des.* a mortuis resurrexit. = **Lect. VIII.** *Inc.* Huc etiam simile. — *Des.* recipere meruerunt. = **Lect. IX.** *Inc.* Presbiteri cuiusdam. — *Des.* ab eorum oculis est elapsus. = Lectiones Officii S. Antonii pro die festi, prima et secunda nocte infra octavam editae habentur in *Act. SS.* t. II. Iunii p. 705-714 nn. 1-11, 26-32. *Lect. I* pro quarta die *Incipit* ibid. p. 714 n. 32, sed *Desinit* non invenimus. *Desinit* vero *Lect. II* adest p. 717 n. 43. Lectiones III-VI ibidem n. 43-45. Tres alias lectiones ad litteram non invenimus.

7. (f. 146v - 151). [**Officium** S. Bonaventurae].

Rubr. « Incipit legenda beati Bonaventure presbiteri de ordine fratrum Minorum ». = **Lect. I.** *Inc.* Gloriosus Deus in sanctis suis. *Des.* penitus desperassent. = **Lect. II.** *Inc.* Idem iam adolescens. — *Des.* bona sempiterna perducas. = **Lect. III.** *Inc.* Igitur vir sanctus. *Des.* plenissime docuit. = **Lect. IV.** *Inc.* Idem divinus dona Spiritus Sancti. — *Des.* perspicue cernebatur. = **Lect. V.** *Inc.* Nec tamen vix sanctus. — *Des.* merito videri posset. = **Lect. IV.** *Inc.* In capitulis vero aut provincialibus. — *Des.* frugem reduxisset. = **Lect. VII.** *Inc.* In Capitulo Generali. — *Des.* quibus herumnis vitam finivit. = **Lect. VIII.** *Inc.* Congregato vero Capitulo. — *Des.* ab Angelo salutatam. = **Lect. IX.** *Inc.* Tunc translatum fuit. — *Des.* mandatorum tuorum veterasce.

a) (f. 149r). — *Rubr.* « Item in secunda nocte ». = **Lect. I.** *Inc.* Nunc vero se offert. — *Des.* semper veneratus. = **Lect. II.** *Inc.* Rursum contemplationem. — *Des.* defensorum appellant. = **Lect. III.** *Inc.* Composuit et libellum. — *Des.* habentur in manibus. = **Lect. IV.** *Inc.* Et cum iam beati Francisci. — *Des.* ob meritum vocati fuerant. = **Lect. V.** *Inc.* In quo concilio de multis. — *Des.* usque ad occidentem. = **Lect. VI.** *Inc.* Successive in ea vocatione. — *Des.* non videbatur. = **Lect. VII.** *Inc.* Gregorio pontifice permaxime. — *Des.* non valuisset. = **Lect. VIII.** *Inc.* Cum vero quod Alexandri. — *Des.* terra repleta est. = **Lect. IX.** *Inc.* Nunc quid secundo loco. — *Des.* gentibus predicatur. = F. 146v. adest imago S. Bonaventurae habitu Minorum indutus et librum manibus stringens. Lectiones Offi-

cii excerptae fuerunt ex oratione Octaviani in *Act. SS.* evulgata, t. III. Iulii p. 824-830, et nn. 4-14 respondent.

8. (f. 180r). [**Officium** Transfigurationis Domini].

Rubr. « Incipit officium transfigurationis Domini nostri Ihesu Christi institutum de novo; et celebratur hoc festum VIII idus Augusti per sanctissimum dominum nostrum Calixtum papam III solempne duplex ».

9. (f. 192v - 199r). [**Officium** S. Clarae].

Rubr. « In festo sanctae Clare virginis. Lectiones leguntur de vita eius ». = **Lect. I.** *Inc.* Venerabilis Christi sponse. = Imago episcopi, qui palmam S. Clarae in habitu monachali depictae, tradit. — *Des.* luminis claritatem. = **Lect. II.** *Inc.* Edita mox in lucem. = Imago S. Francisci qui capillos S. Clarae tondit. — *Des.* preludia sanctitatis. = **Lect. III.** *Inc.* Audiens vero tunc. = Imago S. Clarae quae cum monialibus novitiam recipit ad portam monasterii. — *Des.* iubilatione cantaret. = **Lect. IV.** *Inc.* Gravi post hec consanguineorum. = Imago S. Clarae quae daemonem fugat. — *Des.* et celibem attitare. = **Lect. V.** *Inc.* Cuius itaque religionis. = Imago S. Francisci qui cum episcopo manducat. — *Des.* efficiam complantaret. = **Lect. VI.** *Inc.* Paupertatis evangelice. = Imago S. Francisci orantis cui daemon apparet. — *Des.* propositum resilire. = **Lect. VII.** *Inc.* Virgo itaque prudens. = Imago S. Clarae quae pedes monialibus lavat. — *Des.* precibus impetravit. — **Lect. VIII.** *Inc.* Austeritatis sacrae rigorem. = Imago S. Clarae quae genuflexa pro moniali in lecto decumbente orat. — *Des.* sustentatione naturae. = **Lect. IX.** *Inc.* Utebatur nonnumquam. = Imago S. Clarae in lecto iacentis cui Virgo Maria apparet = *Des.* spiritualium unguentorum.

a) (f. 196r). — *Rubr.* « Infra Octavam Sanctae Clarae. In secunda nocte. = **Lect. I.** *Inc.* Quante vero devotionis. — *Des.* destitit perturbare. = **Lect. II.** *Inc.* Familiaris illi praecipue. — *Des.* insensibilis videretur. = **Lect. III.** *Inc.* Dependebat proin amanti. — *Des.* a languore. = **Lect. IV.** *Inc.* Illa quoque tempestate. — *Des.* et occubuit. — **Lect. V.** *Inc.* Quadraginta duobus. — *Des.* servitio confortaret. — **Lect. VI.** *Inc.* Egrediendi tandem. — *Des.* se recepit. = **Lect. VII.** *Inc.* Circumstabant matris. — *Des.* iubilant sine fine. = **Lect. VIII.** *Inc.* Desolatis igitur. — *Des.* adscribendam. = **Lect. IX.** *Inc.* Clara itaque. — *Des.* est omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

10. (f. 211v - 216). [**Officium** S. Ludovici ep.].

Rubr. « In festo sancti Ludovici episcopi et confessoris de ordine fratrum Minorum ». **Lect. I.** *Inc.* Iohannes episcopus servus servorum Dei. = **Lect. IX.** *Des.* beatitudinis misericordiam consequentur.

a) (f. 214r). — *Rubr.* « In octava S. Ludovici ». = **Lect. I.** *Inc.* In hoc etiam. = **Lect. VI.** *Des.* misericorditer relaxamus.

Quindecim lectiones ad litteram ex integra bulla canonizationis S. Ludovici desumptae sunt. Bulla evulgata invenitur apud Waddingum, *Annales* ad an. 1317 n. 47. Post unamquamque lectionem festi S. Ludovici inveniuntur Responsoria propria. — ℟. I. *Inc.* Regis summi potentia de stirpe dedit regia etc. = ℟. II. *Inc.* Dum sub tenello pectore virtutis sumpto robore etc. = ℟. III. *Inc.* Ad perfectam scientiam cito per assistentiam venit fratrum Minorum etc. = ℟. IV. *Inc.* Degens in Aragonia multiplicat ieiunia etc. — ℟. V. *Inc.* Mundi contempta specie libens regno Siciliae etc. — ℟. VI. *Inc.* Francisci carus filius augens bonum in melius etc. = ℟. VII. *Inc.* Leprosis prebet oscula nova regalis plantula etc. — ℟. VIII. *Inc.* Gradu functus autentico imperio papali etc. = ℟. IX. *Inc.* Multis vernans miraculis vitam concessit mortuis etc.

11. (f. 219r - 221r). [**Officium** S. Ludovici Reg.].

Rubr. « In sancti Ludovici confessoris regis Franciae ». = **Lect. I.** *Inc.* Sanctus Ludovicus. — *Des.* contagium perhibetur. = **Lect. II.** *Inc.* Demum providentia. — *Des.* veste contentus. = **Lect. III.** *Inc.* Postremo vero. — *Des.* Dominus imperasset. = **Lect. IV.** *Inc.* Reversus itaque. — *Des.* genibus ministrabat. — **Lect. V.** *Inc.* Contigit etiam. — *Des.* penitus tolleretur. = **Lect. VI.** *Inc.* Similiter saracenis. — *Des.* balteo militari. — **Lect. VII.** *Inc.* Tanta autem. — *Des.* expediri videbat. — **Lect. VIII.** *Inc.* Tandem post multorum. — *Des.* migravit ad Dominum. = **Lect. IX.** *Inc.* Anno Domini. — *Des.* recitare non possunt.

12. (f. 259v). [**Officium** Translationis S. Clarae].

Rubr. « In Translatione sancte Clare Virginis omnia dicuntur sicut in natali eius preter lectiones que infra ponuntur ». = In initio primae lectionis invenitur pulcherrime depicta imago beatae Clarae cum ramo liliorum in manu dextra libroque in sinistra. In margine etiam inferiori sunt depicti fratres qui sociant asportantque loculum S. Clarae. = **Lect. I.** *Inc.* Admirabilis et venerabilis. — *Des.* servitio confortaret. = **Lect. II.** *Inc.* Hora denique. — *Des.* undecimo die Augusti. = **Lect. III.** *Inc.* Rumor in continenti. — *Des.* dirigit gressum. = **Lect. IV.** *Inc.* Preventum enim. — *Des.* complent officia. = **Lect. V.** *Inc.* Tandemque quia. *Des.* coruscare prodigiis. = **Lect. VI.** *Inc.* Illa enim. — *Des.* multitudo pertransire. = **Lect. VII.** *Inc.* Illa enim. — *Des.* gentes invitat. = **Lect. VIII.** *Inc.* Residente autem in sede — *Des.* in excelsis. = **Lect. IX.** *Inc.* Duobus bus igitur annis. — *Des.* Datum Subiaci VI ydus Septembris Pontificatus nostri anno VI. — Deo gratias. = Hae novem lectiones desumptae fuerunt ex Leg. Thomae a Celano in *Act. SS.* evulgata t. II Aug. ed. Parisiis et Romae 1868 p. 754-767. Plurima tamen in eisdem sunt verba necnon et conceptus, quae in editione non invenimus; et nn. 46, 52-55, 59, 70-71 respondent.

13. (f. 262r - 281). [**Officium** S. P. Francisci].

Rubr. « Incipit vita beati Francisci et primo de conversione ipsius ». = Est integra *Leg. min.* S. Bonaventurae. = **Lect. I.** Apparuit. = Imago episcopi Assisiensis qui pallio beatum Franciscum nudum cooperit.

a) (f. 265v). — *Rubr.* « Infra Octava Sancti Francisci leguntur cotidie novem lectiones de legenda ipsius; et in prima nocte legitur de institutione religionis et efficaciam (sic) predicandi ». In f. 266r est imago S. Francisci qui super ambonem populo praedicat.

b) (f. 268v). — *Rubr.* « Tertia die. De prerogativa virtutum ». = Imago S. Francisci nudus super rubetum.

c) (f. 271v). — *Rubr.* Quarta die. De studio orationis et spiritu prophetiae. = Imago S. Francisci qui genuflexus Christo tres auri nummos offert.

d) (f. 274r.v). — *Rubr.* « Quinta die. De obedientia creaturarum et condescensione divina ». = Imago S. Francisci qui avibus praedicat.

e) (f. 276v). — *Rubr.* « De sacris stigmatibus. Sexta die ». = = Imago S. Francisci et Seraphim crucifixi stigmata in corpore illius imprimentis. Beatus Franciscus unicum flectit genu; et frater alius visionem inspiciens corruit in terram.

f) (f. 279v). — *Rubr.* « Item pro die VII de transitu mortis ». = Lect. *Inc.* « Xpo ». In parte superiori litterae X est imago S. Francisci cuius anima a duobus angelis in celum sublimatur; in inferiori vero imago fratrum qui corpus examine sancti Patris contemplantur.

14. (f. 290r - 291r). [**Officium** S. Ivonis].

Rubr. « In sancti Yvonis confessoris ». = **Lect. I.** *Inc.* Dum nostris temporibus. — *Des.* diversa miracula. = **Lect. II.** *Inc.* Ex qui-

bus fides est. — *Des.* sibi sumpsit. — **Lect. III.** *Inc.* Cilicium quoque. — *Des.* ferculo comedebat. = **Lect. IV.** *Inc.* Cum autem esset. — — *Des.* ipse comedisset. = **Lect. V.** *Inc.* Ipse namque tante. — *Des.* evidenter disparuit. = **Lect. IV.** *Inc.* Vacabat etiam. — *Des.* tantum persolvebat. = **Lect. IV.** *Inc.* Et raro die. — *Des.* baculis contexta. = **Lect. VIII.** *Inc.* Cirvical autem eius. — *Des.* valde attentus. = **Lect. IX.** *Inc.* Nam pauperes. — *Des.* devote infundebat.

15. (f. 298r - 300). [**Officium** Transl. S. Ludovici].

Rubr. « In festo translationis sancti Ludovici episcopi de Ordine. fratrum Minorum ». = **Lect. I.** *Inc.* Gloriosus Christi confessor et pontifex. — *Des.* feliciter consumare. = **Lect. II.** *Inc.* Appropinquante igitur. — *Des.* sed dormiens videretur. = **Lect. III.** *Inc.* In ipsa sui transitus hora. — *Des.* viginti trium annorum et sex mensium. = **Lect. IV.** *Inc.* Quartum decimum quippe annum. — *Des.* vocibus Deo devote resonabant. = **Lect. V.** *Inc.* Volens igitur Dominus. — *Des.* memoria celebratur. = **Lect. VI.** *Inc.* Acclamantibus igitur. — *Des.* temporis perfecerunt. = **Lect. VII.** *Inc.* Quam inquisitionem sigillis suis. — *Des.* canonizandum decrevit. = **Lect. VIII.** *Inc.* Anno igitur incarnationis. — *Des.* in qua iam pridem fuerat tumulatus. = **Lect. IX.** *Inc.* Nec pretermittendum. — *Des.* prestante eodem Domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

16. (f. 308r - 310v). [**Officium** S. Elisabeth].

Rubr. « In sancte Helisabeth nec virginis nec martiris filie regis Ungariae ». = **Lect. I.** *Inc.* Helisabet filia regis Ungarorum. — *Des.* tangere voluerit aut gustare. = **Lect. II.** *Inc.* Videns eam tamquam alteram. — *Des.* olei fuerit inminutus. = **Lect. III.** *Inc.* In camino paupertatis. — *Des.* quam totius spiritum exalaret. = **Lect. IV.** *Inc.* Accurantes autem. — *Des.* corona glorie ciner commutare. = **Lect. V.** *Inc.* Sic laborem Dominus. — *Des.* eis mirabiliter operari. — **Lect. VI.** *Inc.* Accidit ut quadam die. — *Des.* in operibus suis mirabiliter benedixit. = **Lect. VII.** *Inc.* Cum vero bonitatis eius odor. - *Des.* hylariter intraverunt. = **Lect. VIII.** *Inc.* Fit in aula ducis ingens letitia. — *Des.* desiderium hospitis adimpleret. = **Lect. IX.** *Inc.* Illa vero propter vilitatem. — *Des.* in obprobrium et contemptum veniat.

(f. 361v). — *Rubr.* « Explicit Lectionarium ». *Attramento:* « Laus Deo ». *Rubr.* « Qui scripsit scribat semper cum Domino felix. Manus scriptoris salvetur in omnibus horis. Pro me Deum ora o lector sine mora ». *Attramento:* « Deo gratias ».

Nomen antiqui possesoris nullibi apparet, ast indubitandum quin fuerit ex aliquo conventuum Ordinis Minorum Florentiae, nam f. 93v incipit officium S. Cenobii episcopi dioecesis Florentinae Patronii cum decem lectionibus propriis. In f. 361v post verba iam transcripta plurima alia rasa apparent, ubi fortassis nomen possessoris Lectionarii scriptum habebatur. = F. 262 est vacuum.

(Continuabitur).

Ad Claras Aquas (Quaracchi) die 1 Oct. 1907.

P. ATHANASIUS LÓPEZ, O. F. M.

BIBLIOGRAPHIA

Waddingus-Sbaralea: (BIBLIOTHECA HISTORICO-BIBLIOGRAPHICA): — *Scriptores Ordinis Minorum, quibus accessit Syllabus illorum qui ex eodem Ordine pro fide Christi fortiter occubuerunt: priores atramento, posteriores sanguine Christianam Religionem asseruerunt: recensuit* Fr. LUCAS WADDINGUS *eiusdem Instituti theologus.* — Novissima editio, Romae MCMVI, editore Doct. ATTILIO NARDECCHIA. *Via dell' Università* n. 42-43. — In fol. t. I. pp. 243. — [T. II et III quantocius in decursu anni prodibit] (1).

Mirabuntur sane eruditi viri, inspectatam ob oculos cernentes novam hanc *Bibliothecam*, quae nova et nitidiori veste in lucem apparet cura eruditissimi viri Dr. A. NARDECCHIA, inter Italiae bibliopolas et editores clari nominis fama non incelebris; et quidem opportuno loco et tempore, cum *Bibliotheca Scriptorum* Waddingiana et Sbaraleae ita rara evaserit, ut vix illam venu positam reperire valeant studiosi, illi praecipue qui rebus franciscalibus incumbunt.

Salutamus igitur egregium opus alacri animo, illudque breviter hic in commodum studiosorum descriptum exhibemus, ampliori descriptione reservata cum quantocius opus integrum plenam lucem videbit.

Tomus I iam totus prodiit, totumque opus Waddingi possidet, scil. *Scriptores Ordinis Minorum* cum adiecto *Syllabo Martyrum* in calce voluminis, quod integrum paginis 243 constat, duabus columnis, in folio magno (centim. 38 × 27), charta optima (vulgo *di filo*), typis novis et nitidissimis, ut merito editio haec princeps, quoad formam et omnimodam elegantiam, dici possit. Desunt tamen *Indices* materiarum, cognominum, per nationes, topographicus etc., qui utique in calce totius operis, in generalissimo scilicet indice, locum obtinebunt, praecipue novus index *chronologicus* scriptorum qui deest in Waddingo et in Sbaralea.

Tomus vero II, qui nondum integer est, iisdem typis, charta et forma egregius, hucusque amplectitur partem tantum *Supplementi* Sbaraleae, a num. scilicet 1 usque ad num. 1273 (v. *Fran. ab Aquisbormiis*), paginis 1-256 inclusam; reliqua vero pars huius tomi, initio mensis ian. an. 1908 prodibit; et paucis post mensibus, sequetur tomus III, qui cum praecedente integrum Sbaraleae *Supplementum* continebit.

Nova quae in hac editione cl. editor posuit, etsi pauca forsan existimabuntur, utilissima tamen esse nemo probus negabit. Primo loco,

(1) Utrumque opus Waddingi et Sbaraleae (in tribus voluminibus contentum) vix in 300 editur exemplaria; et unumquodque exemplar venu dabitur pretio 300 libellarum (franchi 300).

addenda et corrigenda multa, quae Papinius, editor Sbaraleae, in calce *Supplementi* adiecerat, novus editor in corpore libri, suis in locis, optime inseruit. Ad haec, minore typo ad calcem quorumdam articulorum idem editor notas quasdam addidit, sed plerumque breves, supplementi et correctionis gratia tum ad codices, tum ad editiones praecipue saeculi XV, quae vel Sbaraleam latuerant, vel in aliquibus minus recte semet expresserat. Libros praecipue adiectos videmus, qui de artibus musices, poeseos, geographiae, vel de americana historia et litteratura tractant. Editiones saec. XV operum Divi nostri Bonaventurae, et subsequentium labores criticos in eumdem, pulcro ordine congessit, et novissimam Patrum huius nostri Collegii editionem Bonaventurianam perbelle exponit qua licuit claritate et diligentia (in 17 columnis), quamque « accuratissimam ad omnes regulas sanae criticae exactam, optimis quibusque maurinis patrum editionibus iure aequiparandam » dicit.

Optavissent profecto eruditi maiora adhuc supplementa, ampliores correctiones et additamenta ad singulos ferme auctores a Sbaralea descriptos; maluissent praeterea auctum, et ad nos usque continuatum immortale opus P. Sbaraleae; sed quanti haec sint desideria laboris improbi, nemo eruditorum non videt, ut sic et in hac ita modeste aucta editione quisque studiosus libenter acquiescat.

Opus igitur utcumque est, et sub quovis respectu, longe antecellit editione Papiniana, et semet optime suo splendore commendat. Qua re, cunctis perspectis, opus egregium nobis ultro placet; et in laudem etiam doctissimi editoris Nardecchia cedat, si opus tale quale est probamus et laudamus, cunctisque studiosis, praecipue familiis Franciscalibus, idipsum enixe commendamus. *23 Nov. 1907.* — **P. Hier. Golubovich,** O. F. M.

Alessandri Prof. Leto (Bibliotecario di Assisi). — *Inventario dell' antica biblioteca del sacro Convento di San Francesco in Assisi, compilato nel 1381, pubblicato con note illustrative e con raffronto di codici esistenti nella Comunale della stessa città.* — Assisi, tipografia Metastasio, 1906. — In 8° pag. XLVIII-270.

Honorem et meritum profecto insignem clarissimus sibi meruit Letus Alessandri, huius catalogi publicatione, ubi tot codices, ab ipsis Ordinis primordiis summo studio conquisiti et diligenti cura custoditi, incomparabili sagacitate et industria describuntur et doctissimis notis illustrantur.

Revera non omnino ignotum latebat hoc inventarium; immo eo certo usos fuisse scimus, ex Ordine Min. Conventualium, Patres Sbaralea, Papini et Fratini, ex exteris vero Patrem Ehrle, Sabatier et Mazzatinti: sed multorum erat in desideriis, ut quod aliquibus iuverat, omnibus praesto esset; et vota eorum cumulatissime adimplevit praefectus Bibliothecae municipalis Assisiensis, hoc revera praetioso volumine.

Ex recensitis in antiquo inventario anno 1381 a fratre Johanne Joli confecto, et nunc edito, ultra tercentos codices adhuc in Bibliotheca existentes recognovit diligentia clarissimi Alessandri; et forsan aliqui alii, praecipue ex Sermonariis, mutata forma, ibi asservantur. Quod autem maxime cedit in editoris laudem, est reperitio felix tum codicum, cum chartarum, quae usque huc eruditorum industriam fugerunt. Exempli gratia, Hymnarium vere praeclarum, quod Magister Cellini periisse plorabat, nunc ibi exacte indigitatur. Aliquot chartae *Tractatus*

de Miraculis Sancti Francisci a fratre Thoma de Celano compositi adinventae sunt, ex quibus valor novae redactionis a P. Van Ortroy S. J., Rosedale et P. Eduardo Alinconiensi nuper editae, suspicari potest.

Lugemus adhuc *Legendam trium sociorum,* quam Jacobilli et P. Angeli habuerunt prae manibus, et clarus Alessandri putat contentam in codice LVIII, Bibliothecae publicae, nunc deperdito, sub titulo: *De legendis sive dictis suis* [B. Francisci] *antiquis;* nec non plures alios codices ad franciscanam historiam pertinentes, quos tamen olim ibi extitisse scire iuvabit. P. TH. DOMENICHELLI, O. F. M.

Verelst, P. Bartholom. O. F. M. — *Zumarraga O. F. M. Eerste bisschop, Aartsbisschop van Mexico, of Eenige bladzijden uit de geschiedenis van Nieuw-Spanje.* — Jules De Meester, Drukker, Rousselare, pag. VIII-231, in 8°.

(*Latine:* Zumarraga O. F. M. Primus Episcopus, mox Archiepiscopus civitatis Mexicanae; seu Spicilegium historicum neo-Hispaniae, auctore P. Bartholomaeo Verelst. O. F. M. — Typis Jul. De Meester, Rollarii, pp. VIII-231, in 8).

P. Fr. Joannes Zumarraga, circa cuius originem et religiosum curriculum videndi sunt Torquemada *(Monarquia Indiana,* tom. III, l. 22, c. XXX) et Gonzaga *(De origine Seraphiae Religionis,* Part. IV, p. 1220). Episcopus ordinatus est Vallisoleti die 27 aprilis 1533, ab Episcopo Segoviensi, Didaco Ribera. Quot autem ac quantos labores exantlaverint ipse et apostolici viri, in quarta illa missione ad occidentales Indos, summatim iam enarravit Pater noster Fortunatus Hueber in *Menologio franciscano* (Proloquium V § VI).

Tredecim autem capitibus distinguitur vita haec inclyti Indiarum antistitis, qui, auxilio potissimum fretus zelantissimi fratris Petri Gandavensis, imperatoris Caroli V consanguinei, Mexicanam stabilivit ecclesiam. Supremam autem diem clausit die 3 iunii 1548, meritis plenus.

In operis laudati prooemio mantissa etiam verbulum fit de missionis huiusmodi exordio, recoliturque memoria *P. Francisci de Angelis* et *Joannis Glapion;* in quorum locum mox suffecti fuerunt tres Belgae, nempe *P. Joannes a Tecto, P Joannes de Aora,* et *Fr. Petrus de Mura* dictus de Gandavo, qui viam straverunt secuturis *P. Martino de Valentia* cum undecim sociis. Cuique legenti luculenter apparet quam merito Zumarraga noster vocari meruerit Indianorum Pater, quippe qui iniuste vexatos consolari, insuper et fortiter defensare minime dubitaverit: qui scholas et orphanotrophia erigere, artes mechanicas, typographiam praecipue vulgare studuerit: et Evangelium Christi verbo et scripto indefesse praedicaverit. Neque silentio premendum facta historice relata e fontibus genuinis ac coaevis pluribus hausta fuisse, uti iam e limine patet, quum ultra 30 auctores optimae notae citentur, inter quos Toribio Motolinia, Sahagun, Herrera, Comargo, item clarissimus Icazbalceta, Marcellinus de Civetia, et alii plures inter recentiores. — Idem P. Verelst, in eo est ut vitam etiam criticam fratris *Petri de Mura,* gandavensis, publici iuris faciat. **P. Hieronymus Goyens,** O. F. M.

Menge P. Gisbert O. F. M. — *Der selige Aegidius von Assisi. Sein Leben and seine Sprüche.* — Paderborn, Iunfermannsche Buchhandlung 1906. — In-12°, XVI-118 pp.

In hoc opusculo docto et perpulchro R. P. Gisbertus, qui olim in criticam editionem nostram *Dictorum aureorum* B. Aegidii Assis. dili-

genter incubuerat, (*Bibl. ascet. med. aev.* t. IV, Quaracchi 1905), praebet tum vitam B. Aegidii (p. 1-64) tum versionem germanicam *Dictorum* eiusdem (64-109). Utraque pars optime scientiae ac pietati inservire poterit, quia solido innititur fundamento artis criticae. Sic opusculi indoles plane probabit utrumque studium scilicet fovendi pietatem et severae historiae inserviendi apte coniungi posse, quamquam nonnemo dubitaverit quin hoc effici potuerit in vita fratris *extatici et hierarchici Aegidii*. Hic eremiticum vitae genus et laborem manuum semper praediligebat, per totum vitae curriculum methodum primitivam religionis minoriticae prae se ferens. Nostrum non est encomium texere dictorum vere aureorum fratris huius *idiotae* et simplicis, cum horum meritum legenti cuilibet obvium statim fiat. Cl. P. Gisbertus pulchre ac accurate eadem lingua vernacula reddidit.

In introductione cl. auctor disserit de vitis B. Aegidii. Fr. Leo, S. P. Francisci socius et Aegidii amicus, vitam huius scripsisse a fr. Salimbene (ed. Parm. 1857. p. 323) asseritur. Quatuor *vitae* B. Aegidii in codicibus vetustis ac chronicis conservatae sunt. R. P. Leon. Lemmens O. F. M., innixus quibusdam Codd., opinabatur quidem, vitam a se editam (*Docum. antiq. Franc.* t. I. p. 37-65; cfr. tom. III. p. 11-12) esse genuinum fratris Leonis scriptum, sed auctor noster huic sententiae aperte contradicit (p. VIII-XIII), et concludit textum fratris Leonis nondum inventum esse, licet plura eius fragmenta in legendis cognitis B. Aegidii supersint. Praeter introductionem eruditam, auctor libro suo adiecit appendicis gratia: *observationes criticas* (p. 111-117), quae locos aliquot operis apte illustrant. Memoratu dignum nobis praecipue videtur, quomodo ibi (p. 114-116) annum, diemque investigat, quibus B. Aegidius mortuus sit et ordinem intraverit. Illud factum assignat diei XXII aprilis 1262, hoc vero anno 1209 aerae Dionysianae. — Omni iure cl. Gisbertus narrationem illam, pulchram utique sed certe fictitiam, de S. Ludovico IX Perusii frm. Aegidium invisente, reicit, quia clare ostenditur S. Ludovicum IX, nunquam Perusium adventasse. Vitam Beati *extatici* digne illustrat auctor, neque ullo modo ad hunc scopum obtinendum, opus fuit recurrere ad res gestas coaevas B. Eremitae Montis Ripidi, quia iste se omnino a saeculi sui eventibus, et grandibus et parvis, seclusit, contemplationi caelestium et horto suo colendo addictus. Speramus fore, ut R. P. Menge, ab officiis suis gravibus non arceatur, quominus et aliorum Beatorum et Sanctorum nostrorum vitas vernacula sua lingua adeo apte exponat et describat. **P. Autbertus Gröteken**, O. F. M.

Kurtz, Ed.: — *Georgios Bardanes, Metropolit von Kerkyra,* dans la: *Byzantinische Zeitschrift (von Karl Krumbacher)* — Leipzig 1906. t. XV p. 603-614.

(2) Cfr. Little, *Decrees of the general Chapters of the Friars Minor*, in *English hist. Review*, t. XIII (1898) pag. 707. Little usus est praecipue antiquissimo codice 207 collectionis Phillips (Cheltenham); cfr. ib. pag. 703.

(3) Plures habentur collectiones illorum testimoniorum; notior et maior est illa, quam fecit fr. Franciscus Bartholi de Assisio circa 1335, quamque edidit Sabatier in t. II suae Collectionis « *d' études et de documents sur l' histoire religieuse et littéraire du Moyen âge* » (Paris 1900). (4) Sabatier l. c. pag. 27.

(5) Cfr. *Speculum vitae beati Francisci et Sociorum eius* (Metz 1509), fol. 77: « Item anno Domini MCCLXXVII super certitudine dictarum indulgentiarum plures depositiones et attestationes fuerunt factae ». Idem putat Waddingus ad 1277 n. XVIII. — Frater Angelus ille nominatur in duabus litteris Innocentii V (1276), quarum dies non indicatur (*Bull. Franc.*, t. III pag. 268 et 270; cfr. P. Golubovich, *Biblioteca Bio-Bibliografica della Terra Santa*, t. I. pag. 292-296), et in documento de 10 apr. 1279 (cfr. Sabatier l. c. pag. LI).

(6) Kirsch, *Der Portiunkula-Ablass* (Tübingen 1906), pag. 78: « In den Kreisen der Zelantenpartei ist der Ablass entstanden », et alibi idem.

(7) Iörgensen, *Der heilige Franz von Assisi* (Kempten 1908), pag. 409: « Der ganze Ablass beruht auf dieser Substitution der Portiuncula an Stelle der Terra Sancta ».

(8) De testimonio B. Benedicti optime agit cl. P. Heribertus Holzapfel, in *Archiv. Francisc., hist.* t. I pag. 38 ss.; qui bene ex eo, quod B. Raynerius mortuus est 1304, deducit, fictionem nonnisi post 1304 fieri potuisse; ast tunc indulgentia iam satis erat nota et acceptata.

culo XIII, modo etiam habilissimo, esse conficta; ast nullum documentum a saeculis traditum « malum praesumere » possumus; hucusque vero nullas contra testimonia nostra invenimus serias difficultates. Kirsch urget (1), quod in testimonio fratris Benedicti citatur socius B. Francisci, « qui vocabatur frater Masseus de Marignano »; ille enim — inquit — fr. Massaeus, secundum Waddingum, tempore illo (1277) adhuc vixit et nonnisi 1280 mortuus est. Waddingus revera Massaeum 1280 obiisse dicit et testimonium fratris Gonzaga pro hoc adducit; ast cl. Suyskens iam optime ostendit, Gonzaga hoc loco errasse et « manifestum anachronismum » subiisse (2). Jörgensen vero fratrem Benedictum hominem « phantasticum » habet, qui ob longam vitam in oriente suam phantasiam corruperit nec multam fidem mereatur (3); pro qua sua opinione citat vitam fratris Benedicti « per Nannem de Aretio » scriptam (4). Ast fratrem Benedictum minime in suspicionem vocare possumus ob portenta et mirabilia ab alio de ipso relata; testimonium deinde de indulgentia Portiunculae ab ipso prolatum nullum prodit vestigium phantasiae corruptae; tam simplex et clarum est, ut omnem prae se ferat speciem credibilitatis. Nec ab ipso solo, sed etiam a fratre Raynerio datur.

Alii in dubium vocant testimonia Zalfani et Iacobi Coppoli, quod sibi invicem contradicant (5). Zalfanus enim dixit, quod « audivit beatum Franciscum praedicare » indulgentiam coram episcopis; secundum Coppoli vero « dixit beatus Franciscus fratri Leoni: ,Teneas secretum hoc (6) »'. Ast nulla re — inquit optime cl. Nicolaus Paulus (7) — cogimur haec verba S. Francisci ad totam praecedentem relationem extendere, qua sermo est tum de concessione indulgentiae a papa facta tum de confirmatione ipsius in caelo. Concessio ipsa non erat secreta, utpote iam nota cardinalibus; secreta erat sola confirmatio in caelo data; unde ad ipsam iure restringuntur verba immediate sequentia: « Teneas secretum hoc ». Quod probabilius apparet, si testimonium Coppoli hac de re critice examinamus. Apud Bartholi quidem aliosque legitur: « Teneas secretum usque circa mortem tuam »; at codex notissimus *Ognissanti* fol. 46v cum aliis (8) habet « usque ad diem mor-

(1) L. c. pag. 49.
(2) Cfr. l. c. De indulgentia Portiunculae, n. 51-56 (pag. 888-890).
(3) L. c. pag. 407: « Es ist klar, dass man nicht auf das Zeugnis eines mindestens stark überspannten Mannes bauen darf ».
(4) Edidit cl. P. Hieronymus Golubovich O. F. M. in *Biblioteca Bio-Bibliografica della Terra Santa*, t. I pag. 143-147.
(5) Cfr. C. Müller in *Theolog. Literaturzeitung*, 1898, pag. 332, et Kirsch l. c. pag. 60.
(6) Sabatier l. c. pag. 26 et 28. — Alia testimonia, quae dedit beatus Iohannes de Alverna et frater Angelus Gregorii de Gualdo (Sabatier l. c. pag. 30 et 31), hic praetermittimus, quia nescitur tempus illorum.
(7) Nicolaus Paulus, *Die Bewilligung des Portiuncula-Ablasses* (in *Katholik*, 1899, p. I), pag. 108.
(8) Ex. gr. codex *225* Volterranus apud Sabatier l. c. pag. LIII.

tis meae». Humilitas ergo S. Francisci manifestationem istius caelestis revelationis tempore vitae suae impedivit (1); nec minima habetur cum testimonio Zalfani contradictio. Simulque hinc patet, quod Kirsch et Iörgensen iniuste fratrem Leonem accusarunt, quasi suum secretum revelaverit (2).

Tandem Kirsch documentis nostris opponit, quod alia testimonia de indulgentia Portiunculae haud merentur fidem (3). Quod transeat. Nec nobis placent omnia miracula, visiones, testimonia, quae apud Bartholi aliosque de hoc inveniuntur. Sed inde nihil sequitur contra testimonia fratris Benedicti Aretini, Petri Zalfani ac Iacobi Coppoli; quae tria testimonia 1277 coram testibus enuntiata eadem gaudent credibilitate ac tot alia testimonia communiter accepta. Nec negamus, indulgentiam a papa concessam decursu temporis per fratres pluribus esse auctam et ampliatam (4); nec intendimus defendere omnes illas circumstantias a temporibus posteris ipsi concessioni adiunctas. Tenemus hoc, quod hucusque nulla difficultate prohibemur admittere, quod clare in dictis tribus enuntiatur testimoniis, nempe quod sanctus Franciscus a papa recepit indulgentiam plenariam pro anniversario dedicationis dictae ecclesiae. Nec factum hoc tale et tantum fuit, ut legendae illud referre debuerint. Legendae maiora et graviora neglexerunt; quare silentium legendarum diserta illa testimonia elidere nequit. Fusius de hisce documentis alio loco egimus (5); quare iam ad alia transeamus.

b) Aliud documentum post capitulum Patavinum exaratum conservavit codex Collegii S. Antonii de Urbe pluribus locis jam citatus. Legitur ibidem fol. 63r:

« In nomine Domini, Amen. Anno Domini MCCLXX°VIII° indictione VI[a] tempore domini Nicolai papae tertii, in praesentia mei, notarii et testium subscriptorum, Iohannes Petri Nicholai tactis sacrosanctis evangelii[s] iuravit ad sancta Dei evangelia, quod, cum ipse esset aetatis X annorum et accepisset [a] beato Francisco unum cingulum vel corrigiam et fugeret cum dicto cingulo dictus Iohannes ad patrem suum, qui murabat in muro domus Iohannis Maximiani, et ipse Iohannes Petri Nicholai stabat iuxta quemdam alium murum dicti Iohannis Maximiani, dictus murus totus cecidit super ipsum Iohannem, ita quod ipse Iohannes fuit mortuus; et inde fuit extractus de sub lapidibus mortuus et portatus ad domum patris sui. Et cum

(1) Cfr. Paulus, l. c. pag. 109 n. 1.

(2) Kirsch l. c. pag. 61.

(3) Pag. 51 sqq.

(4) Cfr. Paulus l. c. pag. 120 et Kirsch pag. 9, ubi citatur Bonifatii de Amanatis *Lectura super constitutionibus Clementis papae quinti* (Biturici 1522), qua, fol. 225v, vituperantur fratres Minores beatae Mariae de Angelis « asserentes quod quoties quis per diem naturalem ingreditur ecclesiam et egreditur, toties extrahit animas ex purgatorio ». — Saeculo vero XVI coeperunt fratres dicere, indulgentiam Portiunculae in ipsa ecclesia Portiunculae quotidie obtineri posse. S. R. Inquisitio die 3 octobris 1691 decidit: « Non constare de dicta indulgentia quotidiana perpetua »; Kirsch l. c. pag. 54.

(5) In *Die ältesten Zeugnisse für den Portiunkulaablass*, in *Katholik* 1908 t. I.

essent congregati omnes consanguinei et amici et facerent corruptum (1) de eo, rumor pervenit ad beatum Franciscum, quod mortuus erat puer nepos Nicholai; qui Nicholaus erat valde devotus beati Francisci. Quo audito beatus Franciscus in continenti ivit ad domum ipsius pueri mortui et intravit posterius per ostium absconse, ubi iacebat idem puer mortuus, et apprehendit ipsum et posuit super se et vocavit ipsum nomine suo dicens: « Iohannes, accepisti mihi cingulum, de quo factae sunt petiae? » Et dixit ipsi puero beatus Franciscus: « Habes tu aliquod malum? » Puer vero, qui fuerat mortuus, in continenti respondit dicens « Non ». Qui dixit sibi: « Vide, quomodo dolent parentes tui de te; nolo ergo te habere filios, ne ex eis tristeris, sed volo te esse filium Dei. Vade igitur et dic dolentibus: ,quia non habeo aliquid mali; ne doleatis, quia me liberavit Deus' ». Qui Iohannes numquam habuit filios.

Actum in civitate Interamnis ante domum Antonii Raynucii, praesente ipso Antonio, Iohanne Andreae Raynaldi, Iohanne Petri Pelliparii et Iohanne Valientis testibus rogatis, die XVII aprilis ».

Documentum hoc citatur a Bartholomaeo Pisano, qui brevi sermone repetit miraculum illud et addit: « De scriptura publica notarii Florentiae reperi transcriptum »; « sed dominus frater Bonaventura in legenda maiori non facit mentionem (2) ».

Faloci (3) contra relationem Pisani primum invocat hoc ipsum silentium S. Bonaventurae: « Il silenzio di S. Buonaventura è un argomento gravissimo contro il Pisano ». Ad quod bene respondent *Analecta Bollandiana* (4): « Le distingué critique de Foligno a tort d'arguer du silence de Bonaventure contre l'authenticité des récits qu'on lit ailleurs. Il aurait dû se rappeler que le docteur séraphique, très assidu à s'approprier les deux Vies et le traité des miracles de Thomas de Celano, n'a pas fait la moindre allusion au personnage de Iacqueline de Settesoli, qu'il a omis environ 68 des miracles rapportés par son devancier ».

At Faloci mox aliter argumentatur (5): « È mai — inquit — possibile ammettere in S. Bonaventura l'ignoranza di un miracolo avvenuto in Terni, in un modo così solenne?.. Fu invece il Pisano che non seppe leggere »; et reprehendit Bartholomaeum Pisanum, quod miraculum a S. Bonaventura de civitate Suessa relatum (6) ad civitatem Interamnem ex negligentia sua transtulerit. Ast negligentia non est ex parte Pisani, nec ipse confusionem incurrit. Documentum clare dicit « in civitate Interamnis »; circumstantiae denique miraculi a S. Bonaventura relati satis differunt a miraculo in nostro documento enuntiato; quare duo diversa miracula statuere debemus (7).

(1) Corruptus, italice corrotto = planctus funebris.
(2) *Conformitates*, ed. 1. fol. 148, 149; ed. 2. fol. 182.
(3) *Il « Liber Conformitatum » del P. Bartolomeo da Pisa*, in *Miscellanea Francescana*, t. VIII pag. 145.
(4) T. XXI (1902) pag. 450.
(5) Pag. 146.
(6) *Legenda maior, Miracula* § 2 n. 6.
(7) Faloci concludit: « Accusò con leggerezza S. Bonaventura di una omissione, che non commise, confuse i tempi, e dette nuova prova della facilità

C. — *S. Franciscus in lectionibus liturgicis saeculi XIII.*

Breviaria saeculi XIII in festo sancti Francisci quinque lectionum species habent, quae fere omnes ex legenda prima fratris Thomae de Celano plus minusve deprompserunt.

1. Breviarium quod sub nomine S. Clarae ad S. Damianum prope Assisium asservatur (1), in fine novem habet lectiones « in festo S. Francisci », quae ad verbum sunt desumptae ex legenda prima. Nihil addiderunt, nihil mutarunt; nec legenda vocari possunt, cum minime totam vitam sancti respiciant. Tres lectiones priores sunt tres primae paragraphi (numeri) dictae legendae, quae de iuventute et infirmitate dicunt, qua Deus visitavit cor iuvenis; sex aliae lectiones sunt paragraphi 109-113 cum primis verbis paragraphi 114; narrant obitum sancti, lamentum fratrum et concursum populi ad videndum corpus defuncti. Quare in hisce lectionibus haud morandum censemus (2).

2. Fr. Thomas de Celano ipse post translationem corporis S. Francisci in basilicam novam ex sua legenda prima legendam brevem ad usum chori excerpsit (3); quae magnam saeculo XIII habuit fortunam; plures enim chronistae in diversis regionibus eam adhibuerunt (4); Iacobus de Voragine, in sua *Legenda aurea* vitam S. Patris scribens, quaedam verbotenus ex ipsa transcripsit (5); ipse vero Celanensis eam postea in *Tractatu de miraculis* pluries sequitur.

Raptim, stilo conciso at pulcherrimo, res in prima legenda relatas ordine pluries inverso proponit; quandoque verba etiam huius legendae repetit. Addit ad ipsam haec pauca:

a) Agens de sacrorum stigmatum impressione dicit: « Ipse vero seraphim dixit verba efficacissima sancto, quae ipse nulli voluit revelare »; quod idem aliquo fusius narrat S. Bonaventura in sua *Legenda maiore* (6).

b) Accuratius indicat tempus, quo S. Franciscus obiit. Dum legenda prima dicit (n. 88): « Die dominico egressus de carnis ergastulo », legenda brevis habet: « Die sabbati in sero feliciter migravit ad Dominum, sepultus in die dominico ».

---

con la quale raccoglieva tutto quanto gli si parava dinanzi. Cosa strana! trova a Firenze un rogito del tempo di Nicolò III, omette l'anno e il nome del Notaio, non dice dove si conservava il documento, e invece di leggere con attenzione S. Bonaventura, lo accusa senza fondamento ». Nemini dubium est, cui hac in re « leggerezza » imputari debeat.

(1) Praeter alios de hoc breviario fusius dixit Augustus Cholat, *Le bréviaire de Sainte Claire*, in *Opuscules de Critique Historique*, fasc. VIII (Paris 1904).

(2) Ed. P. Theophilus Domenichelli in *Archiv. Francisc. hist.* t. I pag. 64-67.

(3) Primum tota legenda brevis edita est in nostris *Excerpta Celanensia* (ad Claras Aquas 1901), pag. 76-90; deinde a cl. P. Eduardo Alenconiensi O. Cap. in sua egregia editione legendarum fr. Thomae de Celano (Romae 1906).

(4) Cfr. supra pag. 77. (5) De qua suo loco dicetur.

(6) C. 13. n. 4. — In pluribus codicibus habetur « Revelatio facta cuidam fratri, quae fuerunt verba, quae loquebatur Seraph beato Francisco »: cfr. *Actus B. Francisci et sociorum eius* (ed. Sabatier, Paris 1902), pag. XXXVII not. 1.

c) Ecclesiam nominat, in qua S. Pater primum depositus est. Legenda prima dicit (n. 23): « Ubi didicerat legere,.. sepultus est honorifice primum »; legenda vero brevis supplet: « In ecclesia sancti Georgii, ubi litteras didicerat, in arca saxea reverenter reconditur ».

d) Tandem ea, quae canonizationem S. Francisci statim secuta sunt, enarravit. Praeter plura miracula adduntur constructio novae ecclesiae, translatio sancti corporis in ipsam et nonnulla eidem ecclesiae a Gregorio IX collata beneficia (1).

Hinc scimus, legendam esse scriptam post diem 25 maii 1230, quo facta est translatio illa. Pariter scripta apparet post officium S. Patris compositum, quippe quod aperte adhibeatur (2). At facta est certo ante legendam secundam Celanensis, cuius nullum omnino vestigium invenitur, et multo magis ante *Tractatum de miraculis,* qui nonnisi post legendam secundam prodiit, et quo numerus miraculorum multum denuo augetur (3).

3. In breviario antiquo bibliothecae Vaticanae (cod. *Vat. lat. 8737*) habentur novem lectiones pro festo S. Francisci, quae nostram merentur attentionem. Breviarium conscriptum quidem videtur c. 1300; quum vero desint mutationes a capitulo generali 1260 praescriptae, immo desint officia S. Antonii et S. Clarae, illud ex breviario ante 1250 facto transcriptum esse putamus (4).

Lectiones non totam vitam S. Patris enarrant; 6 priores, quae correspondent 7 paragraphis prioribus legendae primae Celanensis, referunt Francisci juventutem et conversionem; 3 ultimae agunt de institutione ordinum et de informatione primorum discipulorum, quae conveniunt paragraphis 37 et 38 dictae legendae. Cetera omnia desunt; quare nonnisi lectiones unius diei esse videntur. En ipsarum tenorem:

Lectio prima. *Vir* Dei Franciscus de *civitate Assisii, quae in finibus vallis Spoletanae sita est,* oriundus existens a *primaevo aetatis suae anno* in *saeculi vanitatibus nutritus* extitit *insolenter.* Qui cum in primitiva parentum suorum *rudimenta* insolens sequeretur, *fere usque ad XXV aetatis suae annum tempus suum* sic vane vivendo *consumpsit,* ut inter eos, qui misera saeculi blandimenta sectantur, *vanior* in patria *et insolentior* haberetur.

Lectio secunda. Nam licet bonus Deus ab illis enormibus peccatis eum sua gratia custodierit, ex quibus

(1) Cfr. de ipsis Sbaralea, *Bullarium Franciscanum,* T. I. n. 21, 29, 49.

(2) Verba « in solari specie quadriga vectus » sequuntur antiphonam ad *Magnificat* in I vesperis, qua legimus: « In solari specie vexit te quadriga ».

(3) In legenda brevi septem « ab ipsa fauce mortis » educti dicuntur; *Tractatus de miraculis* (n. 49-69) vero viginti facta huius generis refert. — Num *Tractatus,* qui praelo est datus, sit interpolatus (cfr. *Archivum Francisc. hist.,* t. I p. 64 not. 1), huc non spectat. Certo post legendam II scriptus est, ideoque multo magis post legendam brevem, quae prior est illa.

(4) Cfr. de ipso P. Hil. Felder O. Cap., *Die liturgischen Reimofficien auf die heil. Franciscus und Antonius* (Friburgi Helv. 1901), pag. 88-90. — Lectiones iam edidimus in *Acta Ordinis Minorum,* t. XIX (1900) pag. 32-34. — Pluribus locis textus corruptus videtur.

homines maxime suam depravant originem et ab honore proprio naturae degenerant, *in vanitatibus* tamen et facetiis *supra omnes coaetaneos suos male conficiens* admirationem in cunctis suis actibus praetendebat. *Erat* enim *praedives, non avarus, sed prodigus, non accumulator pecuniae, sed vanissimus dispensator.*

LECTIO TERTIA. Quia dum negotiatori deserviret et regiones varias circumiret *pannorum cumulos* deferens *ad vendendum,* multi haec vanitatis eius commoda sentiebant, per quae amicitiae bono ipse in omni hominum genere fruebatur. Verum cum sic mente adversa incederet, *ut conversionis ad Dominum fieret* posteris ad *exemplum, facta est super eum manus Domini et immutatio dextrae Excelsi* diu (1) languoribus ipsius corpus affligens et animum demulcens sancti Spiritus unctione.

LECTIO QUARTA. Subito enim in alterum virum conversus est et ad ea quae consueverat gaudere nequibat; nam et cetera, quae ipsum delectaverant pridem, sibi modo taedium ingerebant. Sed quoniam prospera elevant quaeque, flagella dejiciunt, resumptis paululum viribus corporis adhuc mundi favoribus inhians cuidam nobili de Assisio se associare disponit, qui se militaturum ire in Apuliam praeparabat. *Cumque* ad eundum cum se *tota deliberatione dedisset,* nocte quadam *per visionem* vidit *domum suam militaribus armis,* quae rerum venalium tantum esse consueverat (2), occupatam.

LECTIO QUINTA. Admiranti haec omnia vox ad eum in somnis facta est dicens, *haec arma sua fore militumque suorum.* Evigilans vero circa suum propositum coepit tepescere (3) et insperatam sui mutationem nesciens secum tacitus mirabatur. *Studet jam* propriam *voluntatem suam dirigere ad divinam et parumper a saeculari tumultu se subtrahens et negotio, in interiori homine recondere* satagit Iesum Christum.

LECTIO SEXTA. *Gestiebat* hoc *neminem scire et solum Dominum in sancto suo proposito consulebat.* Cuidam tamen sibi amico *thesaurum invenisse* sub *aenigmate loquebatur.* Cepit secum ad secretiora loca saepius evocans; quandam [cryptam], in qua *orabat Patrem in abscondito,* ingrediebatur solus. Sicque divino perfusus gaudio continere spiritus ardorem non valens in Apuliam ire recusat et magna *in patria propria* publicat *se facturum.*

LECTIO SEPTIMA. Tres ordines beatus iste sanctus ordinavit, sicut in tribus ecclesiis, quas refecerat primitus, licet egerat ignoranter, fuerat figuratum, unicuique *tribuens vitae normam et salutis viam veraciter monstrans, egregius nempe artifex, ad cuius formam regulam et doctrinam efferendo praeconio in utroque sexu Christi renovatur ecclesia et trina triumphat militia salvandorum. Sed de ordine, quem habitu et professione assumpsit et tenuit, praecipue sermo in manibus est.*

LECTIO OCTAVA. *Quid enim? Ordinem Fratrum Minorum ipse plantavit et ea scilicet occasione hoc ei nomen imposuit, cum nempe sic in regula scriberetur: « Et sint minores ». Ad huius sermonis pro-*

(1) Codex *divinis.*
(2) Cfr. *Legendam fratris Iuliani* n. 3. (ed. Van Ortroy S. I. in *Analecta Bollandiana,* t. XXI): « Quae venalium esse consueverat occupata ».
(3) Idem *Legenda fratris Iuliani,* n. 3.

lationem ea quidem hora volo, inquit, ut ordo Fratrum Minorum fraternitas haec vocetur.

LECTIO NONA. Sed quis enarrare sufficiat *virtutum omnium fabricam spiritualem,* quam (1) in se sanctus iste *felici dispositione* construxit et in filios suos tam verbo quam opere mirabiliter dedicavit. Doctus doctrice gratia (2) omnium virtutum summam studuit experiri et spiritu ad superiora tendente corpusculum suum jugi poenitentia macerabat. *Rigidus in disciplina super custodiam suam* et filiorum *erat vigilans omni hora.*

Multa lectiones ad verbum desumpserunt ex legenda prima Celanensis; quae hic typis italicis (« corsivo ») sunt impressa. Nonnulla verba etiam in legenda fratris Iuliani eiusque officio leguntur. Nova vero sunt, quod S. Franciscus iuvenis mercator « regiones varias circumiret », et praecipue diserta declaratio, quod « bonus Deus ab enormibus peccatis eum sua gratia custodierit (3) ».

4. Aliae lectiones saeculo XIII apud fratres Praedicatores legebantur. Quas hic edidimus ex codice prototypo anno 1254 (cfr. ib. fol. 30r) conscripto, qui asservatur in archivo generali Ord. Praedicatorum Romae (4).

LECTIO PRIMA. Beatus Franciscus de patria Tuscia, civitate Assisii, natus parente mediocri, post lasciviam iuvenilis ardoris et negotiorum saecularium vanitates, gravis languoris *molestia attritus,* Dei digitum ad suae convertit conversionis effectum. *Cum* autem *die quadam misericordiam Domini plenissime invocasset, ostensum est ei, quid ipsum agere oporteret* (5). Et mox vitam commutans omnia, quae multo labore quaesiverat, vendidit et in pecuniam commutavit. Dum autem quamdam intraret ecclesiam, quae ruinam *minabatur,* eius *necessitate commotus, quam portabat pecuniam obtulit* sacerdoti. Quo *timore parentum recipere* recusante, eam *proiecit* (6), indignum aestimans virtutes simul et pecuniam possidere.

LECTIO SECUNDA. Patris vero saevitia videns haec vinculis eum subiecit et carceri. Occurrit autem et mater suis blanditiis credens huius *propositum revocare.* Sed cum vir Dei nec patris verberibus nec matris potuisset uberibus emolliri, maternae pietatis suffragio solutus est. Denique coram civitatis antistite vestimentis omnibus, ipsis etiam femoralibus, patris avaritiae restitutis, *semicinciis involutus* (7) est; et eum puerorum vesania cum luto et lapide quasi fatuum sequebatur. Quadam vero die dum ex evangelica lectione audiret a Christi discipulis, non virgam non peram, nec calciamenta debere portari, calciamentis reiectis et baculo, indutus est pro zona funiculum et mordentis lanae pauperem tunicam.

---

(1) Codex *quaeque.*
(2) Cfr. antiphonam quartam ad laudes.
(3) Haec nova distinximus spatiis inter litteras positis.
(4) Illas primum ex codice Tolosano *82* edidit P. Eduardus Alenconiensis O. Cap. (*Spicilegium Franciscanum. Legenda brevis S. Francisci,* Romae 1899). — Cfr. cod. *23935* Musaei Britannici Londinensis et codicem, qui exstat in conventu S. Stephani O. P. Salmanticensi.
(5) Cel. 7. (6) Cel. 9. (7) Cel. 16.

LECTIO TERTIA. Hic cibos cultiores sibi appositos interdum, ne palatum allicerent, permutabat, vinum raro sumens. Eadem tunica diebus ac noctibus pro indumento et lecto utebatur, quae vermibus operta frequenti excussione baculi tolerabilior reddebatur. Erat ei multa orationis attentio, meditatio sancta, pia compassio miserorum, admiranda castitas, humilitas veneranda, et illa sermonis auctoritas, ut colla sublimium iugo subiiceret disciplinae. Si quando autem iam extincti fomitis favilla consurgeret, se nudum in nivis vel aquae immergebat congeriem. Leprosos quoque, quos fugere consuevit, obsequio familiari contractabat. Animantia quoque et caelestia corpora in Christi laudes placido invitabat eloquio.

LECTIO QUARTA. Hunc felix pater Hugolinus, Ostiensis episcopus, de summi mandato pontificis, fovendum suscepit; qui tandem solium summi praesulatus ascendens, prout idem vir sanctus praesignarat, Gregorius nonus vocatus, ipsum et eius ordinis fratres pio studio enutrivit. De quorum plantario Dominarum pauperum ordinem praecisum sollicitudine multa provexit. Coeperunt itaque multi mundum relinquere ad almi patris magisterium convolantes. Quibus regulam tradidit, facundia sermonis incultam sed cultu operis operose (1) fecundam, vivendi normam verbo eis et exemplo exponens.

LECTIO QUINTA. Vir itaque sanctus supra candelabrum positus miraculorum coepit immensitate clarere. In solaris namque fulgoris specie coram fratribus transfiguratus apparuit (2), absentium acta et mentium secreta, et futura multa cognovit. Fratres per diversas mundi partes ab eodem directi, ipso orante, *absque humana vocatione, in modico* tempore iuxta *suum desiderium convenerunt* (3). Paralyticum et quamdam mulierem *caecitate percussam* (4) et aliam *obsessam a daemonio* (5) liberavit. Aquam quoque convertit in vinum, multique dum sua semicincia tangerent a diversis languoribus sanabantur.

LECTIO SEXTA. Multitudini quoque avium in quodam campo, cum exhortationis verba urbana quadam simplicitate proponeret, mox in eum linguis protensis et collis intendentes, Creatoris laudes suis modulis personabant, et ipsum per earum medium transeuntem rostris suis quasi oscula impressurae tangebant. Hirundinibus quoque, ipso praedicante, garrientibus indixit silentium; quae *statim conticuere, quousque praedicatio finiretur* (6). *In eremitorio* quoque quodam, vir quidam in seraphim specie sibi quasi patibulo *crucis affixus* apparuit; qui manibus eius et pedibus cicatrices quasi stigmata clavorum impressit. In eius etiam *dextro latere, velut lancea* perforato, *cicatrix obducti* vulneris apparebat (7).

LECTIO SEPTIMA. Anno igitur conversionis suae vicesimo, cum sui propinquum exitum Domino revelante cognosceret, duobus fratribus imminentem obitum nuntiavit. In illum autem psalmum erumpens « Voce mea ad Dominum clamavi », sub *cilicio et cinere* ad sui petitionem *conspersus, praesentibus et absentibus fratribus offensas re-*

(1) Deest in cod. Tolos.; cfr. editionem primam pag. 11.
(2) Cfr. antiphonam ad *Magnificat* in I vesperis: « Transfiguratum fratribus in solari specie ».
(3) Cel. 30.
(4) Cel. 67.
(5) Cel. 70.
(6) Cel. 59.
(7) Cfr. Cel. 94 et 95.

misit. Sicque *anima illa sanctissima carne resolvitur,* quam *unus ex fratribus* caeli secreta penetrantem aspexit, *lunae* mensuram *habentem et* quasi *solis* non modicam *claritatem* (1). Venerabile autem corpus eius, in oratorio beati Georgii iuxta muros Assisii cum ingenti veneratione sepultum est.

Lectio octava. In defuncti vero membris, praeter morem *candore nimio nitentibus* (2), crucis fuerunt manifesta vestigia, quae prius cauto pectore servabat occulta. Sub salutiferae autem crucis vestigio innumera suffragia salutis exsurrexerunt, ex quibus pauca exprimo, ne audientium gravetur auditus. Puer quidam quasi mortuus iacens *ad votum matris mirabili velocitate convaluit* (3). Vir quidam spiritu vexatus immundo eius *tacto sepulchro liberatus est* (4). *Mulier quaedam mente perdita,* dum ab ipso *in visione signum crucis* accepit, protinus extitit liberata (5). Caecus quidam visum tumulo contacto recepit.

Lectio nona. His igitur signorum prodigiis et aliis innumeris testium assertione probatis, papa Gregorius Assisium properans, multitudine ex omni natione congregata ibidem, post felicia sancti viri praeconia beatum Franciscum, cuius fuerat institutor et doctor, in sanctorum catalogo venerabiliter annotavit. In huius autem nomine mirae magnitudinis construi curavit ecclesiam, primarium lapidem in ipsius iaciens fundamento, ubi non multo post corpus eius sanctissimum admiranda fuit veneratione reconditum. Obiit autem anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto.

Secundum codicem Romanum et Tolosanum lectiones sunt « ex gestis eius abbreviatis, quae sic incipiunt *Quasi stella* ». Teste Bernardo a Bessa vitam, « quae incipit *Quasi stella matutina,* vir venerabilis, dominus, ut fertur, Iohannes apostolicae sedis notarius (6) », conscripsit. Vita haec nondum inventa est; nostrae vero lectiones clare produnt auctorem ordini extraneum, at Gregorio IX magnopere deditum. Pauca etenim nonnisi, in lectione quarta, de ordinis institutione dicuntur, quorum maior pars actionem et merita Gregorii IX celebrat.

Omnia fere etiam in prima legenda et legenda brevi (7) fratris Thomae habemus, plura immo eisdem verbis. Nova sunt:

a) S. Franciscus dicitur « natus parente mediocri »; quibus humilia « nativitatis suae primordia (8) » indicantur, qui non ex familia potente vel stirpe nobili prodiit;

b) Quae in lectione tertia habentur: « Eadem tunica diebus ac noctibus pro indumento et lecto utebatur, quae vermibus operta frequenti excussione baculi tolerabilior reddebatur ».

In fine loquitur de constructione novae ecclesiae et de translatione corporis sancti Francisci; ubi denuo papa Gregorius, « institutor et doctor », laudatur.

(1) Cel. 109 et 110. (2) Cel. 112. (3) Cel. 139. (4) Cel. 137.
(5) Cel. 138. (6) *Liber de laudibus beati Francisci.* Prologus.
(7) In hac legenda brevi, uti diximus, nominatur etiam ecclesia S. Georgii.
(8) Cfr. Cel. 53.

Quodsi quaerimus, quo fonte huius vitae auctor usus sit, in memoriam redeunt illa, quae Thomas de Celano retulit de S. Francisci canonizatione (1). In illa papa Gregorius « sanctum patrem Franciscum nobilissimo sermone collaudat »; qui « tale sumit exordium: *Quasi stella matutina* ». Ad quae bene notant *Analecta Bollandiana* (2): « Il est donc à présumer qu'il y a un lien entre le panégyrique de Grégoire IX et l'oeuvre hagiographique de Jean notaire apostolique. Celui-ci pourrait bien avoir résumé le discours du pape et composé ainsi ses *Gesta abbreviata* ».

5. In breviario, quod asservat pretiosa bibliotheca Patrum Conventualium Friburgi in Helvetia (cod. *142*), pro festo S. Francisci habentur lectiones ex *Legenda minore* sancti Bonaventurae desumptae (3).

In breviario illo, quod exemplar antiquissimum officii sancti Francisci continet, quodque antea apud bibliopolam Rosenthal Monacensem prostabat, nunc vero in bibliotheca Patrum Franciscanorum huius civitatis habetur, desunt lectiones in officio S. Francisci (4). Alia vero breviaria saeculi XIII, quae habeant lectiones de S. Francisco, ad nostram notitiam haud venerunt.

In monasterio monialium ad S. Claram (Santa Chiara) civitatis Assisiensis magna cum reverentia asservatur breviarium S. Francisci (5); in cuius initio haec verba per fratrem Leonem scripta leguntur:

« Beatus Franciscus acquisivit hoc breviarium sociis suis fratri Angelo et fratri Leoni, eoque tempore sanitatis suae voluit dicere semper officium, sicut in regula continetur. Et tempore infirmitatis suae, cum non poterat dicere, volebat audire. Et hoc continuavit, dum vixit. Fecit etiam scribi hoc evangelistare, ut eo die, quo non posset audire missam occasione infirmitatis vel alio aliquo manifesto impedimento, faciebat sibi legi evangelium, quod eo die dicebatur in ecclesia in missa (6). Et hoc continuavit usque ad obitum suum. Dicebat enim: « Cum non audio missam, adoro corpus Christi oculis mentis in oratione, quemadmodum adoro, cum video illud in missa ». Audito vel lecto evangelio beatus Franciscus ex maxima reverentia Domini osculabatur semper evangelium. Quapropter frater Angelus et frater Leo supplicant sicut possunt dominae Benedictae abbatissae (7) pauperum dominarum monasterii sanctae Clarae et omnibus abbatissis eiusdem monasterii, quae post ipsam venturae sunt, ut in memoria et devotione sancti patris librum istum, in quo multotiens legit dictus pater, semper conservent in monasterio sanctae Clarae ».

(1) Cel. 125.
(2) T. XVIII (1898) pag. 214. — Idem putat Iörgensen l. c. pag. 35.
(3) Cfr. de ipso Felder, *Reimofficien*, pag. 93-95.
(4) Cfr. de ipso Felder l. c. pag. 77-88.
(5) Scripserunt de illo P. Eduardus Alenconiensis, *De breviario S. P. Francisci* (Romae 1898), et O. Kamshoff, *Das Brevier des hl. Franciscus*, in *Katholik*, 1902, t. I pag. 335-340.
(6) Idem refert *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier), c. 117.
(7) Fuit abbatissa monasterii 1253-1260. Cfr. de beata Benedicta *Acta SS.*, t. II mart. pag. 493.

Tandem hoc loco quaedam dicemus de lectionibus Martyrologii Franciscani saeculi XIII. Prostat apud bibliopolam Rosenthal Monacensem « Martyrologium per anni circulum », quod ante canonizationem S. Clarae esse scriptum apparet ex eo, quod festum ipsius nonnisi in margine a scriba postero indicatum est verbis « Eodem die sanctae Clarae virginis ».

Tria elogia de sanctis familiae Franciscanae in ipso habentur:

a) Die 13 iunii dicitur: « Apud Paduam civitatem Ytaliae natalis beati Antonii confessoris de ordine Minorum. Qui gratia praedicationis illustratus in Ytalia multos verbo salutis cibavit et bono fine quiescens miraculorum conruscatione refulget ».

b) Die 4 octobris leguntur verba, quae habentur in legenda prima Celanensis n. 88: « Anno dominicae incarnationis — multis conruscat miraculis. Amen ».

c) Die 19 novembris S. Elisabeth hisce verbis commemoratur: « Apud Marbuch civitatem Theutoniae natale beatae Helisabeth filiae regis Ungariae et uxoris lantigravii Turingiae. Quae mirae sanctitatis existens cum esset cum viro *induta regalibus, ne terreni viri oculos offendere videretur, interius tamen sub cilicii tegmine caelestem sponrum gerebat absconditum. Viduis, pupillis, aegrotis, carcerum inclusis ergastulis et egentibus singulis singula subventionis remedia ministrando.* Post mortem autem viri hospitali de propriis sumptibus constructo et ampla possessione dotato totaliter se ad obsequium pauperum et leprosorum contulit. Sed et pauperiem, quam post incurrit, hilariter sustinens *lanam manibus* suis *operabatur* et per *alienas* domos *venabatur elemosinas erogandas pauperibus,* ut ipsa egente proximi abundarent. Fuit autem miraculorum claritate corruscans, et eius beneficia per saeculi spatium gloriosissima diffunduntur. Obiit autem in civitate praedicta anno III° domini Gregorii papae noni (1) ».

Iisdem verbis quibus supra annuntiatur festum sancti Francisci in martyrologio saeculo XIII exeunte conscripto, quod exstat in codice *VIII C 15* bibliothecae nationalis Neapolitanae (2).

D. — *S. Franciscus in legendariis saeculi XIII.*

In quatuor legendariis saeculi XIII invenimus vitam S. Francisci.

1. Tempore primus est *Liber epilogorum in gesta Sanctorum* fratris Bartholomaei Tridentini O. P., coaevi S. Antonii Pa-

(1) Verba « corsivo » impressa desumpta sunt ex vita « Vas admirabile », quam edidimus in *Mitteilungen des Historischen Vereins der Dioecese Fulda,* t. IV. pag. 8-12; novumque pro illius antiquitate praebent argumentum.

(2) Ex eodem martyrologio haec adhuc notentur: « Paduae beati Antonii venerabilis confessoris Fratrum Minorum ». — « Apud Asisium sanctae Clarae virginis, dominarum pauperum matris et beati Francisci plantulae sacrae ». (Cfr. initium regulae S. Clarae: « Clara indigna ancilla Christi et plantula beatissimi patris Francisci »; *Textus originales seraphicae legislationis,* Ad Claras Aquas 1897, pag. 52.) — « In Alamannia sanctae Helisabeth ». (Quae R. P. Elpidius Rocchetti O. F. M. fraterne nobiscum communicavit; cui hoc loco iteratas gratias referimus).

tavini, quem vidisse et cognovisse testatur. Duo cognoscuntur codices huius libri, uterque incompletus. Unus — codex *XXXII 91* — exstat in bibliotheca Barberiniana, quae nunc partem bibliothecae Vaticanae efformat; ex ipso Bollandistae epilogos in S. Antonium et S. Dominicum ediderunt (1). Alter codex, qui asservatur in bibliotheca cantonali Lucernensi, prima vice 1881 inter doctos innotuit per Al. Lütolf (2). Ex hoc codice edidimus anno 1901 epilogum in S. Franciscum (3).

In ipso Bartholomaeus plane sequitur legendam primam fratris Thomae nec aliud documentum prae manibus habuit. Ex multis capitibus brevi pauca excerpens vitam conscripsit, quam hic denuo damus.

Franciscus de civitate Assisii oriundus tantae fuit vanitatis, ut vellet militare, cum esset mercator. Viditque per somnium sibi suisque multa arma fore parata; sed potuit non intelligere. Tandem compunctus apud Fulgineum, quae habere potuit, vendidit et presbytero S. Damiani adhaesit pecuniamque in fenestram projecit et per plures dies in cavea latuit. Tandem exit, a patre capitur, a matre solvitur, coram episcopo constituitur, pecuniam patri immo et vestes restituit, et nudus pallio episcopi est obtectus. Per silvam currit Dominum laudans. A latronibus, quis sit, quaesitus « praeco Dei » ait; illi eum in nivem projiciunt; « iace, rustice praeco » ipsi dicunt. In coquina quorumdam monachorum brodio in camisiola vix sustentabatur. Apud Eugubium recepta a quodam tunica se transtulit in obsequium leprosorum. Deinde dictam ecclesiam sancti Damiani reparat, ubi instituit ordinem Dominarum; reparat etiam iuxta Assisium aliam ecclesiam, tertio etiam sanctae Mariae de Portiuncula, iuxta quam propter devotionem Matris Dei cepit moram. Primo eremiticum portavit habitum, sed dum evangelium Christi audisset, qualiter Dominus misit discipulos ad praedicandum, habitum, qui nunc est Fratrum Minorum, assumpsit et coepit fratres congregare. Revelatur ei peccatorum remissio et diversarum linguarum congregatio ad ipsum. Praedixit in principio sui ordinis inveniri primo dulcia, deinde minus suavia, postremo amara. Regulam conscripsit, confirmari obtinuit et ordinem Fratrum Minorum voluit nominari. In curru igneo quasi globus igneus splendidus fratribus anima ejus apparuit. Sermocinante sancto Antonio fratribus in provincia, dum dixit: « Iesus Nazarenus rex Iudaeorum », frater Monaldus ipsum in modum crucis extensis manibus vidit. Multa facta fratrum absentium in spiritu cognovit. Martyrium sitiens et Miramolino (4) et Soldano praedicavit. Et nautis in tempestatibus subvenit et victualia augeri precibus impetravit. Apud Mevanium praedicat avibus et per eas huc et illuc ambulabat, nec abvolabant, donec licentiam dedit. Apud Albianum hirundinibus ipsum in praedicatione

(1) Epilogum in S. Antonium iterum accurate edidit P. Eduardus Alenconiensis in *Miscellanea Antoniana* (*Spicilegium Franciscanum* IV, Romae 1902), pag. 60.

(2) Notas canonici Lütolf post eius obitum edidit Brandstetter in *Theologische Quartalschrift*, T. LXIII (Tübingen 1881), pag. 465-472.

(3) In *Acta Ordinis Minorum*, t. XIX (1900) pag. 44, et in *Excerpta Celanensia* (ad Claras Aquas 1901), pag. 95-99.

(4) Cfr. I Cel. 56: « Versus Marochium iter arripuit, ut Miramolino praedicaret. Sed bonus Deus aegritudine intentata eum a coepto itinere revocavit ».

impedientibus silentium indixit. Lepusculus, cuniculus et piscis ei obedierunt. Aquam apud eremum Sancti Urbani in vinum convertit, quo gustato ipse aeger convaluit. Apud Esculum, Aretium et alibi multa miracula fecit, ita ut etiam, quae tangebat, parienti in dolore profuerint et aliis multis. In civitate Tuscanella claudum erexit, Narnii paralyticum sanavit, caecam, contractam et caducum morbum habentes curavit, daemonia expulit et multa magnifica fecit. Omnibus creaturis compatiebatur. Nomen Jesu sic venerabatur, ut litteras, ex quibus componitur, non sineret pedibus conculcari. Eo tempore dominus Guilelmus, Sabinensis ecclesiae episcopus (1), nomen illud, sicut et nunc solet, super omnia magnificandum docebat (2). In die nativitatis Domini Iesu Christi sanctus Franciscus ex devotione apud castrum, quod Grecium dicitur, fecit praesepe fieri, et bovem cum asino apponi et foenum, et missam celebrari; et evangelium ipse legit et populo praedicavit. Apparuit puer quasi exanimis iacere, et Sanctus videbatur cuidam accedere et puerum quasi a sopore excitare. Foenum illud postea multorum profuit sanitati; et in illo loco est nunc ecclesia in honorem sancti Francisci dedicata. In scripturis legitur, quod formam seraphim cruci affixam vidisset, et dum miraretur, quid sibi vellet visio, aperuisse dictum in manibus et pedibus et latere ejus stigmata vulnerum Iesu Christi. Ex praedictis omnibus non elatus et iam in omni perfectione probatus, data benedictione fratribus, sicut fratri Eliae revelatum a nuntio apud Fulgineum fuerat, dum coram eo passio Domini secundum Ioannem legeretur, ad aetherea transiit. Cuius animam unus de fratribus in forma stellae quantitatis lunae, claritatis solis, de loco recto tramite conscendere vidit. Resplenduit in eo imago crucifixi, caro candida et membra composita decenter. Sepelitur Assisii, canonizatur a domino Papa Gregorio, domino Rainerio Viterbiensi eius vitam et miracula populo exponente. Miracula plura post mortem fecit; contractos, claudos, caecos et multos alios ad sepulchrum ejus curatos legimus. Puero de Montenigro contracto ad sepulchrum ejus apparuit frater iuvenis; ei pirum obtulit; qui pirum comedit, et dum ad aliud suam manum porrigeret, iuvenis eum elevans sanum eduxit et disparuit. Sic et mulierem de Cucurano omnibus membris excepta lingua inutilem et Eugubini puerum in cista apportatum a contractione, tum mendicum Bartholomaeum de Narnio et multos alios a diversis languoribus curavit.

2. In bibliotheca universitatis Matritensis (3) cl. P. Henricus Denifle O. P. invenit legendarium Roderici de Cerrate; in quo vitam S. Francisci formant illae lectiones, quas supra sub 4 edidimus.

3. Celebrior aliis est *legenda aurea* a fratre Iacobo de Voragine O. P. scripta, quae medio aevo ubique diffusa magnam fecit utilitatem. Die 4 octobris praebet longiorem vitam S. Francisci, quae post praemissam explicationem nominis Francisci incipit « Franciscus servus et amicus Altissimi » et explicit « nec aquae gutta proximavit ad tunicam ».

(1) Cfr. Ughelli, *Italia sacra*, t. I (Romae 1644), pag. 198.
(2) Cfr. (Papini) *Notizie sicure della morte, sepoltura, canonizzazione e traslazione di S. Francesco* (Fulg. 1824), pag. 9 n. 1.
(3) Codex *146*. De ipso egit P. Denifle in ALKG, t. I pag. 148.

Iacobus plerumque verbotenus excerpsit legendam secundam fratris Thomae de Celano eiusque *Tractatum de miraculis.* Legendam primam non adhibuisse videtur. Plura etiam ad verbum sunt desumpta ex legenda brevi Celanensis (1) et ex legenda maiore S. Bonaventurae (2). Nihil novi in hac vita invenitur.

4. Iam ante plures annos Paulus Meyer, peritissimus rei litterariae medii aevi, egerat de legendario gallico saeculi XIII (3), in qua praeter alias vita S. P. Francisci existit. Quam vitam paucis abhinc mensibus examinavit et edidit cl. P. Ubaldus Alenconiensis O. Cap. (4). Unde patet, in ea plura capita legendae primae fratris Thomae ordine aliquando inverso et modo libero referri. Nihil addit novi, nec ex alio documento praeter dictam legendam scriptor illius hausit (5).

Auctor huius legendarii ignoratur, nec tempus originis indicari potest. Antiquiorem codicem, quem hucusque cognoscunt, inter annos 1250 et 1275 scriptum esse dicunt.

Fuldae, in Monte Mariano, die 14 Dec. 1907.

P. LEONARDUS LEMMENS, O. F. M.

(1) Legendam brevem sex locis adhibuit. Totum ex. gr. initium a « civitate Assisii » usque ad « flagello corripuit » inde desumptum est.

(2) Inseruit ex ipsa partes c. IV n. 9; c. V n. 8; c. VI n. 1; c. VIII n. 9; c. XII n. 3 et 4.

(3) *Notice sur un légendier français du XIII siècle* in *Notices et extraits des mss. de la bibliothèque nationale,* t. XXXVI p. I (1899), pag. 1-69.

(4) *Vie inédite de S. François* in *Etudes Franciscaines,* t. XVIII (1907) pag. 507-529.

(5) P. Ubaldus haud decidit quaestionem, utrum legenda gallica sequatur ipsa Celanensem an versio sit legendae latinae secundum Celanensem conscriptae.

VITA BREVIS B. AEGIDII ASSISIENSIS.

De vita sancti Fratris Aegidii Assisiensis, viri sic extatici qui paucos habuerit aequales in ecclesia Dei, sicque divinitus illustrati qui *Dictis* (1) suis vere aureis celeberrimus manserit, plures ex codicibus vetustis sunt notitiae iam vulgatae. Quaedam sunt circa illas dicenda, quanquam magnas in praesentiarum *exhaurire* nolimus quaestiones de earum inter se relatione et an ex ipsis aliqua fratrem Leonem, socium S. Francisci praecipuum, sibi auctorem vindicare possit.

I. In primis liceat testimonium proferre pretiosum et rarum cuiusdam, qui vixit cum sociis B Aegidii et multa per eos cognovit de initiis Seraphici Ordinis. Frater Ubertinus Casalensis, homo maximi nominis, in opere suo grandi *Arbor vitae crucifixae Iesu,* quod composuit in monte Alvernae anno 1305, semel et iterum loquitur de B. Aegidio. En, quae didicit ex traditione de miris apparitionibus factis sibi in loco de Cetona. Verba sumuntur ex libro III, c. VIII, fol. 90 a. 1 [Venetiis, 1485].

« Perfectio apostolica in his novis apostolis renovata facit apo« stolos Petrum et Paulum et Ioannem et ceteros gaudere in his novis « imitatoribus suis tanquam in legitima prole et tanquam in his, qui « metunt vite perfectionem de seminibus fidei ab eis predicate. Quod « quidem ostendunt familiarissime apparitiones facte horum pauperum « patriarche Francisco et eius commilitoni et sectationi [*corr.* sectatori] « precipuo sancto fratri Egidio, viro pre omnibus nostri temporis in « contemplatione extatico. Cui, anno quo beatus Pater ex hoc mundo « transivit, Iesus Christus et sanctissima Mater eius et Apostolorum « cetus, in medio eorum Franciscus, a vigilia (2) nativitatis Domini usque « ad festum sancte apparitionis quasi quotidie apparuisse *dicuntur* et « ei talia revelasse, que nostris dictis fidem plenam dare videntur ».

Deinde libro V, c. III, fol. 216a2, postquam locutus est de B. Conrado ab Ophyda vivam B. Aegidii depingit effigiem sequentibus:

« A magna etiam ego multitudine fratrum, qui cum sanctissimo « patre fratre Egidio vixerunt cum familiaritate multa, hominum prio« rum sententiam audivi et multorum maiorum, et ab eodem sancto « Patre predici, que viderentur incredibilia, donec erunt completa.

« Nam, sicut Deo charus et sanctus vir sanctus Masseus, miles de « Perusio, qui nuper migravit ad celos, pluries mihi narravit cum

(1) *Dictorum* B. Aegidii perpulchram editionem paraverunt, anno 1905, PP. Collegii S. Bonaventurae: *Bibliotheca franciscana ascetica medii aevi,* t. III, pp. XIX-122. Aliae iam factae fuerunt Moguntiae 1463, Bononiae 1585, Salamanticae 1625, Antverpiae 1634, item in *Acta Sanctorum* et apud *Conformitates* Bartholomaei Pisani, ubi interseruntur *Dicta.*

(2) Legendae apud Lemmens, *Documenta antiqua franciscana,* pp. 48 et 69 habent: *Tribus diebus ante Nativitatem,* item Pisanus; *Chronica XXIV Generalium* habet: *A tertia die ante Nativitatem; Acta Sanctorum* legunt: *Triduo.*

« lacrymis, sanctus vir Egidius tanto eiulatu clamabat super regule de« structionem, quam videbat, quod ignorantibus vitam spiritus quasi « videbatur insanus; nec potuisset sustinere, nisi quia innumeris vi« cibus fuit certificatus a Christo Iesu de huius fine ruine et de re« novatione sanctissime regule et totius ecclesie.

« Huiusmodi vero viri sancti Egidii sanctitatem quis enarrare « sufficiat? Ipse enim fuit quartus frater minor, tertius legitimus Pa« tris filius. Qui tanta vigorositate operum prius servivit in exer« citio active, ut vere sicut Martha circa plurima virtutum exercitia « et active ministeria per labores manuum, per obsequia leprosorum (1) « et per alia vilitatis opera continue satagere videretur. In quibus « perseveravit, donec sic fuit raptus in contemplatione ab influxu « amoris Iesu, quod magis civis celestis quam terrenus videbatur vi« vens in carne (2).

« A multis audivi, qui viderunt, quod statim, nominata gloria pa« radisi, in illius rapiebatur dulcedinem per mentis excessum.

« Hic, quando videbat lectores vel ad studia aspirantes, irrisorie « de pugnis ambarum manuum faciebat tubam, pro eo quod, sicut ex« ponebat expresse, quod ipsorum studium et scientia videbatur ad « quandam vanam tubam fame et pompe seculi ordinata.

« Hic, videns carnalem gloriam, quam habebant filii vani de mi« raculis sancti Patris, predixit se impetrasse a Domino, ut propter « sua miracula non erigeretur vana fabrica nec gloriaretur ociosa vita « illorum, qui se gloriantur patres habuisse sanctissimos, quorum no« lunt vestigia imitari. Nam propter evidentiam [*corr.* evidentia] san« ctitatis signa istius beatissimi sancti patris Egidii, quia universa« liter mundo patebant, multi expectabant fratres quasi similia per « ipsum fieri vel maiora, quam per beatum patrem Franciscum fieri « sentiebant. Quod quia ipsum non latuit, in vigore spiritus audio « ipsum respondisse predicta.

« Et addidit, quod propter sua beneficia non edificarent malefi« cium contra regulam edificii excessivi per miracula, que a Domino « obtineret. Quin immo, si posset, ad ruinam factorum toto conamine « niteretur, licet propter indubitabilem reverentiam, quam ad sanctum « patrem beatum F[ranciscum] habebat, sustineret, quod super corpus « suum notabilis fieret ecclesia, que in sensuali populo ingereret sue « eminentia[m] sanctitatis. Sed omnia alia edificia fortissime perhor« rebat.

« De virtutibus et contemplationibus et quasi continuo mentis « excessu, quo usque ad finem vite sue perseveravit et se exercuit « hic sanctus pater Egidius, non posset breviter explicari, quia ma« gnum volumen per se sanctitatis sue vita requireret ».

(1) Quod, iuxta mentem et exemplum S. Francisci praximque aliorum primitivorum fratrum, obsequia leprosis praestiterit B. Aegidius primo conversionis suae tempore, tacent legendae, I Cel. n. 25 et S. Bonaventura, *Leg. maj.*, c. III, n. 4.

(2) Fere eadem habet S. Bonaventura, l. c.:..... *ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere quam humanam.*

Dolendum sane, quod Casalensis, curiosus paternarum traditionum indagator et in probando vias mirabiles Domini in servis suis expertissimus, non reliquerit nobis illud « magnum volumen ». Quidquid sit, valde pretiosum est suum testimonium supra relatum. Plura quidem confirmat aliunde cognita, qualiter videlicet se opponebat Beatus fratrum relaxationibus, et qualiter vitam duxit prius activam, postea summe contemplativam. Sed et miram lucem effundit, quae docet nos sensum quorumdam verborum a Sancto prolatorum circa miracula sua post mortem.

Chronista etenim coaevus Fr. Salimbene Parmensis, refert (1), quod « sanctissimus Aegidius de Perusio Deum rogaverat, ne post mortem suam miracula pro eo ostenderet ». Quibus verbis, ut vult R. P. L. Lemmens (2), concordaret legenda, quam publicavit, quae in fine habet: « Claruit et miraculis plurimis in *vita* sua (3) ». Accederet et responsum Perusinis datum cum ultima infirmitate gravaretur Sanctus (4): « Dicite Perusinis, quod nec propter canonizationem nec propter magna miracula unquam pulsabuntur campanae, signum non dabitur nisi Ionae (5) ».

Quid evenerit de facto, innotescit, si attendimus ad sequentia. *Actus S. Francisci* dicunt de B. Aegidio: « Claruit etiam in multis miraculis in *vita* pariter et in *morte* ». *Chronica XXIV Generalium* habet: « Qui etiam post *mortem* multis miraculis coruscavit ». Pisanus: « Post mortem divina potentia eum celebrem miraculis reddidit », quae statim numerat. Et revera codex Perusinus apud Bollandistas (6) ob oculos ponit longam seriem miraculorum, quae « intra eumdem quo B. Aegidius obiit annum » acciderunt maxima ex parte.

Cum igitur certo certius sit, quod post mortem patraverit Aegidius miracula — quae nec Salimbene nec fr. Leo potuerunt ignorare — concludendum foret aut errasse prophetam, aut eius orationem non fuisse exauditam a Deo (7), aut Salimbene non exacte retulisse verba ab eo prolata et ea, sicut dictum ad Perusinos, sensum alium habere.

Quod istud ultimum sit unice verum, bene astruit Ubertinus praecise asserens, ad vitandam vanam vanorum hominum gloriam precibus suis obtinuisse Sanctum, quod non aedificaretur in sui honorem basi-

(1) *Chronica*, Parmae, 1857, p. 322.

(2) *Doc. ant franc.*, l. c. p. 13.

(3) Huic phrasi vim facit clarus editor l. c. pro diiudicanda authentia legendae suae. Verum, audita ut sonat et praesertim ut sonare supponitur, habet veritatem, cum valde pauca miracula ante B. Aegidii mortem legantur operata, multa vero post. Unde phrasis allata, inspectis maxime locis parallelis inferius citandis, potius quam signet opus fr. Leonis, contrarium astruere videtur.

(4) *Chron. XXIV Gen.*, p. 113; Pisanus, *Conf.*, fruct. VIII. p. 210; *Acta Sanctorum*, Aprilis, t. III, *De B. Aegidio Assisiensi*, n. 101.

(5) Ex his verbis quidam apud *Acta Sanctorum* l. c. nota *f*, asserere non timuerunt, quod nullum post mortem miraculum operatus sit B. Aegidius.

(6) *Acta Sanctorum*, l. c., nn. 104-124.

(7) P. Gisbert Menge, O. F. M. *Der selige Aegidius von Assisi, sein Leben und seine Sprüche*, Paderborn, 1906, p. XIV, admittit hanc solutionem potius theologicam. Aliam proponunt *Acta Sanctorum*, l. c., n. 101, nota *f*.

lica pomposa, quae superbiam nutriret ac ansam daret relaxationi. Et non opponitur dictis Fr. Ubertini responsum supra datum Perusinis. Nam revera, ad differentiam S. Francisci, B. Aegidius nec habuit basilicam ideoque nec campanas suas, quae potuerint pulsari propter eius canonizationem aut miracula; immo nec canonizatio proprie dicta fuit ei concessa, etsi miraculis claruerit innumeris, ut vidimus supra.

II. Veniamus tandem ad quasdam notitias, completiores utique, licet tanta antiquitate minime gaudeant, ut opinor.

Harum unam simul cum miraculis post mortem dant *Acta Sanctorum*, Aprilis, t. III, p. 222-228 et p. 245-249, Parisiis, 1866. Sumpta est ex ms. membranaceo, satis antiquo, catenulis ferreis clauso, quod circa annum 1675 in sacello fratrum Minorum Perusii servabatur adhuc, nunc vero deperditum est. Non ante saeculum XIV compilata fuit, nisi partem excipias, quae de signis et miraculis agit « idque, aiunt Bollandistae (1), intra eumdem quo B. Aegidius obiit « annum: ex quo apparet quantae auctoritatis et antiquitatis pars haec « ultima sit et quod ms. Perusini compilator non curaverit quidquam « mutare in stylo, quandoquidem is in hac parte alius est quam in « prima ». Num. 17 allegatur testis, qui « stetit cum eo [Aegidio] longo « tempore et, quae vidit et audivit ab ore eius, dixit et scripta fecit ».

Alteram ex diversis elementis compegit auctor *Chronica XXIV Generalium*, in qua recollegit, quae de Ordinis historia et de vitis sanctorum fratrum hinc inde dispersa reperit, ut loquitur in prologo. Simul igitur cum dicta Chronica, in qua inseritur, edita est apud *Analecta Franciscana*, t. III, p. 74-115, Quaracchi, 1897. Quod sit compilatio, iure supponitur iam ex scopo chronistae, ut dictum est, et ex modo, quo notitias de aliis sanctis, v. g. S. Francisco et S. Antonio, coadunavit (2). Sed texturam eius intrinsecam leviter intuenti, dubium esse nequit, quod plura speciatim *Dictorum* B. Aegidii fragmenta inter legendae capitula distributa fuerint (3). In multis capitulis narratio affinis est, etiam quoad verba, narrationi sumptae ex ms. Perusino, num. 5-19. Idem statuatur de narratis in libro *Speculum vitae S. Francisci* sic dicto (4).

Tertiam vitam praebet Bartholomaeus Pisanus in suis *Conformitatibus vitae B. Francisci ad vitam Domini Iesu*, lib. I, fruct. VIII, p. 205-213, Quaracchi, 1906. Illam redegit « succincte » ut ipsemet fatetur, et suo proprio stylo. Ad oppositum duarum praecedentium compilationum, quae nec chronologicum servant ordinem nec logicum,

(1) *Acta Sanctorum*, l. c. commentarius praevius, n. 6.

(2) Cf. ibi, p. 189-209 et p. 121-158. Pro sua compilatione miraculorum S. Francisci adhibuit auctor *Tractatum de miraculis* Thomae Celanensis et alium fontem ignotum. Cf. *Analecta Bollandiana*, t. XVIII, p. 97 sq. Pro relatione gestorum S. Antonii usus est legenda I. Rigaldi, legenda *Benignitas et humanitas*, legenda Florentina, aliisque.

(3) Lemmens, *Doc. ant. franc.*, l. c. p. 14; *Dicta B. Aegidii Assisiensis*, p. XV.

(4) S. Antoninus, Surius, Wadding videntur prae manibus habuisse legendam, quae extat apud *Chron. XXIV Gen.* Cf. Lemmens, *Doc. ant. franc.* l. c. 13, nota 2.

suam eo modo Bartholomaeus elaboravit, quo S. Bonaventura texuit historiam S. Francisci, studendo scilicet « magis aptae iuncturae » secundum quod materiae congruere videretur.

Noviter edidit alium textum historiae B. Aegidii R. P. Leonardus Lemmens in sua collectione *Documenta antiqua franciscana,* t. I, p. 37-63, Quaracchi, 1901. Ei sub forma appendicis subdidit secundam vitam ineditam, quae hisce finitur: « Expliciunt in compendio verba et vita B. Aegidii, quam B. Leo descripsit ». Cum autem huiusmodi compendiolum, paucis exceptis, verbotenus inveniatur in prima vita, post cuius ultima verba etiam haec leguntur iuxta codd. duos: « Usque modo scripsimus *aliqua,* quae notavit sanctus Frater Leo, socius B. Francisci », authenticam vitam a Fr. Leone scriptam se invenissse doctus editor sustinuit, conatusque omnes adhibuit, ut suam opinionem magis tueretur (1). Eius argumentis assensum negaverunt R. P. Van Ortroy (2), Bollandista, R. P. Gisbertus Menge (3) O. F. M. et P. Sabatier (4). Illi post accuratam textuum comparationem concludunt textum Fr. Leonis nondum inventum esse et praetensam legendam non esse nisi eius recensionem (5).

Istis plane assentimur propter motiva plura. *a)* In prologo interseruntur quaedam ex *Dictis* B. Aegidii, quae nihil faciunt ad rem. *b)* Modus conversionis B. Aegidii, ut est hic n. 1 et in aliis legendis, si comparentur, videtur ubique aliqualiter mutatus, ideoque nullibi videtur originalis. *c)* Quae aliae legendae plenius narrant de labore manuum, hic n. 5 breviter et paucis narrantur, ut apparet caeteroquin ex verbis: « Longum esset omnia enarrare ». Eum, qui paucissima dixit, cur iam taederet, nisi quia intendit verbum abbreviatum? *d)* Dialogus sub n. 12 est evidenter mancus, insuper narrationis filum rumpit, deficitque in textu nostro parallelo infra publicando (6). *e)* In fine vitae habent codices: « Usque modo scripsimus *aliqua* », non omnia ergo, et subdunt: « De multis *pauca* »; quae verba denotant breviatorem (7) seligentem ad libitum, ut conficiat opus.

---

(1) Cf. *Doc. ant. franc.,* I, q. 9-36 et III, p. 7-12.

(2) Cf. *Analecta Bollandiana,* t. VXI, p. 111 sq.

(3) P. G. Menge, l. c., p. VII-XVI. Cf. P. Paschal Robinson, O. F. M. *The Golden Sayings of the Blessed Brother Giles of Assisi,* p. VII sq. Philadelphia, 1907.

(4) *Actus B. Francisri et sociorum eius,* p. LVIII, Paris, 1902.

(5) Antiquam tamen esse hanc recensionem ex eo constat, quia Alvarus Pelagius in suo libro *De planctu ecclesiae,* p. II, c. 69, fol. 186v [Venetiis, 1560], quem finivit anno 1332, illam quasi ad verbum videtur citare.

(6) Ut optime notat R. P. Lemmens, dialogus, de quo agitur, efformat unum ex quatuor capitibus quae aut *sola* inveniuntur in *Actibus S. Francisci* aut simul tanquam *additamentum* inseruntur media in vita B. Aegidii, uti est in cod. Vaticano 4354 et in cod. 196 biblioth. R. Berolinensis; ex quibus ad illam vitam quatuor dicta non pertinuisse capitula deducit ipsemet. Cf. *Doc. ant. franc.,* t. I p. 12 et 51, t. III, p. 11. Dialogus ergo sub n. 12 est interpolatus.

(7) Notetur parallelismus. Post vitam a P. Lemmens editam scriptum est. « Usque modo scripsimus *aliqua....* amodo scribemus *aliqua...* de multis pauca ». In initio illius, quam inferius publicamus, dicitur: « *Pauca....* collegi » et in fine: « Expliciunt *aliqua....* excepta de *multis* ». In utroque casu scriptor se fatetur breviatorem, vel eius verba nihil significant.

III. Hanc opinionem nostram magis magisque confirmabit sequens textus vitae Aegidianae. Erat quidem cognitus a diversis (1); tamen remanserat manuscriptus. De eo aliqua dicantur nunc.

Eruitur ex codice 23. I. 60. bibliothecae fratrum Minorum Conventualium Friburgi in Helvetia. Currit a fol. 4r ad fol. 6r. Codex est ineuntis saec. XV, saltem usque ad fol. 100v, ubi manu ipsius possessoris et ex parte scriptoris, Fr. Friderici de Amberg (2), ponitur haec notula: « Finitus est iste tractatus in Friburgo Oechtlandie VIII^{a} die iulii anno Domini M^{o}CCCC.VI° ». Eius descriptionem completam paravimus, quae dabitur in *Archivo.*

Primo aspectu et ad ultimam usque lineam, compendium vitae longioris esse hanc ultimam legendam patet evidenter. Est enim narratio perquam brevis, nexus rerum non semper aptus et phrasis saepius contracta nimis. Sed quid immoror? Ab initio dicit auctor: « *Pauca* et *abreviata* de vita eius collegi », et in fine: « Expliciunt *aliqua dicta....* excepta de *multis* ». Ergo ipsum opus fr. Leonis nullo modo censenda est.

In titulo et in conclusione vocatur B. Aegidius « *quartus* frater » et « *quartus* socius » S. Francisci. Haec denominatio proveniens ex confusione aliqua vel ex reminiscentia legendae primae Celanensis (3), in qua revera B. Aegidius inter socios S. Francisci quarto loco adnumeratur, falsa nobis est, cum aperte contraria sit testibus inconcussis, eidem scilicet Celanensi in sua legenda secunda et S. Bonaventurae (4). Ille, Fr. Bernardum vocando « *secundum* in Ordine fratrem » et « post Sanctum Dei Minorum Ordinis *primam* plantulam », manifeste rectificat, quae prius minus vera dixerat in legenda prima. Alter idem ex intentione ingerit asserendo, quod « fr. Bernardus Patris beati primogenitus esse promeruit tam *prioritate temporis* quam privilegio sanctitatis » et quod « inter filios Francisci *tertium* sortitus est locum sanctus pater Aegidius ». Post Celansensem igitur et Bonaventuram vocetur B. Aegidius cum Ubertino Casalensi praedicto « *quartus* frater minor, *tertius* legitimus Patris filius », vel cum Bartholomaeo Pisano (5) « *tertius* frater, filius et socius B. Francisci ». Hoc unice verum est (6).

Legenda nostra, quae conversionem et priores B. Aegidii vitae actiones totaliter praeterit, postea rerum ordinem generatim sequitur

---

(1) Cf. Hilarius a Lucerna, O. M. C. *Liber de laudibus B. Francisci,* p. 7, nota 1, Romae, 1897. P. Sabatier, *Actus B. Francisci et soc. eius,* p. LVI sq. Paris, 1902.

(2) De isto viro suo tempore celebri legatur notitia: *Maître Frédéric d'Ambery, provincial et gardien du couvent les Cordeliers de Fribourg, mort le 27 juin 1432,* par le P. Bernard Fleury, cordelier [Extrait des *Archives de la société d'histoire du canton de Fribourg,* t. VIII, 1ère livraison].

(3) I Cel. part. I, c. X, n. 21 sq.

(4) II Cel. part. II, c. XVIII, n. 48 et c. LXXV, n. 109; S. Bonaventura, *Leg. maj.*, c. III, n. 8 sq.

(5) *Conform.*, fruct. VIII, part. II, p. 205.

(6) Cfr. Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, p. 34 sq.; *Dicta B. Aegidii,* p. 96, nota 1.

eumdem ac illa, quam edidit supra R. P. Lemmens, praeterquam in nn. 22 et 23, ubi facta narrantur ordine inverso.

In utraque convenit speciatim narratio gestorum in civitate *Anchona*. Wadding, ut dicetur in nota ad textum, et ex tredecim duo tantum codices *Chronicae XXIV generalium* legunt similiter *Anchona* (1). Alibi vero semper legitur *Achon*. R. P. Hieron. Golubovich (2), eruditus Terrae sanctae historiographus, admittit errorem in verbo *Anchona*. Videtur utique quid pro quo positum alicubi propter nominis similitudinem, nisi forsan probetur — res ardua plane — factum bis et in diversis locis evenisse.

Aliquae praeterea differentiae plus minusve notabiles existunt. In legenda nostra, n. 5, mittitur B. Aegidius ad heremitorium Fabrionis « anno VII° conversionis suae »; in ceteris autem, Pisano excepto, semper, si non verius, « anno VI° ». — Ibidem magis vult B. Aegidius, quod secreta coelestia « per *angelum* revelentur quam per ipsum »; alii vero textus satis incongrue habent « per *alium* revelentur ». — In visione habita apud locum de Cetona apparuit Christus « cum Apostolis » iuxta legendam nostram, n. 10; sed omnes aliae de Apostolis altum servant silentium, nisi solus excipiatur iterum Ubertinus Casalensis supra citatus, qui numerat etiam B. Virginem Mariam et B. Franciscum.

Verba infra posita n. 22: « Postquam B. Aegidius rediit de ultra mare, quo iverat flagrans ardore martyrii », non respiciunt iter ad Terram sanctam relatum n. 2, quo fuit Aegidius ut peregrinus et ex mera devotione secundum omnes eius legendas, sed illud, in quo fervens et audax, mori pro fide nimium affectabat, ad Tunetum scilicet, quod quidem referunt legenda Perusina, n. 8, legenda apud *Chron. XXIV Gener.*, p. 68, et Pisanus, p. 207. Ideo bene ait quidam codex Silesiticus, referens illud apud Bollandistas (3): « Deo agebat gratias, qui apud Tunetum desiderium suum non implevit ». Deficiunt noster textus et legenda a P. Lemmens edita in narratione illius itineris. « Pauca de multis » narrantes, nequeunt « omnia » referre.

In textu nostro, n. 3, legitur, quomodo B. Aegidius ibat scopando domos, colligendo nuces et illas distribuendo platearum pauperibus. Quae facta leguntur quidem per longum et latum in supra memoratis legendis eius, sola excepta adhuc, quam edidit P. Lemmens. Inde sequitur gravissimum argumentum contra istius attributionem Fr. Leoni. Si, inquam, textus noster est compendium legendae a Fr. Leone scriptae — quod certissimum est — quomodo Fr. Leoni tribui potest aliqua legenda, in qua gesta illius compendii nullatenus inveniuntur? Restat ergo, quod sit et ipsa purum vitae primitivae compendium et abbreviatio.

Summatim igitur concludendo dicimus incognitam adhuc esse in primitiva forma B. Aegidii legendam, quam ex Salimbene (4) et ex

(1) Idem habet vita secunda apud Lemmens, *Doc. ant. franc.* I, p. 67.
(2) *Biblioteca bio-bibliografica,* I, p. 105, Quaracchi, 1906.
(3) *Acta Sanctorum,* l. c. n. 99.
(4) *Chronica,* l. c.: « Fr. Aegidii vitam fr. Leo... sufficienter descripsit ».

pluribus codicibus edocemur Fr. Leonem composuisse, licet eius substantia plus minusve alterata, aucta aut abbreviata, mediantibus legendis enumeratis, ad nos pervenerit saltem ex parte.

DE SANCTO EGIDIO 4° FRATRE S. FRANCISCI.

Currens post odorem virtutum beati Francisci, grex devotus eius habuit virum mirabilem, videlicet fratrem Egidium, de quo pauca et abreviata de vita eius collegi.

1. Nam primo in peregrinacione, quam causa (fol. **4v**:) devocionis fecit ad sanctum Iacobum, infinitis tribulacionibus penurie, sitis et famis, que pro amore Christi gaudenter sustinebat (*a*), spiritualibus semper consolacionibus replebatur. In qua peregrinacione, amore Christi totus accensus cuidam pauperculo, nichil aliud habens, dedit capucium sui habitus, sine quo contemptus et despectus pro Christo per XX dies incessit fideliter exhortando omnes, ut timerent et amarent Creatorem celi et terre et facerent penitenciam de peccatis suis.

2. Cui Dominus, sicut Helye, semel plurimum ex itinere fatigatus iuxta viam dormisset, cum surrexit, divina providencia allatum dimidium panem ad caput (*b*) suum invenit, quo fuit corporaliter et spiritualiter confortatus, ut in magno fervore visitaret Terram sanctam.

3. Hic, cum apud Anchonam (1) civitatem moram traheret, ut non comederet ociosus suum panem, in magno vase aquam deferebat de fonte, quam offerebat pro eleemosina, quam petebat. Simile aliquando fecit scopando domos continue, aliquando colligendo olivas. Semel autem nuces ad precium nucum collegit, quas, ligatis manicis et capucio, posuit in suo habitu et in magno spiritus fervore sic nudus nuces illas dispersit et divisit platearum pauperibus (2).

4. Considerans autem beatus Franciscus perfeccionem vite sue, qua maxime Deo continue mente vacabat et in omni tribulacione gaudebat, licenciavit eum, ut libere pergeret, quo eum Spiritus duceret; quam libertatem nequaquam retinuit, consciencia remordente.

5. Misit igitur eum beatus Franciscus, VII° anno (3) conversionis sue, ad heremitorium, nomine Fabrione, in planicie Perusii; ubi, semel facta manu Domini super eum, quadam nocte orando tanta fuit consolacione repletus, ut visum est ei quasi visibiliter animam de corpore eius educi, que, in libertate posita contemplacionis divine, contemplabatur seipsam lucidissimam et quasi in specie gloriosa raptus in secreta celestia, que nulli unquam homini revelavit, licet prope mortem hunc raptum mirabilem reserandum decreverit. « Timeo, inquit, de me ipso, et ideo, si sunt revelanda, magis volo, quod per angelum revelentur, quam per me ». Et dicebat: « Beatus homo, qui scit occultare secreta Dei ».

6. Nec multo post ad eius humiliacionem in eodem heremitorio intrans cellam suam, sensit per corpus esse (*c*) angelum Sathane, cuius terrorem horribilem sustinere non valens procidit in terram cordeque supplicans Deo, quia loqui non poterat, divina, post modicum, virtute confortatus est.

(*a*) sustinebant. — (*b*) capud. — (*c*) sse.

(1) Sic cod. Lem. p. 42: *apud civitatem Anconitanam;* duo codd. *Chron. XXIV Gen.* p. 77, legunt *Anconae* sicut et Wadding, *Annales*, ad an. 1215, n. 35.

(2) Fusius hoc narratur ap. *Chr.* p. 82: minime autem ap. *Lem.*

(3) *Lem.* p. 43: sexto anno.

7. Hic, volens scire, quid sentiret beatus Franciscus de virtute humana in aspectu Sathane quantum posset, dixit ad eum: « Quomodo posset quis sustinere demonis aspectum »? Cui beatus Franciscus: « Non per dimidium « Pater noster », quin moreretur, nisi iuvaretur divina virtute »; Quod sanctus Egidius sicut (*a*) expertus asseruit verum esse.

8. Hic, cum semel esset apud Spoletum, de nocte a dyabolo sensit se corporaliter detineri, set et ipsum graviter affligebat. Cum autem aqua benedicta, que iuxta erat (fol. **5r**:), se in Domino aspersisset, discessit.

9. Anno XVIII° conversionis sue, quo anno beatus Franciscus migravit in celum, de nocte orans in loco de Cibottolo, quando ibat Cytonam, vidit in somnis (*b*) imperatorem sibi familiariter se tribuentem (1). Cum autem pervenisset ad locum de Cetona vidit in somnis (*c*) beatum Franciscum, cui dixit: « Pater, habeo tibi loqui secrete ». Post que dixit beatus Franciscus: « Stude tibi, si vis mecum loqui ».

10. In devocione autem magnus factus sanctus Egidius, tribus diebus ante nativitatem Domini, in nocte apparuit sibi, cum oraret, Dominus Ihesus cum Apostolis visibiliter et corporaliter. In qua apparicione sanctus Egidius pre nimio ardore emittebat voces immensas, non prevalens hanc tantam dulcedinem divine visionis sustinere. He (*d*) voces, audite a fratribus, eos fortiter terruerunt. Ad quem accedens quidam frater, vidensque quasi mortuum ad terram prostratum, timens nunciavit socio sancti Egidii. Qui familiariter appropinquans dixit patri: « Quid habes »? Cui ille: « Veni, fili, quem desideravi videre ». Cui secreto et in Spiritu sancto enarravit.

11. Set audite mirabile! Sequenti enim die, visitans eum predictus socius eius, invenit eum pre lacrimis et pre dolore deficientem. Quem cum moneret socius, nec cessaret, cum ex hoc faciliter posset deficere, respondit: « Quomodo non fleam, cum inimicum Dei me esse cognoscam et ipse fecit mihi tantam graciam et misericordiam »?

12. Fuit autem in tanto iubilo tribus diebus ante Domini nativitatem usque ad epiphaniam, non tamen continue, set interpolate. Et quia non poterat sustinere humanitas, cum apparebat immensa claritas, orabat ad Deum instanter, ne sibi (*e*) imponeret tantum onus, allegando quod non erat aptus pro eo quod erat homo ydiota et simplex et illitteratus. Set quanto plus reputabat se indignum, tanto plus Dominus suam graciam augmentabat. Dixitque in fine quod « Christus, sicut insufflavit in Apostolis Spiritum, sic insufflavit in me ».

13. Quadam nocte, stante sancto Egidio cum socio suo et dum de Deo multum dulcia loquerentur, subito transivit quidam splendor plane inter eos. Cum autem socius eius perquireret quid hoc esset, respondit: « Dimitte ire ». Erat enim ibi quidam vir religiosus, cui Dominus revelaverat. Parum enim antequam hoc veniret, viderat in somnis (*f*), quod, ubi cella fratris Egidii erat, ibi sol oriebatur et ad occasum vergebat. Qui postea videns fratrem Egidium novo spiritu gracie mirabiliter immutatum, dixit ei: « Porta suaviter Filium Virginis ».

14. Pro gracia igitur firmius observanda cepit plus solito oracionibus, vigiliis et ieiuniis vacare, semperque solitarius permanere (*g*); et si quando

(*a*) sicud. — (*b*) sompnis. — (*c*) sompnis. — (*d*) hee. — (*e*) sibi ut. — (*f*) sompnis. — (*g*) permanens.

(1) Forsan haec visio dedit originem illi apocryphae narrationi, quam vulgarunt *Actus b. Francisci*, cap. 46. *ed.* Sabatier p. 143-5. et *Chr.* p. 90-1: *De revelatione facta in cordibus S. Aegidii et S. Ludovici regis.*

aliquis vellet sibi de alio aliquid reportare, dicebat: « Vide, quia nolo scire peccatum alterius ». Unde monebat quandoque fratrem dicendo: « Cave, ne videas aliquid contrarium, nisi usque ad bonum tuum ».

15. Unde ex hoc suo sancto studio tantum sibi Dominus graciam augmentavit, quod semper, quando aliquis secum tractavit de Dei gloria et dulcedine Domini, statim rapiebatur in spiritu et sic per magnum spacium diei et noctis similiter immobiliter perma-(fol. **5v**:) nens non loquebatur, nec se movebat.

16. Commendavit sanctus Egidius locum de Cetona (*a*) ita, ut illi nullum preferret, dicens quod ad ipsum deberet homo accedere cum maiori reverencia quam ad sanctum Angelum vel ad sanctum Petrum vel aliquem citramarinum, sicut (*b*) maior est dominus servo, et sicut (*c*) Christus maior aliis sanctis. Cumque socius diceret: « Magnum fuit quod accidit Alverne sancto Francisco de Seraph », respondit: « Fili, non est aliquid creatura in comparacione Creatoris ».

17. De predicta Christi apparicione in loco (*d*) sibi facta de Citona pluries locutus est, licet non aperte, timens divina pandere sacramenta. In persona eciam alterius de se quandoque dicebat, tanquam sibi contigisse huiusmodi visionem.

18. Cum sanctus Egidius appropinquaret morti, qua post laborem multum et certamen coronam glorie recepturus erat, cepit dyabolus acrius eum impugnare. Nam, cum quadam nocte post longam oracionem vellet quiescere, cepit eum demon et in tam arcto (*e*) loco celle constrinxit, quod se movere non poterat. Cuius anxietatem et pugnam senciens eius socius, frater Gracianus, eciam a remotis appropinquans celle sancti, cepit cogitare: « Accede propius et, si in oracione fuerit, orare permittes; si autem aliud sit, videbis (*f*) ».

19. Ergo cognoscens eum anxiari, dixit: « Quid habes, pater »? At ipse: « Veni, fili ». Cui, cum hostium non posset aperire, dixit sanctus Egidius: « Impinge fortiter, nam ego sum ab hostibus appodiatus hostio, nec surgere possum ». Qui 2° fortiter impingens intravit. Cumque niteretur erigere ipsum, non potuit. Cui dixit (*g*) sanctus Egidius: « Dimittamus in manu Domini ». Set post aliquandiu iterum iuvit eum et extraxit eum de illo arcto (*h*) loco.

20. Cui post aliquantulum dixit (*i*) socius: « Pater, quare hoc fecisti? Cur non vocabas me? Qualem conscienciam habere posses, si sic mortuus fuisses? Nam tibi et nobis reprehensibile fuisset ». Cui sanctus Egidius: « Quid tibi, o bone fili, si sit vindicta de inimicis meis »? Cui ille: « Quare dyabolus sic adversatur beneficiis Dei? nam si semel vel bis vel ter vel quater, hoc esset supportabile, sed semper hoc nititur ». Cui sanctus Egidius: « Scito pro firmo quod quanto plus nititur me molestare, ipsum magis inferius descensurum, quia resistit Deo ». Et addidit: « Non est mirum, si demon tantum persequitur peccatorem, cum sciat ipsum de peccato natum et conceptum, et quia videt illum ascendere (*l*) ad illum locum, unde cecidit ipse ».

21. Tantum autem illum demon persequebatur, ut socio suo in sero abscedenti in cellam diceret: « Hac nocte expecto martirium (*m*) ».

22. Postquam beatus Egidius rediit de ultra mare, quo iverat flagrans ardore martyrii, postquam meruit ascendere ad culmen contemplacionis, dixit: « Ego nollem mortuus fuisse martyr ». Et cuidam fratri dicenti

(*a*) Cetena. — (*b*) sicud. — (*c*) sicud. — (*d*) *add.* facta. — (*e*) arto. — (*f*) videris. — (*g*) dicit. — (*h*) arto. — (*i*) dixisset. — (*l*) descendere. — (*m*) *post corr.*

sibi beatum Franciscum dixisse, quod servus Dei semper debet mori desiderare pro Christo per martirium, dixit: « Ego nolo (*a*) alia morte (fol. **6**r:) quam de contemplacione mori ».

23. Cum sanctus Egidius magis appropinquaret morti, revertenti semel a cella dixit cuidam socio suo cum gaudio indicibili: « Fili, quid modo tibi, quod hoc sit? Ego siquidem inveni thesaurum tam magnum et tam lucidissimum, quem non potest exprimere lingua carnis; sed (*b*) ego illum devasto, fili, ego devasto. Si benedicaris a Deo, quid tibi videtur »? Et hoc ipsum sepius iteravit in magno spiritus fervore. Cui cum ille frater diceret: « Pater, veni, sume cibum », dixit: « Hic est optimus cibus, fili mi ». Et ille quasi ipsum tentando (*c*) dixit: « In talibus non est curandum, sed (*d*) veni, pater, comedas ». Tunc ille, non leniter ferens, ait: « Non bene dixisti, frater; pocius vellem, quod mihi dedisses alapam, ita ut sanguis exiret ». Credendum est, quod illa sancta anima Dilectum iam sensit velle perficere votum suum, felici iam morte imminente.

24. In festo igitur sancti Georgii eius felicissima anima migravit ad Christum; quam vidit quedam sancta persona per visionem, quod Christus cum multitudine angelorum et animarum sanctarum sibi occurrendo suscepit in aera, antequam celum ascenderet, facto gaudio et leticia cum cantico angelorum, ad quorum consorcium nos conducat Christus filius Dei, amen.

Expliciunt (*e*) aliqua dicta de vita sancti fratris Egidii, quarti socii sancti Francisci, excepta de multis dictis fratris Leonis.

Burdigalae (Bordeaux) 29 Dec. 1907.

P. FERDINANDUS M^a AB ARAULES, O. F. M.

(*a*) volo. — (*b*) set. — (*c*) temptando. — (*d*) set. — (*e*) explicit.

UNA "VITA„ INEDITA DI S. LUDOVICO D'ANGIÒ

Alcuni anni addietro, occupandomi d'una monografia su la chiesa e convento di s. Pietro *ad Aram* in Napoli (1), trovai nel codice Ottoboniano 2516 un *fragmentum vite sancti Ludovici franciscani Tolosani archiepiscopi,* e che trascrissi con animo di pubblicarlo nella ricorrenza del sesto centenario di s. Ludovico.

Richiesto intanto il parere del rever. P. Odoardo d'Alençon O. M. Cap., questi mi passò gentilmente quattro fascicoli a stampa della *Vita sancti Ludovici* scritta da Giovanni da Orta, nella cui critica nuova edizione aveva appunto inserito quanto rimaneva del X, e tutto l'XI e XII capitolo dello stesso codice Ottoboniano. Il dotto Cappuccino aveva dato inoltre l'intestazione del capitolo XIII, *De miraculis;* ritrovandosi gli stessi miracoli nella bolla di canonizzazione e in altre biologie del Santo.

Decisi allora di pubblicarne una *vita* contenuta nel codice Barberiniano XIV, 86 (2), ma mi dovetti accorgere che il testo Barberiniano, al pari del frammentario Ottoboniano derivavano dalla stessa fonte, cioè dalla vita del da Orta, e così l'altra, che a un certo punto più se ne discosta per la forma, esistente nella Nazionale di Parigi (3); la cui copia mi fu del pari gentilmente esibita dal d'Alençon su lodato.

Quale intanto il testo genuino? È fuor di dubbio, che l'Ottoboniano non sia originale, come si mostra dalle molte correzioni e dalla forma di scrittura del tempo.

A voler giudicare dallo stile, dall'uso frequente della *s* invece della *c,* dai cognomi e patria di coloro che ottennero grazia miraco-

(1) A base della *Relatio... de statu abetie s. Petri de Arano (sic)* compresa nelle cc. 39-49 dell'indicato codice miscellaneo Ottoboniano, e da me illustrata con molte notizie di opere a stampa, insieme con altri documenti da me raccolti nell'archivio Vaticano e in quello napoletano di Stato. Il mio manoscritto fu poi ridotto dal prof. De Blasis e n'uscì l'articolo « La chiesa e badia di S. Pietro ad Aram » in *Arch. stor. delle Prov. Napolet.* an. 1895 pagg. 236-50.

(2) Membranac. in-fol. sec. XIV. Al 2° foglio v° dopo il catalogo de' Santi si nota « Vitae Sanctorum CCLVII exaratae a Petro Kalo Clugiensi, de quo ait Antonius Senensis in sua *Bibliotheca:* « leggendarium quoque Sanctorum conflasse non tam eorum qui sunt in Ecclesia celebres, sed etiam eorum quorum vix regulariter notitia habetur. Claruit anno 1310. Huius meminere Guesnerus, Possevinus et Georgius Micelius ». — Il cod., come pure è notato dall'amanuense in fine del volume, apparteneva al Cardinal Matteo Orsini, morto nel 1345. — Il seguente cod. XIV, 87, comprende la seconda parte dell'opera. — Questi due volumi sarebbero l'esemplare del leggendario, che al riferire di Leandro Alberti, si conservava nella biblioteca de' PP. Domenicani di Bologna? — Di Pietro Calò oppure Caloto da Chioggia e della sua agiografia, si parla spesso nella cit. op. de' Bollandisti, e, al caso nostro, nel t. III, del mese d'Agosto, p. 14, p. 781 e seg. in Echard, *De Script. O. P.* t. I. p. 511. — La *Vita s. Lud. episc. Tolos.* di Gio. da Orta da Trani, pertanto si trova edita in *Analect. Bollandian.* (Paris et Bruxell.) t. IX, (an. 1890) pagg. 281-353.

(3) Ms. lat. 5376.

losa e da altri dati caratteristici, lo scrittore sembra francese e familiare del santo. Ciò indurrebbe ad un confronto con il codice della biblioteca de' Minori in Lovanio, d'onde il Sedulio trasse e modificò la vita di s. Ludovico (1); perchè vi è detto: *Ipsius gesta... aliqua quae partim in eius domo et societate existens, oculata fide perspexi, partim a quibusdam viris fide dignis auditu percepi.*

Data la contemporaneità dell'agiografo domenicano Pietro Calò, (compilatore del cod. Barberiniano), potrebbe egli sembrare il primo autore della *Vita S. Ludovici;* ma la domestichezza e familiarità con il Santo, viene esclusa dal diverso Ordine a cui apparteneva l'uno e l'altro.

Inoltre, lo stesso compilatore avendo solo redatto un compendio, e l'anonimo del codice Ottoboniano variata la lezione della *Vita del Santo,* dimostrano, al pari di Paolino da Pozzuoli, che tutti hanno attinto alla primigenia fonte del da Orta.

L'anonimo poi del cod. Parigino, agli altri posteriore, attenendosi in sostanza al soggetto, si prende maggior libertà di forma: e amplifica rettoricamente fino a tutto l'VIII capitolo; lasciando i seguenti, forse inalterati, d'un testo genuino più prossimo all'Ottoboniano e da lui trascritti.

Ciò premesso, mi son dovuto ridurre alla semplice pubblicazione del compendio predetto; edite ormai le due *Vite,* di fr. Paolino da Pazzuoli e di fr. Giovanni da Orta, e stampata quella del codice di Parigi. — Avevo intenzione di dare in appendice anche l'ultimo capitolo de' *miracula* dello stesso cod. Ottobon., ma d'inedito non ne rimaneva che qualche variante e qualche branno omesso, di fronte al pubblicato nelle due vite di detti Francescani: e quindi me ne sono, in parte, astenuto.

La tarda pubblicazione intanto di questo scritto, in cui non può parere ombra di vanità storica o letteraria, risponde ad un umile sentimento doveroso e pio verso il santo vescovo di Tolosa.

Nobile figura di Principe, di Pastore e di religioso osservante, ei nasceva, ormai decorsi cinque anni, da quando il suo prozio Luigi IX di Francia, ravvolto nella gramaglia del Crociato, spirava l'anima eroica tra le rovine di Cartagine; ereditando l'istesso nome che doveva un'altra volta salire agli onori dell'altare (2). E fu somma Provvidenza, che risplendesse di pura luce l'astro de Capetingi e di novel candore il fiordaliso, già grondante sangue di oppressi e d'innocenti al di là e al di qua dal Faro.

(4) *Hist. Seraphica etc.* Antuerp. 1613, pagg. 295-330. « Vit. S. Lud. ep. Tolos. » (Cfr. *Gallia Christ.* t. XIII, coll. 32-35).

(2) *Luigi* in italiano è l'eufonico di *Ludowic* o *Ludwig* (Chlodwig) tedesco. Oltre le descritte biografie contemporanee del Santo, chi ami altre fonti, puo consultare:

a) Acta SS. t. III, mens aug. pagg. 725-822 sub die 19 aug. — *b) Anal. Bolland.* cit. in t. XI, 350; XIV, 31, 42, 54; XV, 445; XX, 231. — *c) Oriente Serafico,* an. VI. n. 8. (1894). — *d) Biographie Toulousaine,* ou *Diction. histor. des person. célèbr. de la ville de Toulouse.* Par. 1823. — *e) Rerum Gallic. et Francic. Script.* t. XXI, p. 753 etc. Le recenti *Vite* in volgare, del Santo, hanno poi reso popolare il nome di S. Ludovico d'Angiò presso ogni nazione.

Ostaggio di Giacomo d'Aragona nel castello di Ciurana, insieme col suo fratello Roberto, fin dal 29 ottobre del 1288, forse il buon giovinetto avrà ripensato Castel dell'Uovo e l'imperiale Corradino e il bel tempio del Carmine di Napoli, eretto a riposo del figlio decollato della desolata Elisabetta di Baviera. Tutta una serie triste e pietosa istoria che, a quei giorni, l'animosità e ardente immaginazione catalana sapeva rappresentare con forti tinte ai figli di Carlo Zoppo, in cui vece stavano prigionieri.

Ora il mite Ludovico dovè pure contrapporre alle colpe dell'avo Carlo I le virtù del santo Monarca, che gli accendevano l'anima ingenua e verginale.

Chi più sublime de' due Luigi?

L'uno, nella sola porpora, re, personifica il padre, il legislatore, il difensore dell'amato popolo di Francia: sia ch'ei renda pubbliche udienze sotto la quercia di Vincennes; sia che bello e terribile, come un Arcangelo, combatta sul ponte Taillebourg, ovvero alla Massoure.

L'altro, al contrario, si spoglia addirittura del reale ammanto e di duplice scettro fa croce: mentre su Lui — secondogenito del Re delle Due Sicilie — ricadevano tutti i diritti così di quel regno che del regno d'Ungheria, per l'immatura morte di Carlo Martello, l'amico di Dante (1), l'amico che divinamente gli ragiona nel cielo di Venere:

Assai m'amasti, ed avesti ben onde;
Chè s'io fossi giù stato, io ti mostrava
Di mio amor più oltre che le fronde.
Quella sinistra riva che si lava
Di Rodano, poi ch'è mista con Sorga,
Per suo signore a tempo m'aspettava;
E quel corno d'Ausonia, che s'imborga
Di Bari, di Gaeta e di Crotona,
Da ove Tronto e Verde in mare sgorga;
Fulgeami già in fronte la corona
Di quella terra che il Danubio riga
Poi che le ripe Tedesche abbandona;
E la bella Trinacria che caliga
. . . . (Par. VIII.).

Codesto, di Ludovico, fu veramente *gran rifiuto;* e che la storia dovrebbe registrare a lettere d'oro nelle sue pagini immortali: se il nome del Minorita angioino figuri appena nei manuali genealogici delle scuole. Ma quell'atto sovrumano meritava ben altra sanzione e non poteva meglio esser celebrato, nè trovar luogo più glorioso che la vetta Capitolina. Nell'*Aracoeli,* nel tempio inalzato sopra le defunte deità pagane, conseguiva Ludovico gli onori d'un trionfo cui non sarebbero mai stati in grado di raggiungere i Cesari e gli Augusti vincitori del soggiogato mondo, ma non di sè stessi e delle vanità terrene. Colà

(1) Interessante lo studio di M. SCHIPA, su *Carlo Martello,* in *Arch. St. per le Prov. Napol.* an. 1889-90.

rinunziava Ludovico, formalmente, a due troni professando la regola del Poverello d'Assisi, proprio alla vigilia della Natività del Signore, dell'anno 1296.

Nel qual giorno, Bonifacio Papa lui nominava alla sede vescovile di Tolosa: realizzando il desiderio del predecessore Celestino V, che per avere inteso delle virtù celestiali del giovine Principe tuttora ostaggio in Catalogna, l'ebbe preconizzato vescovo di Lione; mentre faceva al medesimo conferire gli ordini minori, o sia la prima tonsura, da Francesco de Apta ch'era stato delegato dal Papa, previa la rinunzia (e fu la prima e semplice) ad ogni eventuale successione al trono (1).

Or quando il giovine Principe avea creduto di ecclissarsi al mondo, per poter meglio conversare con Dio nella pace del chiostro, si vide di bel nuovo cangiar lo scettro in pastorale ed il diadema nell'infula sacra. Nè valsero preghiere o rimostranze: l'obbedienza dovè prevalere su l'umiltà di Ludovico, che non si sentiva capace di reggere una vastissima diocesi, da soli otto mesi divisa con la fondazione della sede vescovile di Pamiers (1). Rimaneva dunque Tolosa il capo-luogo della primitiva diocesi, la quale abbracciava presso che tutto il moderno circondario dell'alta Garonna: tal che Giovanni XXII nel primo anno del suo pontificato (1316-17), avendo eretta la sede Tolosana in metropoli, formò dell'antica quattro vescovati, suffraganei, e poco dopo, (ai 26 Settembre del 1317), ve ne aggiunse altri due (2).

In territorio così esteso, gli scandali e l'eresie avevano trovato sempre largo campo alla mala sementa: di modo che debole ritegno a mantenervi la fede erano stati gl'Inquisitori apostolici e gli stessi Crociati con le armi.

A tanta prova era pur anco riservato il giovine Ludovico, che pur dopo la consacrazione episcopale conferitagli dal Papa medesimo, dispensandolo dall'indossare il rozzo saio del Minorita; nel giorno di s. Anna, se ne volle rivestire, alla presenza de' Cardinali Matteo d'Aquasparta e Giovanni d'Anagni. Sotto quel saio Ei si sentiva rinfrancato, come protetto da usbergo adamantino contro gli assalti del nemico dell'uomo: e sotto quel saio, toltosi le spoglie pontificali, discende, a piedi scalzi, il colle del Campidoglio, per andarne al Vaticano.

Ond'esclama il papa Gio. XXII. nella Bolla o Enciclica della santificazione: *Miranda res et alias insueta! vir namque virtutum positus in sublimi iuri primogeniture renuntiavit et regno, regalis solii spreta pompa* etc.

---

(1) Le due Bolle del 7 e 9 Ott. 1294 in Reg. Vatic. 46 A, n. 13 e n. 14. In CANTERA B. Cenni stor. biogr. risg. S. P. Celestino (Nap. 1892) p. 105. La Bolla di Bon. VIII in *Reg. Vat. lib.* 7. n. 630; in FAUCON M. e THOMAS A. *Les Reg. de Bonif.* etc. n. 1521, in data 30 Dec. 1296.

(2) Bonifacio VIII, fondò la sede episcopale di Pamiers ai 23 Luglio del 1295; a' 15 Decembre, medesimo anno, se ne stabilirono i confini; e al 18 Aprile del seguente anno la diocesi era costituita.

Cfr. le Bolle in VIDAL Jo. M. *Documents sur les orig. de la prov. Ecclesiast. de Toulouse* 1296-1317). Rome 1901, pag. doc. I-III, e THOMAS, *Les Reg. de Bonif. VIII.* (Paris 1885) nn. 411-412 quater.

Traversa incognito le vie dell' Urbe cosparse di ruderi immani, ma bello e dal gentile aspetto, si tradisce agli sguardi d'un volgo superbo, pronto alle armi di duellanti signori, e che sembra ammansirsi al suo passaggio: laddove trepide madri traggono dalla soave figura del cordigliere lieti auspicii su dei loro pargoletti. E, astratto ne' suoi santi pensieri, Ludovico andava ripensando la Roma dei Martiri contaminata dal sangue immondo di facinorosi cittadini, e nell' entrar che fece alla Curia papale, tutta una lugubre visione si affacciò alla sua mente divinatrice. Chè in seno stesso al sacro Collegio si covavano ire di partito preludenti all' infame attentato d'Alagna dov' entrò il fiordaliso; mentre un rombo di guerra si era ripercosso dall' Isola dei Vespri, datasi a Federigo d' Aragona; non volendo essa più saperne di Francigeni, nè di vassallaggio a santa Chiesa.

— Pace, o Dio umanato, or che pace e giustizia si baciano alla tua culla. Accogli l' inno del beato padre Francesco, a cui fanno eco uomini ed angeli e tutti animali, ed ogni creatura: dal fratello sole al più picciolo astro, dal mare oceano al più timido ruscelletto, dal lione all' augellino, dal cedro all' isopo; e tutto l' universo unito nel vincolo d' amore. Pace, o Dio di perdono! —

Simili sentimenti dovevano traboccare dall' anima eletta di Ludovico, che nel breve giro de' suoi anni avea raggiunto l' ultimo grado della virtù cristiana. Onde qual fiore apparso in terra a miracol mostrare, fu dall' Angelo della morte trapiantato in Paradiso.

Cod. Barberin. XIV, 87. (lat. 714, ff. 89-96).

Ludovicus puer annorum 12 (1) pro illustri viro domino Karolo in Cathelonia obses [fuit], cui astiterunt usque ad mortem fratres Minores a quibus adolescens bone indolis sumpsit legem vite et discipline. Factus autem annorum XVI cepit, census mundique contemptor, ad celestia anhelare, et iuri paterne hereditatis et regie renuntiare; cupiens per expressum votum, se Domino obligavit, cum liber esset, ordinem Minorum intrare. Interim per confessorem suum pater ei suadet ut sororem regis Francie (2) accipiat in uxorem, spondens illi continuo dare Provinciam. Horret sanctus iuvenis virginali proposito contrariam suadelam, et in die sancto Pentecostes capellam intrans, solus, votum castitatis emisit (3). Cum vero ad an-

(1) Nato nel 1274 a Brignolles, in Provenza, ivi ancora morì nel 19 Agosto del 1297, nella fiorente età di 23 anni e mezzo. (Riguardo alla controversia su la nascita v. il Wadding *Ann. O. M.* ad an. 1274 n. 4). Nel suo testamento — vera *carta di povertà* — il Santo assegna certa somma per la costruzione d' una cappella ad onore di S. Lorenzo martire, nella chiesa di S. Chiara in Assisi. Del cui ordine furono le beate Cunegonda e Iolanda sorelle di Maria madre del Santo e sorelle di Stefano IV d' Ungheria: tutte di quella reggia che andava ormai orgogliosa della sua gemma, la terziaria santa Elisabetta.

(2) Invece, Iolanda, sorella del Re di Argona.

(3) Al primo Ottobre del 1295, Ludovico ottenne la libertà e la prima tonsura in Catalogna, il giorno stesso che seguì pace tra Carlo II e Giacomo di Aragona; il quale sposò Bianca figlia dell' emulo Angioino, un mese dopo (1° Novembre) in Beltrano. Ai 18 poi di Decembre, del seguente anno, il regal giovine si trovava in Roma assieme col padre e col fratello, (in cui favore rinunziò), e in Roma ricevette gli ordini minori.

num 21ᵐ pervenisset libertati donatur et statim Ordinem Narbone intrasset, set non erat qui recipiendi facultatem haberet; invento autem in Monte Pesulano provinciali ministro, ad Ordinem recipi instanter petiit; sed minister regiam excellenciam metuens, recusavit. Qui non abiens retrorsum sed ad anteriora extendens se, votum iteravit in manu dicti provincialis ministri, solemniter promittens se semper paratum intrare, et dicens: « vos videritis quod facere debeatis; quod meum est feci ». Volebat autem intrare ordinem illum, ut postea retulit, ubi penitus esset ignotus, ubi cum contemplativa vita (1) exercere posset humilitatis obsequia, scopare domos, lavare paropsides et similia. Frequenter dixit post suam liberationem, quod bene et quiete sibi fuerat in castro de Suirana, et quod nunquam fastiditus fuit in castro illo, licet inibi fuisset 7 annis detentus, percipiens illud Psalm. *Cum ipso sum in tribulatione, dilatasti mihi.* Postea subdyaconus ordinatus, vasis aureis et argentis uti noluit nec pellibus variis griseisque; sed nec alio animali quam mulo vehi sustinuit. Persuasus quoque, quod in pontificali dignitate plura bona posset facere, non adcquiescebat; sed et coacte susceptam, stimulantibus temporalibus curis, in manibus summi Pontificis resignavit; allegans rationes quas potuit. Cumque super hoc argueretur a sociis improperantibus, quod fatue fecisset, respondit quod libenter volebat a summo Pontifice fatuus reputari, ut eum a pontificali honore liberaret, unique sociorum quasi indignando dixit: *vos fecistis quod essem episcopus.* Et dicebat interdum quod mallet in Provincia esse presul, quia posset ibi melius errata corrigere, malos punire, populos informare. Exemptionem suadentibus respondebat verbum beati Bernardi, quod *angeli non desiderabant non subesse archangelis,* et in infirmitate quas misit super hoc litteras, urgentibus consiliariis, mandavit districtius revocari (2).

Ante mortem suam per menses duos cum socio solo, quasi unus frater Minor, per montes Pyreneos ad sua repeditans ait: *O si possemus fugere in terram longinquam!* Qui respondit, hoc sibi non fore possibile cum esset episcopus; sed celerem postea mortem advertens, eius desiderium intellexit esse completum, quo obiit viam longissimam, et sacculum pecunie secum tulit quam pauperibus dedit. Hunc mundi contemptum et amplexum celestium cum adhuc esset in captivitate amplexus est, ubi tanto Dei timore repletus est, tam Dei formidabat offensam, ut aliquando diceret, gratum sibi fore si per castri rupem precipitaretur, quia vita ista nullo modo est appetenda ubi sumus inimici Dei et frequenter peccamus, saltem venialiter. Contemplabat frequenter ymagines et formas hominum mortuorum, ut ad se ipsum et mundum contempnendum amplius cor firmaret. Quicquid illi pro anime salute utile videbatur studuit adimplere, non rei tactus pudore, non territus difficultate, non carorum offensa remissus. Magis autem verbum Gregorii allegabat: *Quos proximos novimus*

(1) Il testo *contemplativam vitam,* e così ricorrono altri errori che io correggerò senz' altra avvertenza.

(2) Consiglieri principali, Giacomo Duèse, già suo precettore alla corte di Carlo II, poi vescovo di Frejus e d'Avignone e che divenne papa Giovanni XXII; fr. Guglielmo da Falgario e l'inglese Riccardo de Middleton *alias de Mediavilla,* celebri dottori.

diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Per odium enim diligitur qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit non auditur.

Ut esset de numero sequentium agnum et cantantium canticum novum, non solum renes suos cinxit zona pellicea cum Iohanne, sed etiam cum Christo zona aurea cor restrinxit, quia et austeritate vite carnem afflixit et cum oculis suis pepigit fedus ne de virgine cogitaret. Illi nunquam mulier familiaris fuit; servande pudicitie invigilavit continue, tanta honestate fulgebat ut et familiaribus et militibus qui illi aderant in dicta pena, comedendi in terra sine mappa prohiberet, que mores corrumpunt colloquia inhonesta. Familiarem locutionem nunquam admittebat; vel raro, nisi persone mature, honeste, humiles et devote. Talium puritate delectatus, illud sepius preferebat: *Et cum simplicibus sermocinacio eius.* Denique ut mentis puritatem integre servaret, frequenter conscienciam purgabat scopa confessionis, et ut corporei nitoris certum testimonium exhiberet, fratres Minores semper secum habebat in camera ibi iacentes, illius secreta noscentes, illi in omnibus ministrantes, nec secularem quemque ibi de nocte iacere aliqualiter passus est. Cogebat carnem suam servire spiritui, cordam semper portabat ad carnem; factus subdyaconus staminiam asperam addidit, nec, rogatus, usque ad mortem dimisit. Ante quam fratrum Minorum induceret (1) habitum, iacebat indutus continue; vigilias omnes beatissime Virginis ieiunabat in pane et aqua. Aliorum Sanctorum vigilias et adventum Domini tam stricto observabat ieiunio, ut etiam in itinere et corporis ansietate positus, illa nequaquam solveret. Semel dum equitaret per Franciam, beati Marci vigiliam, licet debilis et contradicentibus sociis, omnino voluit ieiunare. In vigilia quoque beati Iohannis, multo labore afflictus propter laboriosum transitum montis Pyrenei (2), nec medici iussu, nec fratrum inductionibus ad capiendum vespertinum cibum potuit suaderi. In cibo et potu tantum erat parcus ut familiares sui abstinencie eius paverent excessum. Iacens, culcitra vel lecto de pluma uti nolebat. Per manus fratris disciplinas suscipiebat frequencius et secrete. Ad capellam beate Virginis visitandam, que in montem qui sanctus dicitur sita est, per duas leucas peditando accessit.

Tempus vite sue prudentissime dispensabat; pro magna parte temporis oracioni et lectioni vacabat, et aiebat, ab una ad alteram transeundum. Crebras orationes habebat et quasi iaculatas, sicut fratres in Egypto. Ad comestionem vocatus, cum Iob ante quam comederet suspirabat, prius vel modicum orare volens. De sero autem tam diu orationem continuabat

(1) Lege *indueret*.

13. A tous ceulz qui ces presentes lettres verront, les maire et eschevins de la ville et cité d'Amiens, salut. Comme nobles personnes monseigneur Philippe, seigneur de Saveuses, chappitaine de ladite ville d'Amiens, et madame Marie de Lulli, sa femme, ayent nagaire obtenu bulles de notre saint père le pappe par lesquelles, en obtemperant à leur requeste et supplication, considerant la fervente devocion qu'ilz avoient à l'ordre et religion de madame Sainte Clare, il leur ait otroié que, à la loenge de Dieu et de ladite religion, ilz peussent des biens que Dieu leur avoit prestez, fere et edeffier ung monastere avec l'eglise, cloquier, le cloque, cloistre, chymentiere, gardins, et autres choses necessaires pour l'usage d'habitacion des religieuses dudit ordre, fust es evesquiez d'Amiens ou Arras, en lieu et place ydoine et honneste, lesquelz seigneur et dame de Saveuses ayent, pour fere edeffier ledit monastère, acheté une maison, gardin, pourprins, tenement appartenances et appendances contenant ung journel et XXIIII verges de terre seans en ladite ville d'Amiens, en le cauchie au blé, en le Saint Soupplis, au devant de l'hospital Saint Jaque, tenant, d'une part, à le maison Jehan du Liedon (1), d'autre part, à le maison Robert de Blangy, par dèrriere, au cours de la rivière de Somme et, par devant, sur froc de rue, ouquel lieu pourprins et tenement ilz ayent fait faire et edeffier ledit monastere, le clorre de murs et y fait plusieurs notables edeffices pour y faire le service divin et y habiter, demourer, tant les frères comme les seurs religieux dudit ordre, et, meismes, ayent iceulz seigneur et dame obtenu lettres du roy notre seigneur seellez de son grant seel en las de soye et chire verd, pour icellui monastère admortir, avec autres lettres missibles d'icellui seigneur, de la royne, de nostre très redoubté seigneur monseigneur le duc de Bourgogne et de madame la ducesse (2), signées de leurs mains, à nous adrechans, contenant en effect que ausdits religieux et religieuses nous ne baillissons quelque empeschement, mais vaulsissons souffrir ledit monastère entierement edeffier, et lesdits religieux et religieuses traittier doucement et charitablement comme es dites lettres est plus à plain contenu.

(1) Superius, nomen hoc apparet sub forma « du Bedon ». Conicere licet « du Liedon » esse formam accuratiorem.

(2) Litterae D. Ducissae Burgundiae in registris omissae sunt.

Depuis lesquelles lettres ainsi obtenues, lesdits seigneurs et dame nous ayent plusieurs fois requis et fait requerre que nous vaulsissons consentir ledit admortissement, et que lesdits religieux et religieuses peussent tenir et possesser ledit monastere, ainsi et par la maniere que les Cordeliers de ladite ville tiennent et possessent leur eglise et pourprins, et iceulz seigneur et dame estoient contens de nous restimer de l'interest que porrions avoir et demander à cause et pour raison dudit amortissement fust de XXIIII sous, XXVIII sous de cens ou autre somme raisonnable, sur quoy nous nous soyons assemblez plusieurs fois en notre eschevinage pour sur ce avoir advis et conseil, savoir faisons que nous quy de tous noz cuers desirons l'augmentacion du service divin et ladite ville estre habitée de bonnes et religieuses personnes qui devotement prient Dieu pour le roy notre dit seigneur la royne, leur noble lingnie, pour notre dit seigneur le duc et madame la ducesse pour le bon estat du royaume et le bien et la tranquilité de ladite ville et des habitant d'icelle, et nous inclinans à ladite requeste desdits seigneur et dame de Saveuse ausquelz nous voulons tousjours faire plaisir, avons volu, consenti et accordé, voulons, consentons et accordons par ces presentes, s'il plaist au Roy notre Seigneur, et à notredit seigneur le duc, que lesdits religieux et religieuses joyssent et possessent paisiblement et perpetuellement de tout ledit lieu, pourprins, monastere et edeffices quelzconques, comme il se comporte et estend, ainsi qu'il leur plaira, soubz les condicions qui s'ensuient: C'est assavoir que en tout ledit pourprins n'ara immunité ne franchise aucune, fors tant seulement ou corps de l'eglise, ou cloistre, chappitre, chymentiere, dortoir, refrecttoir et enfermerie, tant desdits religieux comme desdites religieuses, et aussi en toute la closture des murs ou sont comprins les edefficss, habitacions et gardins dicelles religieuses, et en tout le sourplus aurons justice et seignourie comme nous avons ailleurs en ladite ville, pourveu que lesdits seigneurs et dame de Saveuse, pour notre dit interest, assigneront souffissamment de leurs despens au prouffit de ladite ville la somme de quarante solz parisis de rente heritable chacun an sur bons et souffisans aboux en icelle ville, et aussi que lesdits religieux et religieuses poiront jamais acroistre ledit lieu et pourprins neant plus qu'il est à present, acheter, faire acheter, ne adjoindre à icellui aucuns maisons, lieux, gardins ou tenemens se n'est de notre accord et consentement, et qu'ilz soient à nous sailsables et justichables; et tout ce seront lesdits seigneur et dame de Saveuse tenus de nous fere avoir à leurs dits despens, lettres du roy notre dit seigneur et de notre dit seigneur le duc, par lespelles ilz confermeront les choses dessus dites et dudit lieu pourprins et tenement nous tenront quittes et deschargiez à tousjours. En tesmoing de ce nous avons mis notre seel aux causes à ces presentes lettres données à Amiens le IIII$^{e me}$ jour du mois de mars l'an mil CCCC et quarante trois [1444]. — Ainsi signé Machy.

Die 3 Septembris 1907.

P. Antonius a Sérent, O. F. M.

CODICOGRAPHIA

DESCRIPTIO NONNULLORUM CODICUM MSS.

QUIBUS INSUNT LIBELLI

"SPECULUM PERFECTIONIS„ ET "ACTUS B. FRANCISCI„ (1).

Quam prisci quondam Bollandiani socii post illustrem Heribertum Rosweydum saeculo potissimum XVII praeclaram collocaverunt operam in meditanda S. Francisci Assisiensis vita, non solum saeculo XVIII successores, praesertim Constantinus Suyskens, magno quidem usurpati sunt emolumento — quod ipsi non semel sunt confessi — sed etiam hac aetate viri eruditi grato animo lucri fecerunt. Inter quos eminet cl. vir Paulus Sabatier, qui pro singulari sua in sanctum Dei Pauperculum veneratione, summaque in re Franciscana qua pollet eruditione atque diligentia, vetera Bollandi sociorum instrumenta excussit, illustravit, edidit.

Fugit tamen virum doctum, nescio quo casu, princeps illud volumen, in quo veteres Bollandi sodales operosi laboris fructus congesserunt, codex inquam Bibliothecae Regiae Bruxellensis n. 7771-2, quem magna fortuna protulit inclytus ille Bollandi successor, Adm. Rev. P. Franciscus Van Ortroy (2). Huic namque codici inest non solum fidele apographum codicis ms. Lovaniensis anno 1454 exarati, nunc vero deperditi, sed et in margine adscriptae inveniuntur lectiones variae innumerae, quibus a textu codicis Lovaniensis aberrarunt codices mss. Antverpiensis an. 1472 et Bruxellensis an. 1549, quos hodie itidem perditos lugemus, et insuper lectiones *Speculi Vitae* tam ed. Metensis an. 1509, quam editionis a Phil. Bosquier, O. F. M. olim curatae (Coloniae 1623). Quae omnia prisci Bollandi successores ingenti congesserunt labore atque diligentia.

Cum autem aliquot abhinc annis consilium iniissem describendi codices franciscanos, quos in patrio potissimum solo (Pays-Bas) esset

(1) Prolixa haec lucubratio a RR. PP. Bollandianis Sociis benigne adoptata erat pro egregio eorum folio *Analecta Bollandiana*, ubi in primo fasciculo tomi XXVII (1908) erat prodiitura. Interim tamen novo hoc Ordinis Franciscani instituto folio, Patres Bollandiani pro praecipua eorum liberalitate permiserunt, ut haec eadem lucubratio, etsi ab eisdem prelo iam parata, transferretur ad *Archivum Franciscanum Historicum*.

(2) Cf. *Analecta Bollandiana*, t. XIX (1900), p. 119-20.

reperire, post codices patria lingua — quam « teutonicalem » olim appellabant — summatim descriptos (1), animum ad latina adverti volumina, ea praecipue quibus insunt libelli qui *Speculum perfectionis* et *Actus B. Francisci* inscribuntur. Quos cum diligenter inspiciebam, in id praesertim convertebatur animi attentio, libellos istos non solo capitulorum ordine, sed et ipso verborum contextu maximam offerre varietatem, minorem in *Speculo perfectionis*, maiorem in *Actibus B. Francisci*. Quibus permotus in eam sensim deveniebam sententiam, diligentes illas inquisitiones, quas nostra aetate viri in hoc litterarum genere periti habuerunt de codicum franciscanorum origine, cognatione, natura et indole, non eo posse contineri, ut singulorum codicum inquireretur capitulorum ordo atque dispositio, sed etiam necesse esse ut potior saltem patefieret lectionum varietas, qua cuiusque codicis subtilius illustraretur indoles (2).

Multum me facessit meditatio de via qua progrederer. Commodius mihi certe erat cuiusque codicis descriptioni potiores inserere lectiones, quibus singuli ab editione aberrarent quam adornavit Sabatier. Ast hac via ad perplexas nos tandem deventuros fuisse lectionum farragines nemo non videt. Ne igitur viris doctis qui se tanti laboris et sudoris dant oneri, quod est codicum exploratio, plus afferrem molestiae, constitutum mihi fuit, cuiusque codicis lectiones varias non separate exhibere, sed in unum eas congerere album, ut hac ratione singularum lectionum origo et vicissitudines sub unum subiicerentur aspectum. Codice interim Bruxellensi 7771-2 opportune invento, satius esse mihi videbatur, operi iam incoepto priscorum Bollandi sodalium inserere laborem, ut meo operi praeclarum afferrem munimentum et operosum aliorum negotium per saecula iam latens detegerem.

Re igitur diligenter perpensa et cum Adm. Rev. Patre Francisco Van Ortroy opportune communicata, Regiae Bibliothecae Bruxellensis praefecti pro eorum liberalitate praecipua, codicem illum sub mea posuerunt manu, Hagae-Comitis eundem deponentes. Quin etiam hodierni Bollandi socii benigne ad me transmitti curaverunt codices 156 et 157 Bibliothecae Bollandianae (3) quibus magno numero, quae ad rem faciunt nostram, continentur adnotationes.

Exposito laboris origine atque incremento, superest ut paucis dicam de via et ratione qua in praesenti lucubratione progrediendus mihi videbar. Primum concessi locum fusiori descriptioni codicum 156 et 157 Bibliothecae Bollandianae necnon codicis Bruxellensis 7771-2, sola tamen seligens ea quae ad rem pertinent nostram. His enim codicibus maxime illustrantur ea quae de voluminibus nunc deperditis, quae tamen prisci Bollandistae perscrutati sunt, sumus prolaturi. De-

(1) In folio *De Katholiek*, t. CXXVIII (Leiden 1905), p. 151-91.

(2) Non tamen codices quos in nostris regionibus inveni tantam suspicor allaturos rei Franciscanae utilitatem, quantam cl. Sabatier exinde speravit orituram. Cf. *Collection*, t. I, pp. XXI, XLIII et CCX.

(3) Iidem in bibliotheca Bollandiana, antequam haud ita pridem novo ordine recenserentur codices manuscripti, signati erant: « Collectanea Bollandiana » tomus 56 et tomus 57.

scribuntur deinde ipsi codices quos hodie lugemus amissos, Lovaniensis anni 1454, Antverpiensis an. 1472 et Bruxellensis an. 1549, quantum quidem illorum materiam, hinc inde minutatim collectam, contexere potui. Haec excipit descriptio voluminum manu scriptorum quae ipse in manibus habui scilicet Dusseldorpiensis, Hagani, Rheno-Traiectinorum trium et Daventriensis.

Nec cuiquam videar actum quodammodo agere integros denuo describendo codices, illos praecipue quos iam evolvit cl. Sabatier. Praefinito id egi consilio. Cum enim ea quae iam vulgavit Sabatier e diversis plerumque debeant conquiri voluminibus, iisque interdum desint quae videbantur adiicienda, integras iterum decrevi conficere descriptiones, hac etiam potissimum ratione permotus, quod post codicem Bruxellensem 7771-2 inventum, omnia paene clariore illustrantur luce.

Quae vero capitula cuique insunt codici vel desunt, tabula quadam collativa in uno ponitur conspectu. Lectiones varias quas magno collegi numero in uno compegi elencho, inserens potiores quas in *Speculo Vitae* inveni contextus discrepantias, additisque praeterea nonnullis lectionibus, quas praebet *Liber Conformitatum* Bartholomaei de Pisis. Codicem contra Daventriensem ab elencho exclusi, quippe qui perpauca tantum habeat *Actuum B. Francisci* capitula; eiusdem vero lectiones varias in ipsa codicis descriptione breviter perstrinxi. Tandem in appendice nonnulla reposui quae licet ad rem pertineant Franciscanam, a proposito tamen nostro disiuncta existunt.

Ne autem perpetuo cogar librorum et codicum, quibus maxime usus sum, inscriptiones repetere vel indicia, haec sigla adhibui:

A = cod. Antverpiensis anni 1472; hodie deperditus.
B = cod. Bruxellensis anni 1549; hodie deperditus.
BHL = *Bibliotheca hagiographica latina antiquae et mediae aetatis,* ediderunt Socii Bollandiani, 2 tomi (Bruxellis 1898-1901).
Brux. 7771-2 = cod. Bibliothecae Regiae Bruxellensis n. 7771-2.
Conf. = Bartholomaeus de Pisis, *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam D. I. Christi,* ed. Mediolani 1510 (1).
D = cod. Dusseldorpiensis, sign. B85.
H = cod. Haganus, sign. 73 H35 (olim K54).
L = cod. Lovaniensis anni 1454; hodie deperditus.
S = *Speculum vitae b. Francisci et sociorum eius,* ed. Metis 1509 (2).

(1) Post lectionum variarum confectum Elenchum prodiit ex typographia Quaracchiana prior pars novae editionis *Libri Conformitatum* (= *Analecta Franciscana,* tom. IV), ast quoniam haec nondum complectitur opus integrum, quumque insuper in parte noviter edita desint indicia foliorum veterum editionum an. 1510 et 1513 — quae tamen necessario addi debuissent — nihil in elucubratione mea duxi immutandum. Ii enim qui rebus insudant Franciscanis, proximo saltem tempore commodius utentur editionibus antiquis.

(2) Ex tribus quae prodierunt *Speculi vitae* editionibus antiquis (Parisiis s. a., Venetiis 1504, Metis 1509), nullam in his regionibus reperire potui. Frustra etiam conatus ex exteris regionibus editionem accipere Venetam, conten-

U[1] = cod. Utrecht, sign. N° 2, Kast 4, pl. C.
U[2] = cod. Utrecht, sign. N° 3, Kast 4, pl. H.
U[3] = cod. Utrecht, sign. N° 7, Kast 4, pl. H.
cod. 156 = cod. 156 Bibliothecae Bollandianae
cod. 157 = cod. 157 Bibliothecae Bollandianae.

Sabatier, Collection I. = *Speculum perfectionis,* ed. PAUL SABATIER in *Collection d'études et de documents sur l'histoire religieuse et littéraire du Moyen âge,* tom. I (Paris 1898).

Sabatier, Collection II. = *Francisci Bartholi de Assisio tractatus de Indulgentia s. Mar. de Port.,* ed. PAUL SABATIER in *Collection d'études* etc., tom. II (Paris 1900).

Sabatier, Collection IV. = *Actus b. Francisci et sociorum eius,* ed. PAUL SABATIER in *Collection d'études* etc., tom. IV (Paris 1902).

Superest demum ut ad agendas referendasque aggrediar gratias, easque singulares pro singularibus quibus me favoribus afficere dignati sunt AA. RR. PP. Franciscus Van Ortroy hagiographus et Iosephus Van den Gheyn, custos chirographorum Bibliothecae Regiae Bruxellensis; clarissimi quoque viri DD. C. Nörrenberg, J. C. van Slee et J. F. van Someren, bibliothecarum Dusseldorpiensis, Daventriensis et Rheno-Traiectinae praefecti; maxime vero viri integerrimi atque colendi DD. W. G. C. Byvanck et H. Brugmans, Regiae Bibliothecae Haganae praefectus et olim sub-praefectus. Qui omnes sua liberalitate atque eximia procuraverunt humanitate, ut res immunis, quae est codicum iterata perscrutatio, ad exitum tandem adduceretur.

I.

COD. 156 BIBLIOTHECAE BOLLANDIANAE.

(Sign. **Cod. 156**).

Cf. SABATIER, *Collection,* t. I, p. CCI-CCVII; t. II, p. LXXI, not. 1; p. LXXXII, not. 1; t. IV, vide tabulam i. v. Recueil Bollandien. — *Miscellanea Francescana,* IX (Foligno 1902), p. 35.

Semel monere sufficiat codicum tam 156 quam 157 folia fuisse conglutinata nullo paene servato ordine. Quod et indicavit iam Sabatier (*Collection,* t. I, p. CCII), scite huius perturbationis assignans causam. Quae vero in hisce miscellaneis ab ipsis inveniuntur descripta sociis Bollandianis (1), variis temporibus, varia etiam manu fuisse elucubrata, non solum ex ipsa litterarum liquet indole diversa, sed et ex aliis quae occurrent patefiet rebus.

---

tus esse debui editione Metensi, quam benigne ad me transmisit v. cl. C. Nörrenberg, bibliothecae Düsseldorpiensis praefectus. — In designandis *Speculi vitae* capitulis usus sum expedita illa partitione quam constituit Sabatier in sua editionis Venetae descriptione (*Opuscules de critique historique,* t. I, Paris 1903, p. 324 ss).

(1) E sociis Bollandianis qui egregiam in S. Francisci vitam describendam impendebant operam Sabatier nominat Henschenium, Papebrochium et Sollerium (*Collection.* t. I, p. CCI-CCII). His adde Heribertum Rosweydum, ut mox intimabo, et Stiltingum (cf. *Acta Sanctorum,* Octobris t. II, pag. 551, n. 31-32).

1. (Fol. 32) Manuscriptus Bruxellensis [an. 1549] Fratrum Minorum.

Summatim indicantur quae inerant codici B; additur aliquantula eiusdem descriptio.

2. (Fol. 33-34 v.) Ex ms. Bruxellensi immediate post Speculum perfectionis Fratrum Minorum.

Narrationes quatuor exscribuntur integrae in Appendice.

3. (Fol. 35) Exscripta ex eodem ms. Bruxellensi quae alibi putantur non haberi de Ruffino.

Est fragmentum e *Conf.* (ed. 1510), fol. 52b1-2. Inc. *Infirmatus tandem fr. Rufinus.* — Des. *cum illa comitiva Sanctorum coelum adiit.*

4. (Fol. 36-36 v) Collatio ms. Lovaniensis cum Metensi [= *Speculo vitae*, ed. Metis 1509].

Breves sunt adnotationes de capitulorum in L, S et Bosquiero (1) numeri notis.

5. (Fol. 37-37v) Ex ms. Antverp. Cap. 63. [= *Actus*, cap. 70].

6. (Fol. 38) Ex ms. Antverp. Cap. 75. [= *Spec. perf.*, cap. 37].

7. (Fol. 39) Dubia circa impressionem Speculi s. Francisci per Bosquierium.

Breviculae adnotationes de perturbato capitulorum ordine in Bosquiero.

8. (Fol. 41-48) Notae in Speculum et Actus maxime ex ms. Antverpiensi.

Series lectionum e cod. L collato codice A. Non raro et adscribuntur lectiones ex S et Bosq.

9. (Fol. 49) Index capitum ms. Antverpiensis.

Est tabula qua comparative disponuntur capitula quae A et L habent parallela. In infimo folio exarata fuit codicis A subscriptio.

10. (Fol. 60-60 v) Ex ms. Antverpiensi, Cap. 39. [= *Actus*, cap. 68].

11. (Fol. 60 v - 62 v) Ex ms. Antverpiensi, Cap. 41. [= *Actus*, cap. 69].

12. (Fol. 62 v - 63) Ex ms. Antverpiensi, Cap. 49. [= *Actus*, cap. 53, v. 7-11].

13. (Fol. 65) Ex ms. Antverpiensi, Cap. 83.

Ex *Legenda aurea*. Cf. cod. U[1], Cap. 83, infra pag. 328. Iterato additur codicis A subscriptio.

14. (Fol. 66) Ex ms. Antverpiensi, Cap. 80. [= *Actus*, cap. 67].

15. (Fol. 68-101 v) Collatio editionis Metensis cum Bosquiero, Spoelberch (2) et P. Heriberto [= cod. L; cf. infra pag. 310].

---

(1) Cf. *Antiquitates Franciscanae, seu Speculum vitae B. Francisci et sociorum eius.... adnotatore* R. P. Fr. Philippo Bosquiero..., Coloniae Agrippinae 1623.

(2) Cf. *Speculum vitae b. Francisci et sociorum eius.... Opera et studio* F. Guilielmi Spoelberch.... Antverpiae 1620.

Exscribuntur lemmata capitulorum quae in libris memoratis habentur comparatione ultro citroque instituta. Sunt autem:

fol. 68-68 v.	Capitula	quae	habet	S	non	vero	Bosq.
fol. 68 v	»	»	»	Spoelb.	non	vero	S.
fol. 68 v	»	»	»	S	»	»	Spoelb.
fol. 68 v-69	»	»	»	Herib.	»	»	S.
fol. 69	»	»	»	S	»	»	Herib.
fol. 69-69 v.	»	»	»	Bosq.	»	»	Spoelb.
fol. 69 v	»	»	»	Spoelb	»	»	Bosq.
fol. 69v-100v (1)	»	»	»	Bosq.	»	»	Herib.
fol. 100 v	»	»	»	Herib.	»	»	Bosq.
fol. 100 v-101	»	»	»	Spoelb.	»	»	Herib.
fol. 101-101 v	»	»	»	Herib.	»	»	Spoelb.
fol. 101 v	»	»	»	B	»	»	Herib.
fol. 101 v	»	»	»	Herib.	»	»	B.

16. (Fol 102-102 v) Ex collatione nostri ms. [= cod. L; cf. infra pag. 310] cum ms. Bruxellensi.

Pauca enumerantur loca quibus B ab L discrepat.

17. (Fol. 103) [Collatio capitulorum codicis L cum cod. A].

18. (Fol. 103 v) Desunt ms. nostro capita sequentia quae sunt in ms. Antverpiensi Minoritarum.

19. (Fol. 279-280 v) Desunt sequentia capita Speculi perfectionis [et Actuum] Fratrum Minorum in editione Metensi et Bosquierii ex ms. Lovaniensi.

Enumerantur lemmata hoc ordine:

fol. 279.	Capitula	quae	habet	L	non	vero	S.
fol. 279-280	»	»	»	Bosq. et S	»	»	L.
fol. 280-280 v	»	»	»	S	»	»	Bosq.

Eadem habentur supra fol. 68 v-69; 69 v-100 v; 68-68 v.

II.

Cod. 157 Bibliothecae Bollandianae.
(Sign. Cod. 157).

Cf. Sabatier, *Collection*, t. I, p. CCI-CCVII; t. II, p. XCIX, not. 4; p. CXLIX; t. IV, vide tabulam i. v. Recueil Bollandien.

1. (Fol. 1-1 v) Ex ms. Antverp. in fine post Actus sociorum.

Describuntur piae nonnullae de virtutibus sententiae, laudatis interdum locis ex *Spec. perf.* et *Actibus*, quibus talium exhibentur virtutum exempla. Adiungitur et nota folii quo isti loci fuerunt descripti in cod. A.

2. (Fol. 3) Ms. Antverpiensis Fratrum Minorum.

In uno ponuntur conspectu quae in cod. A fuerunt descripta.

3. (Pag. [*sic*] 377-387) [Lemmata capitulorum Legendae 3 Sociorum, Speculi perfectionis et Actuum ex cod. Bruxellensi an. 1502].

De hoc codice diligenter disseruit Sabatier (*Collection*, t. I, p. CCV-CCVI; t. IV, p. XLIX), nec opus est ut ea in hac lucubratione repetam, quum nihil aliud de codice isto deperdito supersit quam quae iam notavit Sabatier.

(1) Erratum est in foliis numerandis. Folium 69m statim excipit fol. 100m. Nihil tamen in contextu deest.

III.

Cod. Bruxellensis 7771-2. Bibliothèque royale, Bruxelles.

(Sign. **Brux. 7771-2**).

Huius codicis meminerunt *Anal. Boll.*, t. XIX (1900), pp. 119-120, 121; t. XXI (1902), p. 444. — Cf. Sabatier, *Collection*, t. IV, p. xlvi. — I. Van den Gheyn, *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque royale de Belgique*, t. V (1905), p. 156-57. — Alia quibus memoratur loca nomine « apographum » vide apud cod. L.

Codici saec. XVII exarato, foliorum 200 (A, B, 1-198) insunt *Legenda 3 Sociorum* (fol. 11-39v) cum sua capitulorum tabula (fol. 1-2), *Speculum perfectionis* (fol. 40-113v) cum tabula (fol. 2-7), et *Actus B. Francisci* (fol. 114-198v) cum sua tabula (fol. 7v-9v; fol. 10 vacat). Omnia haec sunt apographa fidelissima a priscis Bollandi sociis descripta ex codice quodam (quem L signavimus) in bibliotheca Fratrum Minorum Lovaniensium tunc temporis existente. Ad *Speculum perfectionis* et *Actus B. Francisci* in margine adscriptae reperiuntur lectiones variae innumerae ex cod. ms. Antverpiensi an. 1472 (sign. ibidem *MS. Ant.* vel etiam *MS.*), ex cod. ms. Bruxellensi an. 1549 (sign. *Br.*), ex *Speculo vitae* ed. Metis 1509 (sign. *M.*) et ex eodem *Speculo vitae*, ed. Bosquier, Coloniae 1623 (sign. *B.*). Lectiones hae variae ex codd. Antverpiensi et Bruxellensi et ex *Speculo vitae* magnam quidem partem exscribuntur infra in Elencho.

Praeterea alia quaedam in cod. Brux. 7771-2 inveniuntur descripta in voluminis capite, ad nostram rem pertinentia.

Fol. A varia manu varioque loco descriptae fuerunt hae adnotationes: *De S. Francisco Assis. pro 4 Octob. — Vita S. Francisci per 3 eius socios. — De Reliquiis Ve* [vide] *MS. Volaterr. 5 Iunij in Iusto fol. vj* [? vel *17* ?] *m. — De S. Francisco v^e in Vita B. Arditii de Conradis 13 Novembris.* Et alia pauca quorum nostra nihil interest.

Fol. Bv invenies summarium eorum quae codici L inerant, quodque integrum exscribitur infra pag. 309. Eidem fol. Bv adglutinata fuit chartula in qua haec sunt descripta:

Legenda et miracula s. Francisci per f. Leonem viarum et profectionum eiusdem individuum comitem, adiutum opera f. Angeli Tancredi et Ruffini consanguinei s. Clarae

modo prologus non incipiat: [a] *Ad laudem et gloriam D. N. I. C. Primo ergo sciendum etc. nec Caput primum:* [b] *Tempore quo Bonifacius etc., nec finis cap. ultimi:* [c] *contra maledictionem tuam, vel:* [d] *nunc et semper et in saec. saeculorum. Amen, vel:* [e] *quem ego port(o).*

[a = *Spec. vitae*, Sect. 1; b = Sect. 2; c = Sect. 250; d = Sect. 251; e = Sect. 318].

Altera manus addidit ad laevam:

In bibliotheca Fratrum Minorum Lovanii bina reperiuntur volumina manuscripta quorum unum [a] *authores hic citatos praefert, sed prologus nec sic incipit nec liber ipse ita finitur, alterum verum* [b] *nec authores hos habet nec initium aut finem praescriptum.*

[a est forte cod. L cuius initio descripta erat Legenda 3 Sociorum. — b cuius fuerit indolis nescio].

Ad calcem chartulae Heribertus Rosweydus († 1629) propria descripsit manu:

Apud Patres Franciscanos est legenda etc. MSta in parvo folio. V [ide] *queso, an prologus, caput 1m et finis capitis ultimi ita incipiant et finiant, uti hic notatum est. Si non, optarem commodatò impetrari ad unum mensem. Fidelissime remittam. Heribertus Rosweydus S. J.*

Adhibuit has preces cl. Rosweydus apud Fratres Minores Antverpienses, ni fallor. Formam proinde codicis A fuisse « in parvo folio » iure existimaveris.

Duabus tribusve codex Brux. 7771-2 exaratus fuit manibus. Fol. 11-113v (*Leg. 3 Soc.* et *Spec. perf.*) a prima conscripta sunt manu; fol. 114-198 (*Actus*) et fol. 1-9v (Tabulae) ab altera. Tertia manus, vel forte secunda, minoribus litterarum usa formis, ad *Spec. perf.* et *Actus* in margine adscripsit lectiones varias. Certum est eum qui lectiones notavit in margine varias, ipsum etiam in manibus habuisse codicem L, cuius exacte pluries adnotat, immo calamo interdum imitatur verba, quibus in L obviam fiebat.

Quae porro ad codicum A, B et L pertinent indolem minutatim e cod. Brux. 7771-2 ratus sum discernenda atque in singulorum codicum reponenda descriptionibus.

Diligenter etiam ultro citroque in cod. Brux. 7771-2 adnotarunt prisci Bollandistae locos parallelos Speculum perfectionis inter et Actus, quos formulis contractis designo: *Actus*, cap. 18 v. 1ss = *Spec. perf.* cap. 121. — *Act.* 18, v. 11ss = *Spec.* 124. — *Act.* 18, v. 15ss. = *Spec.* 112. — *Act.* 21, v. 12ss. = *Spec.* 104. — *Act.* 64 = *Spec.* 52. — *Act.* 65 = *Spec.* 82 (p. 161, lin. 12ss.). — *Act.* 67 = *Spec.* 71 (Interpolation). Alibi, ad *Spec. perf.*, capp. 46, 55, 58, 63 et 67 notatum invenies auctorem narrationis s. Francisco fuisse coaetaneum; ad *Actus*, cap. 9, v. 71 vero auctorem narrationis non fuisse fratrem Leonem. *Spec. perf.*, cap. 84, quod in cod. L extra libelli ambitum invenerunt descriptum, suo loco, folio tamen insiticio (fol. 89), inseruerunt. Ad finem cap. 83 addiderunt: *Hic interponendus paragraphus de praerogativis quas fecit Dominus in loco S. Mariae de Angelis* [= Spec. perf., cap. 84]. *Non habetur tamen in indice, sed in catalogo contentorum toto libro tanquam diversus tractatus a Speculo perfectionis. Est forte ab aliquo insertus propter vicinitatem materiae cum praecedenti* §. Et rursum ad initium cap. 84: *Hoc carmen scriptum erat in fine libri sine ulla remissione; in speculo tamen notabatur inserendum post § 8 cap. 5; non erat tamen in indice.*

Haec de privata Bollandi sociorum opera.

IV.

Cod. Lovaniensis an. 1454.

(Sign. L).

Pluries iam viri docti huius codicis mentionem fecerunt, sc. Sabatier, *Collection*, t. I, p. ccii-cciii; cf. p. ccv-ccvii; t. IV, p. xxiii et p. xlvi-xlvii. — *Opuscules de critique historique*, t. II (Paris 1904), p. 219. — A. Fierens, *Les origines du Speculum perfectionis (Extrait du rapport sur les travaux du Séminaire historique pendant l'année académique 1905-1906)*, Louvain 1907, pp. 351 sq. (12 sq.). — M. Grouwels, *Historia critica sacrae indulgentiae B. Mariae Angelorum* (Antverpiae 1726), pp. 56, 61 et 426; cf. p. 67. — *Act. SS.*, Aug. t. II (1735), p. 454, n. 8;

p. 469, col. 2. — *Act. SS.*, Oct. t. II, p. 547 sq., n. 12 et 13; p. 549, n. 18 (cf. p. 723, col. 2); p. 551, n. 28 et 32, et quotiescumque est sermo de « manuscripto Speculi Vitae », vel de « apographo » vel « ecgrapho nostro » (*Act. SS.*, Aug., t. II, p. 454, n. 7; Oct., t. II, p. 550, n. 17, 25, 26, 29).

Archetypon codicis hodie deperditi in manibus habuerunt non solum prisci socii Bollandiani, qui pro sua diligentia apographa fieri curaverunt *Legendae 3 Soc.*, *Speculi perf.* et *Actuum* (in cod. Brux. 7771-2 nunc quidem adservata), sed et dubium non est quin et ipse fuerit codex Lovaniensis quem suo tempore laudavit Matthias Grouwels, O. F. M., qui disserens de Legenda 3 Sociorum (*l. c.*, p. 61): «... quorum — inquit — Copia per abbreviationes difficiles extat in « Bibliotheca nostra Lovaniensi FF. Min. descripta a F. *Cornelio* « *Ziriczee in anno Novitiatûs sui. Christi vero MCCCCLIV die nonâ* « *mensis Februarii* ». Eadem fere repetit, *l. c.*, p. 426.

Summarie enumerantur quae inerant codici L in cod. Br. 7771-2, fol. Bv:

Ex ms. Franciscanorum Lovanii in folio, corio nigro, in quo haec continentur:

a] *Legenda per tres socios conscripta de beatissimo Patre.* [*Est etiam Tung*(erloae) *apud Canonicos Regulares*].

b] *Speculum perfectionis status Fratrum Minorum.*

c] *Actus b. Francisci et sociorum eius primorum.*

d] *Humilia verba sacrae admonitionis b. Francisci.*

e] *Opusculum monitorium beatissimi Patris Francisci.*

f] *De praerogativis quas fecit Dominus in loco Mariae de Angelis.*

g] *Epistola Francisci ad Ministrum generalem ceterosque fratres ordinis sui.*

h] *Legenda s. Clarae.*

i] *Regula s. Clarae secunda.*

j] *Ordinatio et statuta Benedicti circa statum Clarissarum.*

Codicis amanuensem atque aetatem duae revelant subscriptiones. Quarum prior post Spec. perf. fuit adscripta (Cf. cod. Brux. 7771-2, fol. 113 v = *Elenchus* n. 399): *Scriptum per me Cornelium filium Petri Zirixzea fraterculum minimum in anno novitiatus. Oretis Deum pro me quia valde indigeo. Deo gratias.* Alteram subscriptionem invenies in cod. 169 Bibliothecae Bollandianae, folio non signato, post exemplum De milite (= *Actus*, cap. 66), huius quidem tenoris: *Explicit liber de actibus quibusdam mirabilibus beati Francisci et sociorum eiusdem primorum, completus per me fr. Cornelium in anno novitiatus sub anno Domini M°cccc°Liiij° die nona Februarii. In nomine D. N. I. C. ad honorem beatissimi Patris nostri Francisci. Laus Deo* (1). Hac altera itaque subscriptione docemur, annum novitiatus fr. Cornelii fuisse annum 1454, eumque labori extremam imposuisse manum die 9ª Februarii; e priore vero inscriptione intellegitur, fratri Cornelio fuisse cognomen « Zirixzea » (ab oppido Zierikzee in Zelandia sito). Utriusque autem subscriptionis materiam permiscuit Grouwels, et inde orti sunt errores aliorum, qui de his subscriptionibus sunt locuti.

(1) Cf. Sabatier, *Collection*, t. I, p. CCII et *Elenchus* n. 803.

Nec mireris subscriptionem quam fr. Cornelius exemplo De milite (*Actus*, cap. 66) adscripsit vagari in cod. 169 Bibliothecae Bollandianae, eam tamen desiderari tum in cod. Brux. 7771-2, tum in codd. 156 et 157. Tanquam certum enim affirmaverim eam etiam in codice L separate fuisse descriptam. Inspice, inquam, codd. Mazarinos 1743 et 989 (1) codicem D et Leodiensem 343 [222] (2); omnes hi post *Actus* inserunt nonnulla B. Francisci opuscula et demum addunt exemplum De milite. Quin etiam codd. Maz. 1743 et Leod. 343 huic exemplo statim adiungunt subscriptionem; quod et in cod. L accidisse optimo iure affirmaveris, cum cod. praesertim Leod. 343 nostro codici L simillimus sit, ita quidem ut L eius apographum putaveris (3). De quo infra fusius disputabo in Elenchi prolegomenis, pag. 347.

Quodsi inquiris cur tamen ipsa subscriptio non sit colligata cum aliis de codice L documentis, in codd. 156 et 157 collectis, memineris quaeso — quod et iam monui — priscorum Bollandistarum documenta raptim fuisse colligata, tempore fortasse turbarum pleno. Sexcenta insuper licet eiusmodi confusionis proferre exempla: In cod. Brux. 7771-2 nullum invenire est monitum, plura de codice L documenta existere in codd. 156 et 157; nec, versa vice, ullibi in codd. 156 vel 157 moneris, Bollandistas in manibus habuisse codicis L apographum. Quin etiam in ipsis codd. 156 et 157 nullibi certiorem te faciunt unum eundemque esse codicem quem modo « Nostrum », modo « Lovaniensem », deinde « Heriberti » appellant.

De cetero, subscriptionem codicis L in cod. 169 vagari iam ipsos saeculo XVIII fugit Bollandi socios. Suyskens enim codicem L anno 1454 exaratum affirmans, unum testem adhibet Matthiam Grouwels (4). Immo in commentario praevio ad Vitam B. Ioannis de Alverna mirans animadverteris, alterum Bollandianum socium, Guilielmum Cuperum, prudenter abstinere a faciendo iudicio, sitne codex Brux. 7771-2 apographum codicis Lovaniensis a Grouwels laudati (5).

Alterum nunc agitur, sitne idem codex quem prisci Bollandistae vocant « Nostrum », « Lovaniensem » et « Heribertum »?

Prorsus affirmandum est.

1° Id probatur argumento quod vocant negativo. Licet enim varias collationes atque multiplices prisci Bollandistae ultro fecerint citroque inter codd. et editiones: Lovaniensem, Nostrum, Heriberti, Antverpiensem, Bruxellensem, Speculum vitae, Bosquier et Spoelberch, nullibi tamen inter se conferunt codices quos vocant Lovaniensem, Nostrum et Heriberti. — 2° Codicem L exaratum fuisse anno 1454 supra ostensum fuit. Eundem autem esse ac « Nostrum » patet ex hoc, quod cod. 156, fol. 49

(1) Sabatier, l. c., p. clxvi, litt. *i*; p. clxviii, litt. *k*.

(2) Sabatier, *Collection*, t. IV, p. 192 not. 1, ubi notatur exemplum De milite inveniri fol. 163a2. — Cf. *Collection*, t. I, p. clxviii sq; t. IV, p. xxxvi.

(3) Neque obstat exempli De milite non fieri mentionem in summario codicis L supra exscripto. Talia enim summaria in codicibus plerumque esse manca non est quod viros litteratos moneam.

(4) *Act. SS.*, Oct. t. II, p. 551, n. 32; cf. n. 28.

(5) *Act. SS.*, Aug. t. II, p. 455, n. 7.

scribitur: *Hinc patet nostrum manuscriptum esse aliquot antiquiorem* [codice A, an. 1472]: *scriptus enim est 1454.* — 3° In tabula variarum lectionum cui inscribitur: *Ex collatione nostri manuscripti cum ms. Bruxellensi* (cod. 156, fol. 102-102 v), omnes quae ex « Nostro » describuntur lectiones eaedem ad amussim inveniuntur in apographo codicis L, e. c.: *cum dixisset* (= *Elenchus*, n. 28), *Tortona* (= n. 106), *misericorditer et devote* (= n. 214), *baldaquini* (= n. 347), *Benivengnate* (= n. 389), *Feletri* (= n. 478), *taboleas* (= n. 564), *psalmas* (= n. 568), *Turingiam, Sarraciniam* (= n. 617), *butiglum* (= n. 619), *labinolis* (= n. 625). — 4° Etiam in tabula cui inscribitur: *Desunt ms. nostro capita sequentia quae sunt in ms. Antverpiensi Minorum* (cod. 156, fol. 103 v), eadem ipsa enumerantur capitula quae desiderantur in L. — 5° Insuper quod ad cod. « Heriberti » attinet, in cod. 156, fol. 68 v-69 enumerantur capitula quae desunt in S, non tamen in « Heriberto »; ex quorum serie non solum liquet « Heribertum » omnino consentire cum cod. L (1), sed et lemma *Actus*, cap. 65 ex Heriberto describitur: *De poenitentia contra verba otiosa*, et *Actus*, cap. 67: *De tribulatione ordinis*, quam capitulorum partitionem in ipso solo codice L invenies (cf. *Elenchus*, n. 775, 781). — 6° Certius tandem id evincitur e cod. 156, fol. 101, ubi exscribuntur lemmata capitulorum, quae sunt in « Heriberto », non vero in Spoelberch. Capitula « Heriberti » omnia numeri ornantur nota excepto solo *Spec. perf.* cap. 84. Porro hoc ipsum capitulum in cod. L extra Speculi perfectionis contextum fuisse relegatum iam plus semel monuimus.

E codice L integra habemus servata: 1° Legendam 3 Soc., Spec. perf. et Actus, descripta in cod. Brux. 7771-2. Legenda porro trium Sociorum ex hoc apographo typis fuit expressa in *Act. SS.* Oct. t. II, p. 723-42, quod his ipsis verbis affirmat Suyskens (*l. c.*, p. 723). Ex eodem etiam apographo Cuperus edidit *Actus*, capp. 51, 52, 54, 55, 56, 57 et 58, quae sunt de b. Iohanne de Alverna (*Act. SS.*, Aug. t. II inde a p. 469, col. 2). — 2° Descriptum etiam habemus e codice L *Spec. Perf.*, cap. 84, quod in L separate existebat. — 3° Iterum atque iterum haud pauca lemmata variasque minutatim lectiones ex L (Nostro, Heriberto) habes exscripta in cod. 156, diversis quidem in locis. Quae quum integra existant in cod. Brux. 7771-2, non est quod agitemus.

Pluris nostra interest subtilius inquirere apographa Speculi perfectionis et Actuum.

a). *Speculum perfectionis* eodem fuit ordine dispositum ac in editione quam curavit Sabatier. Capitulum vero 84 (Carmen de loco Portiunculae) extra libelli ambitum fuit repositum; descriptum tamen erat in eodem codice tanquam capitulum a Speculo perfectionis distinctum (cf. supra sub III, pag. 308, et Summarium codicis L sub f). Habebat itaque libellus capitula 123. Certum etiam est 123 capitula, sicuti apud Sabatier, fuisse divisa in XIII capitula maiora, haec

(1) Bis erravit Bollandista asserens *Spec. perf.*, cap. 23 et *Actus*, cap. 59 deesse in S. Sed facilis enodatio. Prioris enim in S. fragmentum tantum invenitur (Sect. 191); alterum sub lemmate latet alieno (Sect. 111. 1).

autem iterum fuisse distincta per « rubricas » (cf. *Elenchus*, n. 314). Sed et alio numerorum ordine capitula 123 videntur fuisse ornata, per seriem nempe notarum, litteris quas vocant romanis exaratam, ab I usque ad CXXII. Adsunt quidem 123 capitula, sed error ex eo fuit ortus, quod nota XXVI bis fuerit apposita. Omnes tamen hi numeri in apographo postea fuerunt deleti, sed eos in ipso archetypo L exstitisse colligere fas est ex hoc, quod Grouwels laudans narrationem de tributo pisciculorum a B. Francisco abbati S. Benedicti de monte Subasio annuatim soluto, testem affert « Manuscripta Bibliothecae nostrae Lovaniensis anno 1454. sect. 56 » (*l. c.*, p. 56). Porro narratio ista descripta reperitur *Spec. perf.*, cap. 55, in apographo per errorem signato « LIV ». Errat quidem Grouwels in capituli notanda nota, sed facilis erat in hoc notarum genere cum « LVI » permutatio.

b). *Actus b. Francisci* eodem in L describebantur ordine ac apud Sabatier usque ad cap. 61, sed inde a cap. 62 alia — in capitulorum quidem tabula — erat capitulorum partitio, de qua cf. *Elenchus*, n. 775. Numerat itaque capitula 67 quae sunt apud Sabatier 65. Capitulum vero quod est ap. Sabatier 66^m (*De milite* etc.) extra Actuum relegavit ambitum, quod supra demonstratum fuit.

c). Tabulae tam *Speculi perfectionis* quam *Actuum*, quas praebet cod. Brux. 7771-2, etiam in ipso archetypo fuerunt descriptae. Speculi perfectionis tabula in capitula maiora XIII divisa, quae singula iterum dividuntur in rubricas — hic vocantur « paragraphi » — ad amussim consonat capitulorum lemmatibus quae in ipso describuntur libello, excepto quod lemma cap. IV, § 18 (= *Spec. perf.*, cap. 56) legitur: *De humili* obedientia (cf. *Elenchus*, n. 179). Singulis etiam capitulorum XIII maiorum lemmatibus praecurrit alter titulus breviculus, quem propria auctoritate vel ipse codicis L amanuensis vel alius quispiam videtur conflasse. Quae quum nullius sint momenti (cap. I e. c. praeponitur: *Quod noluerunt regulam observare*) omittenda censui. In fine tabulae legitur (fol. 7): *Hic finiuntur tabulae primi libri. Explicit speculum perfectionis status fratris minorum* (sic). *Hoc de primo libro.*

Actuum tabula incipit fol. 7 v: *Tabula secundi libri. Incipit secundus liber de actibus sociorum eius. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Singula lemmata exacte consonant cum ipsius libelli lemmatibus; discrepant solum capp. 3, 62 et 63 (64, 65), de quibus cf. *Elenchus*, n. 428, 770, 775.

Quae hic fit distinctio inter librum 1^m (*Leg. 3 Soc.* [?] et *Spec. perf.*) et librum 2^m (*Actus*) ex ipso archetypo fuit transumpta (similis distinctio fit in cod. D), et non solum servata fuit in adnotationibus quas Bollandiani socii in cod. Brux. 7771-2 passim descripserunt, sed et ab ipso Cupero indicatur in *Act. SS.*, Aug. t. II, p. 454, n. 8, et p. 469 litt. F.

Alia adhuc manent de cod. L notanda.

Propria hic illic auctoritate amanuensis vel alius quispiam nonnulla addidit, e. c. ubi pro Cantico solis revocat ad alia libelli loca, vel verbis italico idiomate descriptis latinam addit versionem (cf. *Elenchus*, n. 314, 383, 392; n. 318, 393). Alibi claritatis gratia brevem adiicit explana-

tionem (cf. *Elenchus*, n. 120). Imo contextum corrumpere est ausus, ut videre est in *Elencho*, n. 338, ubi verbis *Aegidii qui fuit tertius frater* deletis substituit haec alia: *Helyae qui fuit vicarius s. Francisci, quod patet infra in Actibus § [= cap.] 5 et 13.* Tandem interiectio *Per Deum* (*Actus*, Cap. 32, v. 7; cf. *Elenchus*, n. 642) in codice fuit deleta; quod ex nimia forte factum esse religiositate existimaveris.

Nunnullibi in codicis L margine adscriptae fuerunt lectiones variae; de iis cf. *Elenchus*, n. 24, 59, 62, 149, 302, 303, 728. Insuper *Spec. perf.*, cap. 85 (ed. SABATIER, p. 167, lin. 7) legis: *paupertatem* (in marg. *puritate*) *fr. Leonis.* — *Actus*, cap. 8, v. 12: *ubi possimus dicere* (in marg. *ex quo legeremus*) *matutinum.* — Cap. 9, v. 38: *et sanctus* (in marg. add. *Franciscus*) *non responderet.* — Cap. 9, v. 44: *recedere plane* (in marg. *occulte*). — Cap. 50, v. 2: *quendam fratrem* (in marg. *cuidam fratri iuvenculo*) *praedicaret.*

Conquestus est pluries Matth. Grouwels (*l. c.*, pp. 61 et 426) codicem L fuisse exaratum « per antiquas et difficiles abbreviationes ». Rem ita se habuisse non solum liquet ex emendationibus quas secunda vel tertia manus in apographo Brux. 7771-2 adiecit, sed etiam ex aliis adnotationibus in eodem cod. Brux. 7771-2 sparsim descriptis. Sic *Spec. perf.*, cap. 88 (ed. Sab. p. 178, lin. 8) in L scriptum erat: *exntes*, quod in *existentes* an *exeuntes* resolverent, haesitarunt Bollandistae. Vox *nihil* contracta erat *nl'* (*Actus*, cap. 46, v. 7); *respectu* bis erat *r*ᵘ (*Actus*, cap. 25, v. 13); pro *persona* legebatur *p*ᵃ (*Spec. perf.*, cap. 27 [p. 56, lin. 19]); vocabula *et sic* bis erant contracta *etc*. (*Spec. perf.*, cap. 38 [p. 69, lin. 21]; cap. 108 [p. 216, lin. 12]), et pro *sua* (*Actus*, cap. 9, v. 68) positum erat signum quod S litterae erat simile valde. Pluries etiam in apographo scribitur: *primo* (*a*) pro *illo* (*a*) et *quotidie* pro *continue*, quae in archetypo *i'* (*i*ᵒ) et *co*˜ fuisse descripta iure aestimaveris. Quin etiam in locos videtur incidisse codicis Brux. 7771-2 amanuensis, ubi archetypi litteras ne explicare quidem potis erat; quarum proinde vacat spatium nisi a secunda vel tertia manu fuerit completum. Sunt autem: *habere s....* [ibi?] *psalterium* (*Spec. perf.*, cap. 4, lemma). — *eisdem......* [supple: *Et quia*] *saepe dicebat* (cap. 4 [p. 13, lin. 2]). — *dico vobis.....* [supple: *quod*] *hunc Sanctum* (cap. 43 [p. 77, lin. 14]). — *virtute* [*liniri;* 2ª manu suppletum] (cap. 54 [p. 88, lin. 2]). — *extendite* [*tobaliam;* 2ª manu] (cap. 66 [p. 124, lin. 15]).

Sunt et alii loci in cod. Brux. 7771-2 ubi secunda manus solummodo emendavit quae prima manu fuerunt descripta. Quae quum nullius paene sint momenti omittere ratus sum.

De codicis L indole deque eius cum aliis codicibus cognatione disserendum erit in Elencho eiusque prolegomenis.

V.

COD. ANTVERPIENSIS AN. 1472.

(Sign. **A**).

Summatim eundem descripsit SABATIER, *Collection*. t. I, pp. CCII, CCIII, CCIV-CCV; t. IV, pp. XXXIX, XLIII, XLVII-XLVIII. Cf. *ibid.* p. 193, n. 2; p. 195, n. 1; p. 197, n. 1; p. 225 sqq. — Cf. *Act. SS.*, Oct., t. II. p. 551

n. 28 et 32. — *Anal. Boll.*, t. XIX. (1900), p. 120. — FIERENS, *Les origines du Spec. perf.*, p. 357 (18).

Codex hodie deperditus tanta olim diligentia a priscis Bollandistis fuit excussus atque excerptus, ut tota fere eiusdem facies, quantum quidem ad rem attinet nostram, possit restitui.

Quae in eo fuerunt descripta liquet e cod. 157, fol. 3.

Manuscriptus Antverpiensis FF. Minorum. — Scripta sunt an. 1472.

a] *Vita Francisci patris Minorum.* [*Est Bonaventurae*].

b] *Actus eiusdem et sociorum eius cum quibusdam aliis.*

c] *Item regula Fratrum Minorum.* [*Est regula secunda cum bulla Honorii*].

d] *Qualiter ordo Carthusiensis incepit.* [*Sicut patres nostri narraverunt. In fine: Anno milleno quarto quod sunt bene penses, Ac octogeno sunt orti Carthusienses*].

e] *Consolatio pro tentatis vel in tentatione constitutis.* [*Aliqui per cordis pusillanimitatem*].

f] *De scrupulositate et quaedam devota metra.*

g] *De conformando voluntatem nostram voluntati divinae.*

h] *De corporis et animae miseria.* [*O vita quae tantos decepisti. Videtur sermo Augustini vel Ambrosii*].

i] *Hubertinus in libro Arboris vitae crucifixae Iesu Christi.* [*Ad sustinendum tranquilliter inimici prosperitatem*].

j] *Ex libello qui dicitur Regula beatae vitae de Passione Domini quatuor capitula.* [*Eya . . . . . Dei, homo Dei*].

k] *Quaedam specialia pertinentia ad poenitentiam.*

Sit tibi potus aqua, cibus aridus, aspera vestis, dorso
Virga, brevis somnus, durumque cubile, flecte
Genu, tonde pectus, nuda caput orans
Haereat os terrae, mens coelo, lingua loquatur
Cor dictet, sit larga manus, ieiunia crebra.
Sit tibi mens humilis, simplex oculus, caro pura.
Ut valeas esse monachus tibi crede necesse:
Rostrum porcinum, dorsum tibi fac asininum,
Osque columbinum, cor ovininum, crusque beninum [?]
Mens nisi sit pura non prodest regula dura.

E libellis supra numeratis solus superest qui b littera signatur, ex eoque habemus verbotenus exscripta:

Cap. 39m = *Actus*, cap. 68 (cod. 156, fol. 60-60v).
Cap. 41m = » cap. 69 (» » fol. 60v-62v).
Cap. 49m = » cap. 53,v 7-11 (cod. 156, fol. 62v-63).
Cap. 63m = » cap. 70 (» » fol. 37-37v).
Cap. 75m = *Spec. perf.*, cap. 37 (» » fol. 38).
Cap. 80m = *Actus*, cap. 67 (cod. 156, fol. 66).
Cap. 83m = Fragmentum ex *Leg. aurea* (cod. 156, fol. 65), cui statim adnectitur subscriptio (quae denuo exarata fuit cod. 156, fol. 49) piumque amanuensis suspirium:

Expliciuntur quaedam notabilia, valde devota et utilia, extracta de (fol. 49 (1) add. *quadam*) *antiqua legenda sanctissimi patris nostri Fran-*

(1) Et in *Act. SS.*, Oct. t. II, p. 551, n. 32.

cisci. Ad laudem D. N. I. Christi, qui est benedictus in saecula. Amen. Anno Domini m. cccc. lxxij, duodecima die mensis Augusti, Clarae sanctae virginis in festo.

O Francisce pater, ut ab inferno rogo salver,
Cum sis exemplar, quo vivam crimine liber.
O Francisce, Deum pro nobis omnibus ora,
Ut, Francisce, rogo, te rege salver ego.

Statim post Actus in codice adscriptae erant piae nonnullae sententiae de humilitate, patientia, paupertate et obedientia, cum nota foliorum in quibus talia virtutum exempla a S. Francisco data memorabantur. Sententias illas verbotenus exscriptas habes cod. 157, fol. 1-1v hoc ordine.

Ex ms. Antverpiensi in fine post Actus sociorum.

De humilitate Francisci potest veraciter dici . . . . Exemplum folio scripto numero tali xv [In nostro codice est cap. 10 Actuum], lxxiij [in nostro est cap. 36 Speculi], cix [in nostro est cap. 2° Speculi § *25].*

De patientia . . . . . . Exemplum de patientia Francisci folio cum tali numero lxxxiiij [in nostro est cap. 37 Actuum].

De paupertate. . . . . . . Legitur de s. Francisco folio tali numero signato Ciij [in nostro est Speculi, cap. 2 § *4] Cviij [in nostro Speculi cap. 2* § *19] Cxvj [in nostro est cap. 2 Speculi* § *20].*

De obedientia . . . . . . Folio tali numero notato v [id nostro est cap. Actuum 2]. Item xxij [in nostro est cap. 8 Actuum]. Item xl [in nostro est cap. 32]. Item Cxij [in nostro est cap. 4 Speculi § *1] Cxiij [in nostro est cap. 4 Speculi* § *2].*

E quibus deprehendere fas est quibus in codicis A foliis descripta erant haec capitula, scilicet:

Cap. 2^m^ =	*Actus*	2 —	fol. 5.	Cap. 69^m^ =	*Spec. perf.*	5 —	fol. 104.
Cap. 8^m^ =	»	10 —	fol. 15.	Cap. 71^m^ =	»	20 —	fol. 108.
Cap. 12^m^ =	»	8 —	fol. 22.	Cap. 74^m^ =	»	26 —	fol. 109.
Cap. 24^m^ =	»	32 —	fol. 40.	Cap. 76^m^ =	»	39 —	fol. 112.
Cap. 46^m^ =	»	21 —	fol. 73(1)	Cap. 77^m^ =	»	40 —	fol. 113.
Cap. 52^m^ =	»	37 —	fol. 84.	Cap. 81^m^ =	»	21 —	fol. 116.

Quae cod. A habebat Speculi perfectionis et Actuum capitula, quo ordine etiam erant disposita, indicatur binis tabulis in cod. 156, fol. 49 et 103 descriptis. Priorem egregie edidit notisque illustravit Sabatier (*Collection*, t. IV, p. XLVII-XLVIII; cf. Corrigenda, *ibid.* p. 271) et denuo nos curabimus, alio sane ordine dispositam, infra in Tabulis collativis. Alteram tabulam, quum eodem ac prior redeat, negligimus.

Lectionum quibus A discrepat a cod. L invenies indicem prolixam satis in cod. 156, fol. 41-48; easdem tamen haud parum auctas in cod. Brux. 7771-2. Quas quidem magnam partem in Elencho collegimus, in cuius prolegomenis etiam disserendum erit de codicis A natura atque de eius cum aliis codicibus cognatione.

(1) Certe hic error irrepsit in cod. 157, fol. 1, ubi scriptum est: « Lxxiij [in nostro est cap. 36 Speculi] ». Ex coniectura substitui: *Spec. perf.* cap. 46. — Codicem A formae fuisse « in parvo folio » iam monui in descriptione cod. Brux. 7771-2 ad fol. Bv (cf. supra pag. 308).

VI.

Cod. Bruxellensis an. 1549.

(Sign. **B**).

Disseruit de hoc codice egregie valde Sabatier, *Collection*, t. I, pp. cciii, ccv, ccvi-ccvii; t. IV, p. xlix. — Cf. *Acta SS.*, Oct. t. II. p. 551, n. 28 et 32. — *Anal. Boll.*, t. XIX, pp. 119-120, 121. — Fierens, *Les origines du Spec. perf.*, p. 352 (13), not. 1.

Quae codici nunc perdito inerant descripta sunt cod. 156, fol. 32:

Ms. Bruxellensis Fratrum Minorum.

a] *Speculum perfectionis status Fratrum Minorum* [*per 125 capita. — 1*[m] *Quomodo b. Franciscus respondit ministris. — 125*[m] *Qualiter benedixit civitati*].

b] *De montis Agutuli Castri domino, sancto viro, et igne super apparente ante mortem cuiuslibet de genere domini Castri.*

c] *Item de tunica s. Francisci, quam dominus Castri praedicti cum cautela acquisivit a s. P. Francisco.*

d] *De duobus fratribus nostris martyrizatis.*

e] *Item de doctore quodam gentili martyrizato cum suis discipulis.*

f] *Actus quorundam mirabilium b. Francisci ac sociorum eiusdem primorum* [*per capita Lxiv. — 1*[m] *Qualiter b. P. Franciscus conformis exstitit. — 64*[m] *De tribulatione ordinis*].

g] *Paradisus aurearum rosarum beatissimi patris nostri Francisci.* [*Ad habendam aliqualem notitiam*].

h] *Legenda s. Francisci per Leonem, Ruffinum et Angelum.* [*Franciscus de civitate Assisii*].

i] *De salutari doctrina s. Francisci qua omnes generaliter informavit.* [*Sunt 40 capita verbotenus ex Pisano lib. 1, Conform. 12, a fol. 177 ad 187*].

j] *De Actibus sociorum s. Francisci et 1*[°] *de conversione fr. Bernardi etc.* [(In margine): *Hic varia sequebantur de provinciis et fratribus quae fere sunt in Pisano; non tamen contuli*].

In capite folii ad laevam Bollandista adnotavit:

Liber est recenter scriptus in charta in 4[°] *anno 1549 per fratrem Gregorium Estor.* Quod quidem collegisse videtur ex inscriptione quam amanuensis post ultimum Speculi perfectionis exaravit capitulum (cod. Brux. 7771-2, fol. 113v): *Explicit speculum perfectionis status fratrum minorum anno Domini 1549, Augusti 9 die, in profesto s. Laurentii martyris* (cf. *Elenchus*, n. 397), et ex narrationibus in Appendice descriptis quibus initium est: *Ego fr. Gregorius Estor qui hunc librum scripsi, etc.*

Ad b, c, d, e in margine adscripsit Bollandista: *Habeo descripta.* Nos ea infra posuimus in Appendice. Aliud e cod. B descriptum fuit fragmentum de fr. Rufino, de quo iam egimus supra sub I (pag. 305).

Capitula Speculi perfectionis et Actuum quae erant in B, brevi formula indicantur cod. 156, fol. 101v, ubi confertur cum cod. Heriberti.

Collatio Heriberti cum ms. Bruxellensi. — Nihil deest Heriberto ex Bruxellensi quod ad Actus vel Speculum facit, nisi Canticum solis quod [B] *habet latinum. Bruxellensi desunt ex Heriberti Actibus Cap. 65. Est tamen in Bruxellensi mutatis verbis. Caeterum in omnibus conveniunt.*

Ex iis quae hucusque de codice B protulimus haec intellegas: — 1° Tum quod ad *Spec. perf.*, tum quod ad *Actus* attinet idem in B fuit capitulorum ordo ac in L et in editione a Sabatier curata. — 2° B integrum habuit *Speculum perfectionis*, attamen per capitula 125 distinctum. Interpolationem enim post cap. 71^m positam propria ornavit nota (cf. cod. Brux. 7771-2, fol. 81 = *Elenchus*, n. 226). Canticum solis (cap. 120) lingua italica prius, dein etiam latino exhibuit idiomate; soli tamen priori addidit numeri notam (cf. *Elenchus*, n. 384). — 3° In *Actibus B. Francisci* B omittit capitulum quod in L fuit 65^m (= *Actus*, cap. 63, v. 4-6). Addidit Bollandista: *Est tamen in Bruxellensi mutatis verbis*, quae verba referas oportet ad *Spec. perf.*, cap. 82 (ed. Sabatier, p. 161, lin. 12ss). — 4° Quum B capitula 64 numeraverit, consequens est uno eum comprehendisse titulo *Actus*, cap. 62 et 63, v. 1-3; et simul ex hoc intellegitur lemma quod praefixit *Actus*, cap. 1, v. 10 (cf. *Elenchus*, n. 409) nota caruisse.

Lectiones quibus variat B a codice L descriptae sunt in cod. 156, fol. 102-102v, ubi tamen perpaucae — sunt 47 numero — praebentur (1). Innumeras vero ex eodem codice B reperire est in Brux. 7771-2 et magnam quidem partem exscribuntur infra in Elencho. Neque opineris paucissimas illas lectiones in cod. 156 memoratas ad alterum fortassis referendas esse codicem, Bruxellensem nempe an. 1502 (cf. cod. 157, p. 377 sqq.). Nam quae in cod. 156 l. c. sunt descriptae, omnino consonant iis quae exhibet cod. Brux. 7771-2. Quod paucis demonstare sufficit exemplis:

Cod. 156, fol. 102-102v scribitur: *Spec. perf.*, cap. 10: *carbanatam vel carbanariam* (= *Elenchus*, n. 33); — cap. 68: *et misericorditer donata* (= n. 214); — cap. 109: *bladiquini* (= n. 347). — *Actus*, cap. 9: *Montis Ferrei* (= n. 478); — cap. 13: *scissoria* (= n. 512); — cap. 15: *Sethoniae* (= n. 528); — cap. 16: *Sensannium* (= n. 539); — cap. 20: *caricis* (= n. 561). — cap. 29: *Sardiniam* (= n. 617); — cap. 29: *sabulinis* (= n. 625); — cap. 52: *Magliani de custodia Firanni* (= n. 722). Quae fuerit causa qua in cod. 156 tam paucae adnotatae fuerint lectiones e cod. B, licet innumerae essent notandae, me fugit.

Alia quae sunt de codicis B indole atque natura discutiuntur in Elenchi prolegomenis.

VII.

Cod. Dusseldorf B 85.

Landes-und Stadt-Bibliothek.

(Sign. **D**).

Memoratur *Anal. Boll.*, t. XXI, p. 444.

Codici chartaceo saec. mediante XV exarato insunt folia 131 bipartita (0^m 213×287), recenti manu numeri distincta notis; lineae

(1) Ex hoc in errorem abducti fuerunt Sabatier, (*Collection*, t. I, p. CCVII; t. IV, p. XLIX) et Fierens (*Les origines du Spec. perf.*, p. 352 (13), n. 1) asserentes lectiones codicis B nihil fere abscedere a codice L.

30-42. Sunt folia hoc ordine colligata: fasciculus 1 constat foliis 8 quorum ultimum fuit resecatum; sequuntur fasciculi 2-14 dena habentes folia; 14° tamen desunt 7 folia; accedit demum folium unum membraneum. In codicis praesertim initio folia umore sunt attrita. Tegumentum e corio est confectum, tabulis ligneis duabus adglutinato. Fol. 1 (manu saec. XVII): *Servio Conventui B. M. Pacis ord. S. Crucis,* et in codicis fronte antica: *De maria pacis* (1). Fronti vero superiori inustum erat sigillum, crucis (✠) habens formam, quod et in aliis codicibus et libris ex eodem monasterio oriundis deprehenditur. Una manu totus videtur exaratus codex, modo minori, modo maiori litterarum usa formis, modo etiam atramento pallidiori, deinde atro. Quae alterius manus adsunt vestigia fol. 25v et 42v nullius sunt momenti. Tituli minio exarati sunt ab ipso amanuensi, qui et utitur ortographia: *ewangelium, swaderent, scobare,* etc.

1. (Fol. 1-7d). [Henrici de Hassia, « studii Wiennensis fundatoris » libellus *De proprietariis monachis et monialibus*].

Alii codd. mss. ap. F. Roth, *Zur Bibliographie des Henricus Hembuche de Hassia dictus de Langenstein* in Beihefte zum Centralblatt für Bibliothekswesen, Bd. I (1888-89), p. 101.

2. (Fol. 8a-62b). Incipit speculum perfectionis status fratrum minorum,

Est integer libellus cum sua capitulorum tabula (fol. 8a-10a) prologum inter et capitulum 1^m^ descripta (cf. *Elenchus,* n. 1). Nec in ipso contextu nec in tabula invenitur divisio in capitula XIII maiora; singula vero lemmata suo quodque ordine ornantur nota ab I usque ad CXXIV. Quae ad libelli pertinent naturam atque proprietates infra reposui in Elencho eiusque prolegomenis.

3. (Fol. 62c-80c). [Legenda trium sociorum]. = *BHL.* 3114.

Describitur capitulorum tabula fol. 62c-d in capitula XIX divisa, una itaque ab editis discrepans nota. Quae enim ibi exstant ante capitulum 1^m^, in codicis tabula titulo gaudent proprio: *i. De quibusdam scriptis per tres socios beati Francisci.* Eandem divisionem habes in ipso legendae contextu, ubi tamen capituli 1 lemma desideratur.

In iis quae legendae praemittuntur haec ab editis distant: *Haec sunt . . . . . conversione* (ed. Boll. *conversatione*). . . . *Cum de mandato Christi,* (edd. Amoni et Faloci Pulignani: *de mandato proximi*) *praeteriti capituli. . . . . qui plura de his habuit. De eodem* (ed. Boll. *habuit de eodem;* edd. Am. et Fal. *habuit ab eodem*) *sancto fr. Aegidio. . . . continuantem* (ed. Am. *continuatim;* ed. Fal. *continuatam*) *historiam . . . . . praeterissent nisi saltem* (ed. Am. *qui saltem;* ed. Fal. *quin saltem*) . . . *anno Domini M° cc° xl° vij°* (edd. Am. et Fal. *Mccxlvi*). — Inc. cap. I (D cap. II, fol. 63b): *Franciscus de civitate Assisii. . . . . Hic postquam fuit adultus* (ut in edd. Boll. et Fal.). — Des. cap. XVIII (D cap. XIX. fol.

(1) De conventus Mariapacis prope Dingden (Westfalia) historia cf. *Repertorium für Marienfrede,* quod manu scriptum asservatur Dusseldorpii (Staatsarchiv). Inde ab anno 1444 erat conventus Fratrum S. Crucis, antea vero Augustiniensium. Multa ex isto *Repertorio* humanissime mecum communicavit R. P. Fr. Hyginus Frenz, O. F. M., cui iteratas heic liceat agere grates.

80c) *ut ad coelestem gloriam pervenirent. Amen* (ut in ed. Boll.; cf. *BHL.* 3114). His immediate adscribitur: *Expliciunt miracula cum vita beatissimi patris Francisci scripta ad honorem D. N. I. Christi et gloriosae virginis Mariae matris eius. Deo gratias.*

4. (Fol. 80c-123c). Incipiunt actus quidam mirabiles b. Francisci et sociorum eius primorum.

Praemittitur capitulorum tabula (fol. 80c-81b) distincta per capitula LXXII. Ultimum quod ad *Actus* pertinet capitulum est *De tribulatione ordinis. lxij,* cui adiunguntur, continuata notarum serie, aliorum opusculorum lemmata, quorum postremum est *De reverentia corporis Domini et de munditia altaris. lxxij. Explicit tabula.*

Quae ad ipsum libelli respiciunt contextum in Elencho eiusque prolegomenis persequuntur. Unum id animadvertas velim, capitulorum in Actibus notas uno ab editis differre numero; quod enim apud Sabatier capitulum notatur 1[m] in D est 2[m]; et sic deinceps (cf. *Elenchus,* n. 400). Capitula denique quae sunt apud Sabatier 61[m], 62[m] et 63[m] uno ornantur titulo (cf. Elenchus n. 770, 775).

5. (Fol. 123c-129d) [Opuscula s. Francisci commonitoria].

Fusiori descriptioni supersedendum ratus, summatim opuscula indicabo, locis parallelis ex editione quam curavit Boehmer adnotatis, servataque quae in codice fit per titulos distinctione. Sunt autem: *Admonitiones* §§ 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24 + 25, 26, 27, 28 (ed. Boehmer, *Analekten zur Gesch. des Franciscus von Assisi,* editio maior, Leipzig 1904, p. 41-49). — *Epist. ad omnes fideles* § 1-10, 11, 12 (ed. Boehmer, p. 49-57). — *Epist. ad capitulum generale* (in cod. fol. 127c est lemma: *Testamentum beati Francisci*), quae inscribitur: *fratri N. generali ministro* (ed. Boehmer, p. 57-62). — *De reverentia corporis Domini et de munditia altaris* (ed. Boehmer, § I, p. 62-63). — *Laudes de virtutibus* (ed. Boehmer, p. 64-65).

6. (Fol. 129d-130a). Exemplum.

Est *Actus,* cap. 66; cf. *Elenchus,* n. 785.

7. (Fol. 130a-c). Ex Speculo historiali lib°. *xxxi° ca. cvij*[m].

Est narratio de S. Francisco, quae exstat ap. Vinc. Bellov., *Spec. historiale* (ed. Duaci 1624), lib. 30 (al. 31), c. 107; (cf. *BHL.* 3129). Inc. *Per civitates et castella. . . . .* Des. *a viris fide dignis accepimus. Laus Deo.* — Statim adscribitur: *Explicit liber tertius de actibus quibusdam mirabilibus beati Francisci et sociorum eius primorum.* Notatum velim in codice inveniri partitionem in libros tres (Lib. I = *Spec. perf;* lib. II = *Leg. 3 Soc.;* lib. III = *Actus b. Francisci*), quae etiam inveniebatur in codice L; cf. supra pag. 312.

VIII.

Cod. Haganus 73 H 35 (olim K 54; Trai. ad. M. 452). Bibliothèque royale. La Haye.

(Sign. **H**).

Huius codicis iam meminerunt *Anal. Boll.,* t. VI, p. 171. — *Miscellanea Francescana,* II (Foligno, 1887), p. 96. — A. J. Flament, *Catalogus der Stadsbibliotheek van Maastricht,* t. I (Maastricht, 1888), p. lxxi sq. — Sabatier, *Collection,* t. IV, p. xliii-xlv; cf. p. 225 ss. — Fierens, *Les origines du Spec. perf.,* p. 356 (17 sq.). Nec dubium est quin eundem

spectent codicem O. A. SPITZEN, *Nalezing op myn Thomas a Kempis* etc. (Utrecht, 1881), p. 43. — V. BECKER, S. I., *L'auteur de l'Imitation* etc. (La Haye, 1882), p. 225.

Chartaceus, foliorum 215 (A, B, C, 1-212 recenti manu, neglectis quae exciderunt foliis), ligatus duabus tabulis corio coopertis subfusco; tabulae, corium et charta a tineis laesa; dorsum et clausura avulsa. Folia sunt 0ᵐ112×158, lineas habent plerumque 30. Deest folium unum inter fol. 50 et 51, unum inter fol. 54 et 55, duo inter fol. 71 et 72, unum inter fol. 94 et 95, fol. 162 et 163, fol. 193 et 194, fol. 211 et 212, omnia cum textus detrimento. Inter fol. 179 et 180 olim adglutinatum erat, ni fallor, folium in quo depicta erat imago S. Francisci discolor, Christi Stigmata recipientis, cuius vestigia humore, ut fieri solet in codicibus, translata manent in summo fol. 180. Signantur folia ab ipso amanuensi *j a 1-5* usque ad *j h 1-5* (fol. 1-74), *m 1-5* usque ad *n 1-5* (fol. 75-94), *j i 1-5* (fol. 95-103), *a 1-6*, *b 1-6*, *c 1-5* usque ad *l 1-5* (fol. 104-211). Fol. 212 est insiticium. E quibus liquet ea quae in codice descripta sunt fol. 75-94 (Verba fr. Aegidii et Historia quinque Martyrum FF. Minorum) revera exarata fuisse post folium quod est in codice 211ᵐ.

Descriptus est una manu eaque nitida fratris Ioannis Traiecti, laici, pro conventu Fratrum Minorum in Limburg, prisci ducatus Nassoviae oppido, prope flumen quod Lahne vocatur (1). Legitur enim fol. Cʳ: *Istud devocionale conscripsit fr. Iohannes traiecti laycus pro conventu lympurgensi et erit finaliter pro choro et pro communitate fratrum. Oretur deus pro anima eius. Maestricht.* Proprii nominis initiales litteras et locum ubi codicem descripsit fr. Ioannes semel atque iterum materna lingua depinxit, nempe fol. 5 et 71 ubi invenies: *B*[rueder] *J*[an] *V*[an] *Maestricht,* quibus additur fol. 71 (post Actus): *la*[icus]. Fol. 89v vero scripsit: *Anno domini 1.4.9.3. Maestricht.* Exaravit itaque frater Ioannes codicem habitans in conventu Fratrum Minorum Traiecti ad Mosam (Maastricht) (2) ad usum vero conventus Limburgensis tam pro choro (3) quam pro communitate. Postea videtur codex transiisse in usum infirmorum, nam fol. A inscriptum est: *Pro Infirmaria conventus lem*[purge]*n maneat.... nemo inde tollat sine licentia.* Usi sunt codice dein diversi homines.

(1) De hoc conventu cf. WADDING, *Annales,* t. VI (Lugd. 1648), ad. an. 1464, n. LII. A. KOCH, *Die frühesten Niederlassungen der Minoriten im Rheingebiete* (Leipzig 1881), p. 85. P. SCHLAGER, O. F. M., *Beiträge zur Geschichte der Kölnischen Franziskaner-Ordensprovinz* (Köln 1904), Registrum i. v. Limburg.

(2) Ibidem obiit an. 1520 die 12 Martii. In libro enim recommendationis conventus Fratrum Minorum Mosaetraiectensis, qui manu scriptus servatur in tabulario nostri conventus Werthensis (Weert), hoc profertur elogium ad diem 12 Martii: *Anno Domini 1520 obiit praedilectus frater noster fr. Joannes Traiecti, alias de Amy, Laicus, Dispensator fidelissimus.*

(3) Codicem olim usui fuisse destinatum chorali liquet e *Legenda quinque Martyrum* (fol. 90v-94v), in qua pluries interpunctionis reperitur nota, quae « flexa » olim appellabatur. Alia tamen, ut videtur, adscripta fuit manu. De huius flexae indole eiusque usu scite pro more suo disserit H. DENIFLE in *Zeitschrift für katholische Theologie,* t. VII (1883), p. 706-43.

Folio quod post fol. 212 ligaturae tabulae adglutinatum est inscribitur: *Detur fratri Ioanni Orbach de licentia Guardiani pro commoditate,* et fol. A: *Ioannes Peranus est possessor huius libri. Anno 1607,* cui alia manus subiunxit: *modo fr. Joannes Lamberti crucifer Traiectensis.* Ex quo patet codicem e Limburgensi conventu interim Traiectum ad Mosam remeasse. Quae vero ei inde ab anno 1801 acciderint ex parte magistratus Reipublicae Gallicae, quomodo etiam casu fortuito cum aliis codicibus permultis anno 1839 detectus sit et Hagam Comitis (La Haye) deinde transmissus, legere est apud A. J. Flament, *l. c.,* in Voorbericht et Bijlagen XVI et XVII (p. LV ss.) sub n. 452.

Capitulorum lemmata atramento sunt descripta; minio tamen iisdem subducta est linea. Pauca solummodo verba minio depicta sunt, idque ipsius amanuensis manu; quod praecipue fit in summis quibusque foliis rectis, ubi diversae pro diversa libellorum indole depictae fuerunt inscriptiones. Ex his singularem animae postulant attentionem solae illae quae habentur fol. 6-71. Iam enim fol. 6 inscripsit miniator *Actus sociorum,* licet ipse libellus exordiatur inde a fol. 7; ast fol. 5-6 v iam exaravit tria capitula quae ex ipso Actuum libello eiecit, uti mox dicetur. Deinde fol. 51 inscriptionem depinxit aliam sc. *De sancta Clara;* ceteris foliis (7-50 et 52-71) recte inscripsit: *Actus sociorum.*

1. (Fol. 1-3 v). Incipit regula et vita Fratrum Minorum edita a B. Francisco, confirmata a Domino Papa Honorio.

Est regula anni 1223 pluries edita.

2. (Fol. 3 v-5). Incipit testamentum Bb. P. N. Francisci.

Editum ap. Boehmer, *l. c*, p. 36-40 et pluries alibi. Praecipua qua variat ab editis lectio est: (fol. 4 v) *Salutationem mihi Dominus revelavit ut dicerem: Dominus det tibi pacem. Praecipio firmiter fratribus universis, ut ecclesias et habitacula paupercula quae pro ipsis construuntur, quod penitus non recipiant ea, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem...* (Cf. cod. U[1] fol. 140d, infra pag. 327). Vide ap. Boehmer, p. 38, n. 6-7.

3. (Fol. 5-6v). Spec. perf., cap. 1 et 2; Actus, cap. 70.

Cf. quae mox dicentur sub n. **4,** litt. c). — Lemmata et lectiones horum capitulorum vide in Elencho suis locis.

Quae folii 6 supererant lineae 11 impletae fuerunt nonnullis S. Scripturae et SS. Patrum sententiis de peccatorum conversione Deo grata, sub lemmate: *De misericordia Dei.*

4. (Fol. 7-71). Incipiunt actus sanctorum sociorum S. P. Francisci prout ab eisdem successoribus revelatum est. De perfecta conversione et expropriatione fr. Bernardi ad praedicationem S. Francisci. Primum capitulum.

Quae de hoc libello dicenda sunt vide infra in Elencho eiusque prolegomenis. Quibus vero ibidem non est locus, hic oportet persequi.

a). Evulsum fuit folium unum inter fol. 50 et 51, ita ut *Actus,* cap. 40 abrumpatur in medio v. 13 (*lacrymis exhortantes roga*), in summo vero fol. 51 incipiat *Actus,* cap. 42: *Qualiter b. Clara* etc. Quidnam folio exciso praeter ea quae desunt *Actus,* cap. 40 inscriptum fuerit, me fugit. Suspicor amanuensem *Actus,* cap. 41 ibidem exscripsisse integrum, quo quidem ipsum folium, spatium inquam 60 linearum, impletum fuisse

in promptu est, si codicis scripturam cum exemplari comparaveris typis expresso. Quibus et favet capitulorum ordo in cod. Lovaniensi 174 (1) qui Hagano nostro simillimus est, in quo capitula hoc ordine fuerunt disposita: *Actus,* cap. 40, *41,* 42, 43; 44. In cod. vero Hagano habentur *Actus,* cap. 40 (mutilum), [?], 42, 43, *41,* 44. Quodsi in Hagano deesset cap. 41, nihil relinqueretur dubii; nunc vero adest, loco licet a cod. Lovan. 174 diverso. Sola igitur manet coniectura, amanuensem bis exscripsisse *Actus,* cap. 41, sive ex errore proprio, sive quo usus est archetypi, eumque vel alium quempiam, errore postea detecto, folium evulsisse. Cf. quae mox dicentur sub c.

b). Iterum evulsum fuit unum folium inter fol. 54 et 55. Desinit fol. 54 v: *sentiebamus vocalis soni* | (*Actus,* cap. 40 v. 10), incipit fol. 55: | *tiplicia contulit* (*Actus,* cap. 49 v. 11). E minutissimo quod folii excisi superest fragmento, ex collatione etiam cod. Hagani cum cod. Lovan. 174, ex codicis tandem Hagani scriptura cum exemplari typis expresso comparata, sine dubio affirmari poterit, in folio exciso olim fuisse descripta *Actus* cap. 46 v. 10 (partim), cap. 48 (integrum) et cap. 49 v. 1: usque ad v. 11: *refugia insuper multi* |

c). Fol. 65 amanuensis in capitulis numerandis a capitulo quod est ordine 64^m (= *Actus,* cap. 64) transsilit ad capitulum 69^m (= *Spec. perf.,* cap. 14) omittens itaque quatuor notas. Cui errori occasionem videtur dedisse, quod amanuensis in suo archetypo post capitulum 64^m invenerit *Spec. perf.* cap. 1 et 2, quae tamen iam descripserat extra libelli, illa relegans ambitum (cf. supra sub n. **3**). In cod. enim Lovan. 174, non semel iam laudato, revera hoc in loco *Spec. perf.,* cap. 1 et 2 descripta invenies. Quodsi subtilius — utique per coniecturam — inquirere velimus, cur q u a t u o r omiserit amanuensis noster numeri notas, licet hoc loco duo tantummodo omiserit capitula, hanc fortasse causam fas erit assignare: Si capitulorum ordinem codicis Hagani, contuleris cum cod. Lovaniensi 174, ac simul inspexeris quae sub a) dicta fuerunt, suspicari licet cod. Hagani amanuensem inde a capitulo quod 69^m notavit, ad literam numeri notas e suo archetypo transumpsisse. Hucusque enim tres saltem omisit capitula quae exstant in cod. Lovan. 174, scilicet *Actus,* cap. 70 (quod est in Lov. ordine 38^m) et *Spec. perf.,* cap. 1 et 2 (in Lov. ordine 66^m et 67^m). His adde, uti iam vidimus, in folio quod inter fol. 50 et 51 evulsum est, descriptum fuisse aliud capitulum, cuius tamen nobis ignota est indoles.

5. (Fol. 71-71v). [Narratio de S. Dominico et S. Francisco].

Inc. *Quidam frater minor qui multo tempore* — Des. *mandaverunt perpetuo observari.* — Ex *Legenda aurea* (ed. Graesse, Vratislaviae 1890), Cap. 113 (108), p. 470. Cf. Ger. de Fracheto, *Vitae FF. Ord. Praed.,* lib. I, c. 1, § 4 (ed. Reichert in *Monum. Ord. Fr. Praed. historica,* t. I, Lovanii 1896, p. 9-11); *Miscellanea Francescana,* IX (1902), p. 13-15; *Act. SS.,* Oct. t. II, p. 605, n. 313 sqq.; p. 877, n. 67 sqq.

6. (Fol. 71v). Exemplum [de S. Dominico].

Ex *Legenda aurea,* ed. cit., p. 477. Cf. Ger. de Frach., lib. II, c. 15 et 16 (ed. cit., p. 77-78). Inc. *Quadam vice dum vir Dei Dominicus.* — Des. narratio mutila avulso folio: *per mensas saliens, plus et minus.*

---

(1) Quem diligenter descripsit D. Germain Morin, O. S. B., in *Revue Bénédictine,* t. XVI (1899), p. 211-217. Cf. Sabatier, *Collection,* t. IV, p. xxxviii-xliii.

7. (Fol. 72-72v). Hieronymus ad Eustochium.

Sunt minutatim excerpta e S. Hieronymi Epistula 22, quorum initium et finis exstant ap. MIGNE, *Patrologia latina*, t. XXII, col. 398, n. 6 in fine, et col. 417, n. 29 in fine. — Inc. *Quia impossibile est.* — Des. *plagas sensisse post somnia.* — Fol. 73 et 74 vacant.

8. (Fol. 75-89v). Incipiunt aurea verba S. Aegidii ordinis Fratrum Minorum. = *BHL.* 89.

Deest prologus.

9. (Fol. 90-94v). Prologus in legendam SS. Martyrum quinque Fratrum Minorum. = *BHL.* 1170.

Divisa est passio in 9 Lectiones. Abrumpitur lectio IX folio evulso: *beatus Franciscus ob fervorem martyrii (Act. SS.,* Ian. t. II. p. 69, n. 24).

10. (Fol. 95-103). [De Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis].

Sunt diversi generis monumenta, sc. Oratio *Ave Ss. Maria, mater Dei* (paullo fusior ap. BOURASSÉ, *Summa aurea de laudibus Bb. V. Mariae,* t. X, Parisiis 1862, col. 701). — Bulla Concilii Basiliensis an. 1439 (*Summa aurea,* VII. 742-744). — S. Anselmi epistola de Conceptione B. Mariae (*Summa aurea,* VI. 547-551) fine rescisso. — Officium de Nativitate (Conceptione et Praesentatione) B. V. Mariae, intermixtis sermonibus SS. Patrum.

11. (Fol. 104-176). Incipit liber primus fr. Thomae Kempis, Ord. Regularium S. Augustini ep. De imitatione Christi et de contemptu omnium vanitatum mundi.

Sunt libri quatuor *De imitatione Christi.* Consonant cum editione quam denuo curavit C. HIRSCHE, (Berolini 1891) his exceptis: Lib. I habet 26 capitula; inseritur enim inter cap. 24 et 25 (fol. 117v): *Generalis modus formandi meditationes de regno coelorum....* Inc. *Poteris autem de coelesti ista patria similitudines sensibiles assumere.* — Des. (fol. 118): *et quicquid nolueris non habebis.* Est cap. XXIV ex opere Gerardi Zerbolt de Zutphania, *De spiritualibus ascensionibus,* editum in *Bibliotheca maxima veterum Patrum* (ed. Lugduni 1677), t. XXVI, p. 267. Cf. etiam eiusdem Gerardi opusculum *De reformatione trium virium animae,* Cap. XXIV (in *Bibl. max. vet. Patr.,* l. c., p. 245). — Liber III habet capitula 64 ex eo quod capp. 3, 15 et 27 in duas, cap. 23 in tres distinguuntur partes.

Post lib. IV exstant fol. 176-179 nonnullae orationes post Communionem.

12. (Fol. 179v). De sancto Francisco. Oratio.

Inc. *O Francisce pater sancte, | qui devotionis fuisti tantae, | quod Dominus amator te signavit | teque sibi assimilavit.* — Des. *sed ipse me deducat ad tuam sortem, | o Iesu bone per tuam mortem. | Amen.* — Constat oratio 24 versibus, extremis qui consonant syllabis; metro tamen plerumque sunt destituti. Adscriptae sunt antiphonae et orationes in honorem B. Francisci aliunde satis notae.

13. (Fol. 180-188v). Soliloquium conversi et compuncti peccatoris ad Deum in septem psalmos ab Ecclesia Romana dictos poenitentiales....

Opusculum anonymum Inc. prol. *O coeli terraeque Creator.* — Inc. *Domine ne in furore tuo arguas me, qui tam graviter te offendi.* — Des.

servus tuus sum et esse volo per gratiam quam concesseris in aeternum. Amen. Explicit. — Prospiciens per cancellos viridarium hortulanorum sanctae matris Ecclesiae lippientibus oculis, excerpsi nonnullos flores et admixtis herbis virtute prophetica plantatis, ad laudem Dei hanc insalatam confeci; cuius nomen Deus novit.

14. (Fol. 189-192v). Incipit intellectus super Oratione Dominica valde utilis.

Brevis expositio anonyma. Inc. *Pater. Thomas de Aquino: non Dominus, quia amari appetit.* — Des. *potissima ex intellectu et affectu dicenda est. Amen.* Saepius impressa fuit una cum aliis opusculis (cf. ap. Hain, nn. 1368-1374 ubi dicitur esse opusculum « alicuius docti collectoris »). Hunc fuisse Dominicanum ante canonizationem S. Thomae Aquinatis (an. 1323) scribentem asserit P. de Alva y Astorga, *Funiculi nodi indissolubilis de conceptu mentis et conceptu ventris* (ed. 2ª, Bruxellis, 1663), p. 46-48, qui etiam satis curiosa de hoc opusculo tradit.

15. (Fol. 193-193v). — De venerabili Sacramento.

Est fragmentum ex opusculo *De sacramento Eucharistiae ad modum decem praedicamentorum* quod exstat inter S. Thomae Aq. opuscula (ed. Venetiis 1497) in ordine 59um. = Inc. *Sicut enim in corpore humano.* — Avulso folio des. mutil. *difficilius in intellectu et difficultatem facit quia* (cf. ed. cit. § 5-§ 7).

16. (Fol. 194-211v). Incipit libellus mag. Thomae de Aquino, de modo confitendi et de puritate conscientiae.

Recentior manus in summo fol. 194 adscripsit: *Iste libellus non* [est] *S. Thomae de Aquino, sed s. Bonaventurae de Balneo Regio, ut testatur venerabilis doctor mag. Ioannes Gerson, cancellarius Parisiensis.* — Opusculum tamen nec est S. Thomae, nec S. Bonaventurae, sed magistri Matthaei de Cracovia, ep. Wormatiensis († 1410). Cf. *S. Bonaventurae opp. omn.*, t. VIII (Quaracchi 1898), p. cxi, n. 12. — Pluries iam editus est libellus inter S. Bonaventurae opera et alibi. In cod. desinit fine mutilo, folio evulso, initio cap. XVIII: *et duo carnalia. Cum tamen peccatum* (cf. *S. Bonav. opp. omn.* t. VII, Moguntiae 1609, p. 656 col. 1).

IX.

Cod. Utrecht N° 2, Kast 4, pl. C (olim: Med. aev. Scr. eccl. N° 181).
Bibliotheca Universitatis Traiecti ad Rhenum.

(Sign. **U**[1]).

Descriptio summaria exstat ap. [P. A. Tiele], *Catalogus codd. mss. Bibliothecae Universitatis Rheno-Trajectinae* (Trajecti ad Rhenum 1887), n. 126. — Cf. *Anal. Boll.*, t. XXI, p. 443 sq. — Memoratur etiam ap. K. O. Meinsma, *Middeleeuwsche bibliotheken* (Zutphen 1903), p. 268, n. 39. — *S. Bonaventurae opp. omn.*, t. VIII (Quaracchi 1898), p. xci, n. 85.

Membraneus, folia habens 220 bipartita recenti manu numeri ornata notis (A, B, 1-217, C). Altera manus olim notavit pagellas usque ad pag. 279 (fol. 142). Ligatus est codex duabus tabulis ligneis corio coopertis fusco. Folia sunt 0m 220×310, una manu nitido conscripta charactere, idque circa annum 1470 iudicio cl. viri W. de Vreese, in Universitate Gandavensi professoris; lineae constanter 30. Initiales litterae belle fuerunt depictae. De quarum usu fusius dicetur in

Elenchi prolegomenis. Quatuor folia ante fol. 40 resecata fuerunt. Signantur folia ab ipso amanuensi: *aj-iiij* usque ad *i j-iiij* (fol.2-69), *1a-d* usque ad *5a-d* et *6j-iiij* usque ad *9j-iiij* (fol. 70-141); *aj-iiij* usque ad *i j-iiij* et *kj-ij* (fol. 142-217). Originem revelant inscriptiones (fol. A): *liber iste pertinet monasterio Regularium in Traiecto,* et fol. C propria amanuensis manu: *Liber canonicorum regularium in traiecto* (1).

Qui in codice exstant tractatus ipse, ut videtur, amanuensis adsignavit fol. 1v, haud pauca tamen omittens, uti ex codicis patebit descriptione:

1] *Vita Martini episcopi Turonensis.*

2] *Dialogus Severi Sulpitii.*

3] *Explanatio quarundam dictionum positarum in vita Martini et dialogo Severi.*

4] *Vita Iohannis Eleemosinarii, patriarchae Alexandrinensis.*

5] *Vita Malachiae Hiberniensis archiepiscopi.*

6] *Vita humilis Francisci.*

7] *Liber miraculorum eiusdem.*

8] *Actus sociorum eiusdem.*

9] *Aurea verba fr. Aegidii socii Francisci requirantur in De actibus eiusdem Aegidii.*

Ad ea quae sub **3**, **6** et **9** descripta sunt postea redeundum erit.

1. (Fol. 2a-11c). Incipit epistola Severi Sulpitii ad Desirium de vita S. Martini (etc.) = *BHL.* 5610.

2. (Fol. 11c-14d). Epistola Sulp. Severi de obitu S. Martini episcopi ad Aurelium diaconum. = *BHL.* 5611, 5612.

Sub uno hoc lemmate exhibentur duae epistolae sc. ad Eusebium et ad Aurelium

3. (Fol. 14d-15b). Epistola Sulpitii Severi de obitu S. Martini episcopi ad Bassulam. = *BHL.* 5613.

4. (Fol, 15d-24d). Incipit dialogus Severi, Galli et Posthumiani. = *BHL.* 5614.

5. (Fol. 25b-30c). [Dialogus I, pars altera]. = *BHL.* 5615.

Deest lemma, vacat tamen pro eo spatium fol. 25b.

6. (Fol. 31a-36d). [Dialogus II]. = *BHL.* 5616.

Deest lemma.

Tres dialogos (*BHL.* 5614, 5615, 5616) praecedunt summaria earum quae in quaque parte describuntur rerum. — 1^{m} (fol. 15b-d) Inc. *Ubi Posthumianus edisserit prosperitatem navigationis.* — 2^{m} (fol. 25 a-b) Inc. *Ubi intra amphibolam* [l. *amphibalum*] *siti tunicam latenter eduxit.* — 3^{m} (fol. 30c-31a) Inc. *Ubi multitudo hominum insperata occurrit.* Typis expressa haec invenies in *Vita Martini* [Daventriae, A. Pafraet, c. 1510 (2)], sign. c.2; d.7v; e.4v-f.1.

(1) De hoc conventu « S. Mariae et XII Apostolorum » cf. I. G. Acquoy, *Het klooster te Windesheim en zijn invloed,* t. III (Utrecht 1880), p. 18-19. De eius bibliotheca cf. Meinsma, *l. c.*, pp. 150-54, 267-75.

(2) Cf. W. Nijhoff, *Bibliographie de la typographie néerlandaise de 1500 à 1540* (Feuilles provisoires), i. v. Sulpitius Severus, n. 133.

7. (Fol. 36d-37a). [S. Martini trinae Unitatis et unius Trinitatis confessio].

Patrologia latina, t. XVIII, col. 11-12.

8. (Fol. 37a-37d). Sermo Gregorii Turonensis ep. de transitu S. Martini ep. Turonorum. = *BHL*. 5619, 5620.

9. (Fol. 37d-38a). Sermo eiusdem de eo quod audivit S. Severinus (etc.). = *BHL*. 5621.

10. (Fol, 38a-38b). Sermo eiusdem de eo quod audivit B. Ambrosius (etc.). = *BHL*. 5622.

11. (Fol. 38b-39a). Sermo eiusdem de translatione S. Martini. = *BHL*. 5623.

12. (Fol. 39a-d). De sancto Brichio. = *BHL*. 1452.

Post verba *feliciter vivens annis* (*BHL*. 1452) additur in cod.: *Cui post 47um episcopatus annum defuncto sanctus Eustachius successit magnificae sanctitatis, praestante Domino* | (abrumpitur folio evulso) quae exstant *P. L.*, t. LXXI, col. 191, n. 1 in fine.

Iam monui inter fol. 39 et 40 quatuor excidisse folia. Quibus quidem inscripta fuit, ut in promptu est, *Explanatio quarundam dictionum positarum in vita Martini et dialogo Severi*, quam ipse amanuensis in summario fol. 1v descripto memoravit (cfr. supra). Quum vero de S. Brichio pauca admodum dicenda remansisse videantur (cf. *P. L.*, l. c.), pauca etiam desint prologo acephalo, qui exstat fol. 40a, opinari fas est laudatam explanationem 15 fere integras codicis implevisse columnas.

13. (Fol. 40a-67b). [Vita S. Iohannis Eleemosynarii]. = *BHL*. 4388.

Deest lemma et initium prologi Anastasii, folio abrupto. Inc. prol. *et orationes adhibens* (ap. *P. L.*, t. LXXIII, col. 339 lin. 8).

14. (Fol. 67b-68b). De B. Fulgentio Ruspensi episcopo.

Est epitome eorum quae exstant ap. Vinc. Bellov., *Speculum historiale* (Duaci 1624), lib. XX (al. XXI), cap. 104-108. — Inc. *Fulgentius natus est ex Fulgentio patre* — Des. *sermones pulcherrimos*.

15. (Fol. 68b-d). De B. Gregorio Papa tertio [sic] et confessore.

Est epitome vitae Gregorii II, quam integram exhibet *Liber Pontificalis* (ed. Duchesne, I. 396-410 ad laevas pagellas; cf. *ibid*. p. CCXXs., n. 14). — Inc. *Gregorius III* (sic) *natione Romanus* — Des. *secundo idus Februarii*.

16. (Fol. 69b-69c). Exemplum.

Ex Beda, *Hist. eccl.*, V. 13 (*P. L.*, t. XCV, col. 252-54). Inc. *Fuit quidam in provincia Merciorum* — Des. *quorum remissae sunt iniquitates et quorum etc.*

17. (Fol. 69c-d). Ex legenda Roberti exemplum.

Ex vita Roberti ab. Molismensis (*BHL*. 7265), cap. IV (*P. L.*, t. CLVII, col. 1286-87, n. 22). Inc. *Mulier quaedam* — Des *egit Deo*. Ex eodem loco depromptum est aliud exemplum, ibidem in cod. descriptum (fol. 69d) Lemma: *Aliud*. Inc. *Altera quoque mulier* — Des. *in perpetuum. Amen.*

18. (Fol. 69d-92c). Incipit prologus S. Bernardi abbatis in vitam Malachiae Hiberniensis episcopi. = *BHL*. 5188.

19. (Fol. 92c-d). [Hymnus de S. Malachia] = CHEVALIER, *Repert. hymn.*, 12000.

20. (Fol. 92c-128c). Incipit prologus in vitam humilis Francisci. = *BHL.* 3107.

Animadvertas velim inter 93 codices quibus inest *Legenda maior*, quosque recensent Patres Quaracchiani (*S. Bonaventurae opp. omn.*, VIII [Quaracchi 1898], p. LXXXVI sqq.), ac inter codices 43 *Legendae minoris* (*ibid.*, p. XCII sq.) solos duos codices Rheno-Traiectinos U[1] (fol. 1v et 92c) et U[3] (fol. 1a) locutione usos esse: « *humilis Francisci* » (1). Quam quidem familiarem fuisse Ven. Thomae a Kempis iusto iure iam observavit H. Rosweydus (*Thom. a Kempis..... de Imit. Christi ll. 4... cum vindiciis Kempensibus*, [Antverp. 1617], p. 355-356). Aptissime his cohaeret quod cod. U[1] descriptus sit in conventu Canonicorum Regularium congregationis Windeshemensis, cuius et Ven. Thomam extitisse alumnum vulgatum est. Neque obstat codex U[3], descriptus in conventu Carthusiensium Rheno-Traiectinorum, quum apographum sit immediatum codicis U[1]; quod infra probabo.

21. (Fol. 128c-140b). Incipiunt quaedam de miraculis ipsius post mortem ostensis. = *BHL.* 3109.

22. (Fol. 140b-141b). Testamentum b. Patris Francisci.

BOEHMER, *Analekten*, p. 36-39. — Praecipuae quibus codex variat lectiones sunt: (fol. 140b) *feci misericordiam cum illis*, sed in loco ubi vox *misericordiam* (cod. mîam) fuit descripta, alia abrasa est. Cod. U[3] qui est huius codicis apographum, hoc loco habet (fol. 84a): *feci poenitentiam cum illis* (cf. SABATIER, *Vie de s. François*, p. 389, not. 2, et locos ibi laudatos). — (fol. 140d) *Salutationem mihi Dominus revelavit ut dicerem*: *Dominus det tibi pacem. In habitaculis et in ecclesiis in quibus manere debemus sive sint facta sive facienda, praecipio quod firmiter ita sit, quod caveant sibi fratres ut ecclesias, habitacula et omnia alia quae pro ipsis construuntur, quia penitus non recipient ea nisi essent sicut decent sanctam paupertatem.....* (Cf. cod. H fol. 4b, supra pag. 321). Vide ap. BOEHMER, p. 38 n. 6-7.

23. (Fol. 141b-d). Exemplum de confessione.

Inc. *Duas quasdam sorores cuiusdam monasterii antiquus hostis adgressus est.* — Des. *ut terror damnatorum timorem sodalium praeberet remanentium.* Idem exemplum exstat in alio codice bibliothecae Rheno-Traiectinae (cf. *Catalogus*, n. 390, fol. 254). — Eo fine amanuensem in nostro codice hoc exemplum descripsisse patet, ut folium quod est fasciculi ultimum impleretur (cf. infra, sub XI pag. 333-334).

24. (Fol. 141d-215d). Incipiunt actus sanctorum sociorum S. Francisci prout ab eisdem fuit successoribus revelatum.

Est compilatio 114 capitulorum quorum capp. 1-83 ad amussim consonant cum cod. A quod ad ordinem quidem attinet capitulorum. Plerumque etiam ea cohaerere cum lectionibus quas habet A patebit in Elencho et in eius prolegomenis. Inter capitula vero quae sunt ordine 20[m] (*Actus*, cap. 46) et 21[m] (*Actus*, cap. 20) inserta sunt Verba fr. Ae-

---

(1) *S. Bonav. opp. omn.*, l. c., p. XCI, n. 85 (= cod. U[1]) et n. 84 (= cod. U[3]). Fusius hac de re disserui in *De Katholiek*, t. CXXVIII (1905), p. 159-61. Locutio « humilis Franciscus » desumpta forte fuit e *Spec. perf.*, cap. 60, lemma; cf. *ibid.* ed. SABATIER, p. 110, lin. 8-9; cap. 79, lemma (e cod. Maz. 989).

gidii. — Reliqua vero capitula (cap. 84-114, vel potius cap. 83-114) alteram constituunt compilationem cui in aliis codicibus similem, quod sciam, non inveneris. Quam quidem fusiore calamo hic describendam esse ratus sum una cum Verbis fr. Aegidii.

25. (Fol. 156d-168a). Incipiunt collationes S. fratris Aegidii quae et Aurea Verba appellantur. = *BHL.* 89.

Deest prologus.

26. (Fol. 205d-215d). [Miscellanea de S. Francisco].

Cap. 83 (Fol. 205d). *De nomine Francisci.* — Inc. *Franciscus prius dictus est Iohannes* — Des. *quae erant in terrorem et honorem.* — Est fragmentum ex *Legenda aurea,* Cap. 149 (144), (ed. TH. GRAESSE [Vratislaviae 1890], p. 662 s). Lectio codicis habet: *Sexto ratione honestatis in conversatione. Aiunt enim ..... quae erant in terrorem et honorem;* fere igitur consentit editioni principi ap. GRAESSE, p. 663, not. 1. — Cf. *Act. SS.*, t. II Oct., p. 559, n. 74.

Cap. 84 (Fol. 205d-206a). *De nomine Francisci et eius origine.* — Inc. *Franciscus de civitate Assisii oriundus* — Des. *naturaliter curialis in moribus et in verbis.* — Fragmentum minutatim excerptum ex *Leg. 3 Soc.*, n. 2-3.

Cap. 85 (Fol. 206a-207a). *De tribus ecclesiis quas restauravit.* — Inc. *Cum die quadam s. Fr. ambularet* — Des. *triformiter renovanda erat ecclesia.* — Compilatio ex *Leg. maiore, Leg. 3 Soc.* et *Spec. perf.* hoc ordine disposita: *Leg. mai.*, n. 15. 23; *Leg. 3 Soc.*, n. 21. 24; *Leg. mai.*, n. 23; *Leg. 3 Soc.*, n. 55. 56; *Leg. mai.*, n. 23. 24; *Leg. 3 Soc.*, n. 56; *Spec. perf.*, Cap. 84 (cf. Elenchus); *Leg. 3 Soc.*, n. 57. 59; *Leg. mai.*, n. 25.

Cap. 86 (Fol. 207a-b). *De vocatione fr. Sylvestri.* — Inc. *Cum dominus Bernardus s. Francisci primogenitus* — Des. *optime vixit et gloriose finivit.* = *Leg. 3 Soc.*, n. 30. 31.

Cap. 87 (Fol. 207b-c). *De conversione fr. Aegidii.* — Inc. *Tertium locum sortitus est* — Des. *angelicam agere quam humanam.* = *Leg. mai.*, n. 29.

Cap. 88 (Fol. 207c). *De conversione aliorum trium fratrum.* — Inc. *Paucis autem diebus* — Des. *humiliter et benigne.* = *Leg. 3 Soc.*, n. 25.

Cap. 89 (Fol. 207c-d). *De conversione fr. Moriti.* — Inc. *Quidam religiosus de ordine cruciferorum* — Des. *et incolumis perseverans.* = *Leg. mai.*, n. 49.

Cap. 90 (Fol. 207d-208a). *De conversione fr. Pacifici.* — Inc. *Crescentibus quoque virtutum* — Des. *manu propria subscribebat.* = *Leg. mai,* n. 50. 51.

Cap. 91 (Fol. 208a-b). = *Spec. perf.*, Cap. 60. Cf. Elenchus.

Cap. 92 (Fol. 208b-c). = *Spec. perf.*, Cap. 62 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 93 (Fol. 208c-d). = *Spec. perf.*, Cap. 71 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 94 (Fol. 208d-209a). = *Spec. perf.*, Cap. 79. Cf. Elenchus.

Cap. 95 (Fol. 209a-d). = *Spec. perf.*, Cap. 80 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 96 (Fol. 209d-210a). = *Spec. perf.*, Cap. 85. Cf. Elenchus.

Cap. 97 (Fol. 210a-b). = *Spec. perf.*, Cap. 87 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 98 (Fol. 210b-c). = *Spec. perf.*, Cap. 88. Cf. Elenchus.

Cap. 99 (Fol. 210c). = *Spec. perf.*, Cap. 94. Cf. Elenchus.

Cap. 100 (Fol. 210c-211a). = *Actus*, Cap. 62 et 63, v. 4-6. Cf. Elenchus.

Cap. 101 (Fol. 211a). = *Actus*, Cap. 66. Cf. Elenchus.

Cap. 102 (Fol. 211a-212a). *Doctrina b. Francisci de veneratione Sacramenti.* = S. Francisci *Epistola ad capitulum generale,* ed. ap. BOEHMER, *Analekten*, p. 57-62.

Cap. 103 (Fol. 212a-c). *De praesepio quod fecit in die Nativitatis Domini.* — Inc. *Summa s. Francisci intentio erat toto cordis fervore D. N. I. Christi doctrinam sequi et vestigia imitari. Praecipue Incarnationis humilitas et caritas passionis ita eius memoriam occupabant.....* — Des. *manducent homines agnum immaculatum et incontaminatum Iesum Christum Dominum nostrum.* = I CELANO, n. 84, 85, 86, 87. — Exceptis initio et fine pauca ab editis variant.

Cap. 104 (Fol. 212c-213a). *De interiore et exteriore homine beati Francisci.* — Inc. *O quam pulcher* — Des. *suffragiis relevare.* = I CELANO n. 83. (1).

Cap. 105 (Fol. 213a). = *Spec. perf.*, Cap. 52. Cf. Elenchus.

Cap. 106 (Fol. 213a-c). = *Spec. perf.*, Cap. 87 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 107 (Fol. 213c). = *Spec. perf.*, Cap. 95 (mutilum). Cf. Elenchus.

Cap. 108 (Fol. 213c-214a). = *Spec. perf.*, Cap. 100 (mut.). Cf. Elenchus.

Cap. 109 (Fol. 214a) = *Spec. perf.*, Cap. 120 Cf. Elenchus.

Cap. 110 (Fol. 214b-d). = *Spec. perf.*, Cap. 101. Cf. Elenchus.

Cap. 111 (Fol. 214d-215a) *De ardentissima caritate quam habebant primi fratres ad invicem et de sollicitudine.* — Inc. *Solliciti erant fratres quotidie* — Des. *et coadiuvante eos gratia Iesu Christi.* = *Leg. 3 Soc.*, n. 41. 42. 43.

Cap. 112 (Fol. 215a). = *Spec. perf.*, Cap. 110. Cf. Elenchus.

Cap. 113 (Fol. 215b-d). *De reverentia Corporis Christi et de munditia altaris.* = S. Francisci opusculum *Ad omnes clericos*, ed ap. BOEHMER, *Analekten*, p. 62-63.

Cap. 114 (Fol. 215d). *Salutatio virtutum.* = S. Francisci *Laudes de virtutibus*, ed. ap. BOEHMER, *Analekten*, p. 64-65.

27. (Fol. 216a-217c). [Tabula capitulorum Actuum B. Francisci et sociorum eius].

Lemmata in hac tabula exarata haud semel variant ab iis quae in ipso inveniuntur codicis textu. Quum vero cum aliorum codicum conveniant lemmatibus, visum fuit in infimis pagellis Elencho ea adscribere (cf. *Elenchus* ad nn. 76, 132, 168, 279, 312, 401, 588, 653, 666, 718, 721, 762, 770).

X.

COD. UTRECHT N° 3, Kast 4, pl. H (olim: Med. aev. Scr. eccl. N° 288). Bibliotheca Universitatis Traiecti ad Rhenum.

(Sign. **U**²).

Summarie describitur ap. [P. A. TIELE], *Catalogus codd. mss. Biblioth. Univ. Rheno-Traject.*, n. 315. — Cf. etiam K. O. MEINSMA, *Middeleeuwsche bibliotheken*, p. 271, n. 91. *S. Bonaventurae opp. omn.*, t. VIII, p. XLVIII, n. 154, et p. CXII, col. 2 in fine.

Chartaceus, folia 267 (0m 143 × 200) recenti manu numeri ornata notis, omissis quae vacant foliis (fol. 1-41, 1 non sign., 42-60, 1 non sign., 61-110, 1 non sign., 111-164, 5 non sign., 165-267). Folia 75-86

(1) Notandum est Bartholomaeum Pisanum *Conformit.*, fruct. X, parte 2ª (ed. 1510, fol. 111a1) provocare ad I CELANO, n. 83 his verbis « ut dicitur in *Legenda antiqua* ». Attamen in nulla huius Legendae antiquae redactione hucusque nota fragmentum illud ex I Celano invenitur. Cf. *Analecta Franc.*, t. IV (1906), pag. XV; vide etiam infra pag. 346.

sunt bipartita. Tam manu quam aetate variant qui codici insunt tractatus varii. Erat olim conventus Canonicorum Regularium Rheno-Traiectensium, quod apparet ex inscriptione (fol. 1) *Pertinet monasterio regularium in traiecto* (1); cui alias duas paene concinentes reperies fol. 2v et 266.

Duo in codice descripta sunt summaria quibus demonstratur sex quos olim habebat codex libellos fuisse divulsos, denuo tamen, aliis quidem omissis, aliis vero adiunctis, conglutinatos. Sunt autem

(Fol. 1). I] *De reformatione trium virium animae.*
II] *Meditationes guigonis carthusiensis.*
III] *Decem omeliae eusebij.*
IV] *Dialogus mathei de craciovia* [sic] *de sacramento eucharistiae.*
V] *Hassia de speculo animae.*
VI] *Bonaventura de ligno vitae.*

(Fol. 2v). 1] *Tractatus de reformatione trium virium animae.*
2] *Visio tundalis militis.*
3] *Psalterium virginis gloriosae.*
4] *Quaedam orationes de trinitate et de sacramento altaris.*
5] *Bona ventura de ligno vitae.*
6] *Henricus de hassia de speculo animae.*
7] *Decem omeliae eusebij ad monachos.*
8] *Dialogus henrici de hassia de modo celebrandi.*
9] *Actus sociorum sancti francisci.*

Evulsum itaque fuit opusculum sub II, addita vero sunt quae sub 2, 3, 4 et 9 *(Actus)* enumerantur. Porro qui sub 1, 7, 8, 9 *(Actus)* ponuntur libelli medio saec. XV° manu satis lepida, interdum tamen quasi per intervalla tremula atque instabili, fuerunt exarati idque per fratrem Henricum Iacobi, Ord. Can. Reg. (2) quod ex duabus constat inscriptionibus quas ipse exaravit fol. 41: *Explicit tractatus devotus de reformatione trium virium animae scriptus per fratrem henricum Iacobi canonicum fratrum regularium in traiecto* et fol. 264: *Expliciunt actus sanctorum sociorum sancti francisci scripti et completi ipso die galli abbatis per manus fratris henrici Iacobi canonici regularis in traiecto.* Minio etiam depinxit capitulorum lemmata, imo integras quae fol. 1v-2v et fol. 264v-265v *(Actus)* exstant tabulas, et grandiores litteras belle exaravit. Alios libellos diversi conscripserunt amanuenses saeculo quidem XV° ineunte, excepto qui sub **4** ponitur libello, quem saec. XIV° exeunte descriptum aestimaverim.

1. (Fol. 3-41). Incipit tractatus devotus de reformatione trium virium animae.

Est Gerardi Zerbolt de Zutphania († 1398), magistri Ven. Thomae a Kempis. Libellus typis fuit excusus in *Max. bibl. vet. Patrum* (ed. Lugduni 1677), t. XXVI, p. 237-258 et saepius alibi.

(1) Est idem monasterium « S. Mariae et XII Apostolorum » in quo exaratus fuit cod. U[1].

(2) Frater Henricus Iacobi ordinem est ingressus circa annum 1439. Cf. *Cornelis Block's kroniek van het Regulierenklooster te Utrecht,* medegedeeld door Mr. J. G. Ch. Joosting (in *Bydragen en mededeelingen van het Historisch Genootschap,* t. XVI, 1895), p. 59.

2. (Fol. 42-60v). Visio Tungdali militis Hyberniensis.

VINC. BELLOV., *Spec. hist.* (Duaci 1624), l. 27 (al. 28), c. 88-104. — Cf. POTTHAST, *Biblioth. histor. medii aevi,* II (Berlin 1896), i. v. Visio Tundali; *Opuscules de crit. hist.*, t. I, pag. 295, sub 5.

3. (Fol. 61-69 v). Psalterium Virginis benedictae.

Est *Psalterium B. M. V.*, auctore Edmundo Cantuariensi typis expressum ap. G. DREVES, S. I., *Psalteria rhythmica,* Erste Folge, Leipzig 1900 (*Analecta hymnica,* t. XXXV), p. 137-49. In codice praemittitur parergon: *O Maria, mater pia,* | *o benigna, laude digna* | etc., de quo cf. DREVES, l. c., p. 151 (1). Cf. *S. Bonaventurae opp. omn.* t. VIII, p. CVIII, col. 2.

Sequuntur fol. 69 v-74 v fragmenta minuta ex homeliis et opusculis theologicis excerpta, et alia eiusdem furfuris.

4. (fol. 75-86 v). [Orationes etc.].

Quorum nostra interest haec sunt: (Fol. 75): *Veni sancte Spiritus* = CHEVALIER, *Repert. hymn.* 21242. — (Fol. 78 v-79): *Salve saluberrima* = CHEVALIER, 18162. — (Fol. 79 v): *Salve sancta caro Dei* = CHEVALIER, 18175. — (Fol. 83): *Ave verum* = CHEVALIER, 2175. — (Fol. 83 v): *Anima Christi* = CHEVALIER, 1090 — (Fol. 83 v-86) Novem orationes quorum literis initialibus vocabulum componitur: *CARTHUSIA*. — (Fol. 86-86 v) Oratio *O intemerata* (cf. *Summa aurea de laud. B. M. V.*, t. IV, p. 498 s) de qua mentio pluries fit in exemplis de B. V. Maria.

5. (Fol. 88-110 v). Bonaventura de ligno vitae.

Editum in *S. Bonaventurae opp. omn.*, t. VIII, p. 68 ss.

6. (Fol. 111-120 v). Incipit tractatus qui speculum animae intitulatur reverendi magistri cuiusdam.

Des. fol. 120 v: *Explicit speculum oculi spiritualis magistri henrici de hassia.* — Editiones et codd. mss. ap. F. ROTH, *Zur Bibliographie des Henricus Hembuche de Hassia dictus de Langenstein* in *Beihefte zum Centralblatt für Bibliothekswesen,* Bd. I (1888-89), p. 105-106.

7. (Fol. 121). [Miraculum de S. Augustino]. = *BHL.* 801.

8. (Fol. 122-144). [Homeliae Eusebii Emisseni ad Monachos].

Editae in *Max. bibl. vet. Patr.* (ed. Lugduni 1677), t. VI, p. 656-666, et saepius alibi.

9. (Fol. 144-164). Incipit dyalogus magistri mathei de cracovia [nomini deleto superscripsit alia manus: « heynrici de hassia »] de modo celebrandi seu recipiendi sacramentum eucharistiae.

Est Matthaei de Cracovia, ep. Wormatiensis († 1410). Editiones et codd. mss. ap. F. ROTH, *l. c.*, p. 117, n. 8.

10. (Fol. 165-264). Incipiunt actus sanctorum sociorum S. Francisci prout ab eisdem fuit successoribus revelatum. De perfecta conversione et expropriatione fratris Bernardi ad praedicationem Sancti Francisci. Capitulum primum.

Est compilatio 114 capitulorum, alteri quae in cod. U[1] exstat simillima. Discrepant tamen in eo quod in U[2] desunt *Verba fr. Aegidii* quae in U[1] fuerunt descripta inter cap. 20[m] et 21[m]. Caret etiam numeri nota

(1) Secunda huius Psalterii quinquagena iterum typis exstat expressa inter « Rosaria » (*Anal. hymnica,* t. XXXVI, p. 241-46).

capitulum quod est ordine 77^{m}, ita ut cod. U^{2} uno capite deinceps discrepet a cod. U^{1} (cf. *Elenchus*, n. 132). Observandum insuper erit numeri notas lemmatibus plerumque adscriptas, inde a capitulo quod est ordine 83^{m} deficere omnes.

Post subscriptionem (fol. 264) iam supra datam (cf. etiam *Elenchus*, n. 803) minio hos versus exaravit amanuensis:

O Rex summe, Deus qui praestas gaudia iustis,
Te colo, te venero, te laudo, te benedico.
Tu mihi quem coepi librum finire dedisti,
Te duce complevi; sine te nihilominus egi.
Si me contingit nimium peccare, quod absit,
Tu pius ac mitis huius memor esto laboris.

11. (Fol. 264v-265v). [Capitulorum tabula].

Minio exarata fuit tota. Complectitur sola cap. 1-82: Inc. *1. De sociis sancti Francisci et de conversione fratris Bernardi primogeniti.* — Des. (fol. 265v): *82. De nomine sancii Francisci. Explicit tabula. Deo gratias.* — Animadvertas velim: 1° Lemma capituli 1^{i} in tabula omnino consonum esse lemmati, quod in cod. A ipsi textui capituli 1^{i} praefixum fuit (cf. *Elenchus*, n. 401). — 2° Alia vero capitulorum lemmata amanuensis ipse proprio plerumque marte mutilavit atque decurtavit. Exemplo sint: (*Actus*, cap. 13) *11. De eleemosyna s. Francisci et fr. Massei et sessione super lapidem et de apparitione Petri et Pauli;* (*Actus*, cap. 69) *41. De via longa fr. Iohannis de Penna;* (*Spec. perf.*, cap. 21) *80. De aedificatione Papae propter paupertatem visam in capitulo.* Quare visum fuit ea negligere.

Caetera quae ad codicis U^{2}, quod quidem attinet ad *Actus*, spectant indolem memorantur in Elencho et in prolegomenis eidem praefixis.

XI.

Cod. Utrecht N° 7, Kast 4, pl. H (olim: Med. aev. Scr. eccl. N° 292). Bibliotheca Universitatis Traiecti ad Rhenum.

(Sign. **U**^{3}).

Summarie describitur ap. [P. A. Tiele], *Catal. codd. mss. Bibl. Univ. Rheno-Trai.*, n. 167. — Cf. *Anal. Boll.* t. XXI, p. 443, not. 1. — Memoratur etiam ap. K. O. Meinsma, *Middeleeuwsche bibliotheken*, p. 277, n. 56. — *S. Bonaventurae opp. omn.*, t. VIII, p. xci, n. 84.

Membraneus, folia 193 (A, 1-192 recenti manu signata) bipartita (0^{m} 146×215), lineae 27; ab ipso amanuensi signantur fasciculi *a 1-4* usque ad *n 1-4* (fol. 1-104), *o 1-2, p 1-2* (fol. 105-112), *q 1-4* usque ad ꝯ *1-4* (fol. 113-192). Erat olim conventus Carthusiensium qui « Nieuwlicht » vel « Bloemendael » vocatur (1) prope Traiectum ad Rhenum (Utrecht). Fol. A enim scribitur: *Pertinet ad carthusienses prope traiectum.* Duabus manibus (fol 1-76; fol. 77-192) anno 1510 nitide exaratus est codex, fratris nempe Petri de Enchusen (Enkhuizen) et fratris Wermboldi, quod indicat subscriptio fol. 108d: *Explicit feliciter per fratrem petrum de enchusen et fratrem wermboldum anno 1510. XXV marcij.* E collatione cum aliis codicibus a fr. Werm-

(1) De hoc conventu cf. Meinsma, *l. c.*, p. 154-60: de eius bibliotheca, p. 275-82.

boldo, « a Leydis » cognomine, descriptis (1) liquet, fr. Petrum exarasse foll. 1-76, fr. Wermboldum vero foll. 77-192. Capitulorum lemmata, inepte interdum decurtata, minio depicta sunt.

Qui in codice descripti sunt libellos brevi exponere fas est formula, quum omnes transscripti sint e cod. U¹. Sunt autem:

1. (Fol. 1a-84a). [Legenda maior cum tractatu de miraculis].

2. (Fol. 84a-85d). Testamentum B. Patris Francisci.

3. (Fol. 85d-86d). Exemplum de confessione.

4. (Fol. 86d-190b). Actus sanctorum sociorum S. Francisci.

Desunt Verba fr. Aegidii qui in cod. U¹ describuntur inter capitula quae sunt ordine 20ᵐ et 21ᵐ. Existimasse videtur amanuensis (fr. Wermboldus) post capitulum 20ᵐ descriptum (fol. 108d) ad Actuum se pervenisse finem; ibi enim posuit subscriptionem iam laudatam. Quod et liquet e fasciculorum coniunctione. Fasciculi enim fol. 105-108 et fol. 109-112 quatuor quisque constant foliis; alii vero fasciculi omnes habent octo. Desunt etiam initiales illae varii ambitus litterae, quibus Actuum libellus in cod. U¹ ornatur (cf. Elenchi prolegomena).

5. (Fol. 190c-191d). [Tabula capitulorum].

Libellos autem e codice U¹ fuisse transsumptos paucis exemplis explicare sufficiat:

U¹ fol. 102c (*Leg. mai.*, n. 50); *mundi alium* (pro *mundialium*). In marg. *alium* corrigitur: *aliquando*. — U³ fol. 16a: *mundi aliquando*.

U¹ fol. 140b (*Testamentum;* cf. ed. Boehmer, p. 36 n. 1): *feci misericordiam;* ast *misericordiam* correctum est ex alio verbo eraso. — U³ fol. 84a *feci poenitentiam* (cf. supra sub IX, pag. 327).

U¹ fol. 140c (*Testamentum;* cf. l. c., p. 37 n. 4): *cum cingulo et brachiis* (pro *braccis*). — U³ fol. 84d. *cum cingulo et bracc...*

U¹ fol. 142a (*Actus*, Cap. 1 v. 1): *in omnibus suis actibus* (in marg. add. *quasi*) *fuit Christo conformis* (cf. *Elenchus*, n. 402). — U³ fol. 87a: *in omnibus suis actibus quasi fuit Christo conformis.*

U¹ fol. 200c (*Spec. perf.*, Cap. 1, lemma): *De perfectione paternitatis* (pro *paupertatis*); cf. *Elenchus*, n. 2. — U³ fol. 162d: *De perfectione paternitatis.*

U¹ fol. 202a (*Spec. perf.*, Cap. 14, incipit): *Petrus* (ex errore miniatoris pro *Verus; t* littera superscripta fuit) *amicus et imitator Christi* (cf. *Elenchus*, n. 46). — U³ fol. 165d: *Petrus amicus et imitator Christi.*

U¹ fol. 203a (*Spec. perf.*, Cap. 23): *diu stare quod non* (*quod non* superscriptum habet *quin*) *iret;* (cf. *Elenchus*, n. 85). — U³ fol. 167a: *diu stare quod quin non iret.*

U¹ fol. 212a (I Celano, n. 84-87; cap. 103ᵐ in ordine. Lemma): *De praesepio quod in die Nativitatis Domini* * *Ciij* (in margine * *fecit*). — U³ fol. 183b: *De praesepio quod in die Nativitatis Domini.*

Firmissimum etiam hoc afferri videtur argumentum, quod U³ sit simplex codicis U¹ apographum, ex hoc quod *Exemplum de confessione* in cod. U¹ fol. 141b-d eo fine inter *Testamentum* et *Actus* collocatum, ut folium fasciculi ultimum impleretur, in cod. U³ descri-

(1) Quos enumerat Meinsma, *l. c.*, p. 156, not. 10; noster tamen codex (et alii etiam) ibi omittuntur.

ptum sit eodem quidem in loco, sc. inter *Testamentum* et *Actus*, sed in medio fasciculo (fol. 85d-86d; fasciculi vero ambitus est fol. 81-88). Cf. supra sub IX, pag. 327.

Codicem igitur U^3 deinceps negligimus.

XII.

Cod. Daventriensis 10W5 (olim 1755) Athenaeum-bibliotheek, Deventer.

Summarie describitur ap. [I. C. van Slee], *Catalogus der handschriften berustende op de Athenaeum-bibliotheek te Deventer* (Deventer 1892), p. 17-18, n. 35. — Cf. Meinsma, *Middeleeuwsche bibliotheken*, p. 161, not. 5.

Chartaceus, foliis interdum membraneis intermixtis, folia 202 (ca. 0^m 145×215), quibus accedunt folia membranea duo, quae ex utraque codicis parte tegumento olim adhaeserunt (1). Diversis componitur libellis diversa aetate conscriptis, qui saec. XVII mediante conglutinati fuerunt. quod ex tegumenti e corio confecti intellegitur indole. Fol. 1: *Liber monasterij beatae mariae sororum in dyepenveen* (2) *legatus a domino Iohanne de Warendorpe* (3) *presbytero in colonia.* Fol. 1v rudi manu: *Hendricus Vijlhuijs 162..* Alia quorum nostra interest ad cuiusque libelli adnotantur descriptionem.

1. (Fol. 3-24). Haec est legenda Ss. patris Antonii = *BHL.* 609.

Manu medii saec. XIV. — Desunt prologi et epilogus Evagrii.

2. (Fol. 25-38). Excerpta ex Vitas patrum libris.

Eadem manu ac n. **1.** — Ex *BHL.* 6524 hoc ordine: 1, 15, 12-14, 7-9 nonnullis truncatis. Inc. *Benedictus Deus.* — Des. *ad ecclesiam perducunt* (*P. L.*, t. XXI, col. 427). Cf. *BHL.*, l. c., ubi de primo editionum genere.

3. (Fol. 40-48). Alia excerpta ex libris Vitas patrum.

Eadem manu ac n. **1.** — Excerpta ex *BHL.* 6525 quorum hic est ordo: Lib. III. 1-4, 8-14, 16, 21, 30, 36, 38, 57, 43, 78, 131. — Lib. V. v. 4, 5, 9-14, 16, 17, 28, 32, 33. — Lib. V. xi. 53. — Lib. V. x. 33. — *Epistola Macarii* (*BHL.* 6539) — Inc. *In primis quidem* — Des. *rursum ignescit in saturitate escarum.* — Lib. V. viii. 9.

4. (Fol. 49-69v). De obitu gloriosissimi Hieronymi confessoris. = *BHL.* 3866.

Inc. *Patri rev. Damaso. Deus optimus cuius misericordia* (*P. L.*, t. XXII, col. 244).

---

(1) Desumpta fuerunt haec folia ex Antiphonario notis musicis exarato saeculo XIII ineunte; quod e litterarum liquet forma et neumatum. Quae in iis foliis referuntur de S. Augustino historica, fusiori calamo descripsit Jacobus de Voragine, *Legenda aurea*, cap. 124 (119), ed. Graesse, p. 551-554.

(2) De hoc conventu sororum in communi viventium cf. J. Acquoy, *l. c.*, t. III, p. 197-202; de eiusdem bibliotheca cf. Meinsma, *l. c.*, p. 160-61.

(3) Quatuor huius nominis viros memorat H. Keussen, *Die Matrikel der Universität Köln*, t. I (Bonn 1892), Elench. 38, n. 17 (an. 1398); Elench. 152, n. 7 (an. 1426); Elench. 166, n. 64 (an. 1430); Elench. 265, n. 17 (an. 1455).

5. (Fol. 69v-74). [Epistola Augustini ad Cyrillum]. = *BHL.* 3867.

6. (Fol. 74-96v). [Epistola Cyrilli ad Augustinum]. = *BHL.* 3868.

Nn. **4-6** manu saec. XV ineuntis.

7. (Fol. 97-119v). Homeliae S. Ioan. Chrysosth. de laudibus B. Pauli.

Descriptae an. 1414 (cod. fol. 110v: *14014*); ed. in *Patrologia Graeco-Latina* (ed. MIGNE), t. L, col. 473-514. — Sequuntur in codice fol. 119v-120 fragmenta ex S. Ioan. Chrys. *De sacerdotio,* lib. II, n. 4 (*P. G.*, t. XLVIII, col. 634) et ex homilia spuria *In sanctam crucem* (*P. G.*, t. L, col. 819).

8. (Fol. 121-136v). Hic incipiunt aurea verba Aegidii. = *BHL.* 89.

Deest prologus. — Caetera vide sub n. **9.**

9. (Fol. 136v-149v). Incipit vita Rogerii fratris minoris. = *BHL.* 7289.

Manu lepida litera rotunda descripta sunt quae sub n. **8** et **9** indicantur, saeculo XIV exeunte vel XV ineunte. Lemmata et litterae initiales minio exarata. Orthographia utitur amanuensis: *ewangelium, conswetudine* etc.

Cum B. Rogerii Vita ad fidem unius tantum codicis sit edita in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Bruxell.*, t. I, p. 347-62, visum fuit brevi calamo ea perstringere loca quae cod. Brux. offert corrupta:

Fol. 137 (p. 348, l. 5) *quem nostri nimia* [corr. in marg. ex *minime*] *vigilia fatigatus;* — 138 (p. 349, lin. 19) *in die et amplius;* — (l. 22) *et quomodo, inquit, posset mens quae Deum habeat;* — (l. 23) *ad punctum aliquid quantumcumque;* (l. 26) *vix eum poterant intellegere;* 138v (p. 350, l. 4) *cenciens* [corr. ex *sentiens*]; 139 (l. 14) *Similiter ipse faciebat;* — 139v (l. 39) *praescindens earum;* — (p. 351, l. 9) *quod in se est* (add. *tuendo hominem a peccato*); — 140 (l. 18) *Illud verbum frequenter;* — (l. 24) *Sed quantumcumque;* — 141 (p. 352, l. 27) *Ipsemet etiam dicit ibi;* — (p. 353, l. 3) *adhuc possum ab eo aet. separari;* — 142 (l. 33) *inflexibilis, ubi tamen veritas exigebat;* — 143v (p. 355, l. 29) *quia se in mentione multum laudabat;* — 144 (l. 36) *serviebam* (add. *nunquam tamen causam dixi quare hoc erat. Ista enim erat causa quod quandocumque serviebam*) *ita;* — (p. 356, l. 5) *appropinquant* (add. *vel sic alte clamare et plorare. Iudicabam utroque melius esse non servire*) *in missis;* — 144v (l. 36) *quod ipsi* (add. *stulte agerent si remanerent propter beneficium temporis et propter longum iter quod*) *itineraturi erant;* — 145 (p. 357, l. 4) *sicut Deus faciens quod in se continue non offert tibi devotionem;* — (p. 357, l. 6) *ostendens se quantum sed* [in marg: « vel *est* »] *ex parte sua propter petentem et voluntarium seipsum dare tibi;* — (l. 20) *ne quid faceret in dubio;* — 148v (p. 361, l. 12) *multi alii xvij* [in marg. *xliij*] *viderunt;* — fol. 149v *Explicit vita beati Rogerii minoris fratris.*

Fol. 150 descripta fuerunt cap. 4, 5 et 6 e regula Fratrum Minorum an. 1223 approbata, ed. ap. BOEHMER, *Analekten,* p. 31-32.

10. (Fol. 151-167v). Excerpta ex actibus mirabilibus sancti Francisci.

Manu satis nitida saec. ineunte XV exarata; litterae initiales rustica manu minio depictae; lineae 31-34; verba plerumque paucis contracta.

Tituli desunt omnes, spatia tamen pro iis describendis vacant. Quod supra notatum est lemma, alia manus paullo posterior atramento adscripsit.

Sunt fragmentum libelli *Actus B. Francisci et sociorum eius,* complectens cap. 1-15 v. 7. Titulo non est locus nec ante cap. 1, v. 1 nec inter v. 10 et 11. Quas e codice (ante confectum Elenchum) adnotavi lectiones variae, ubique fere consonant cum cod. U[1], levibus quidem neglectis discrepantiis. Sunt autem: *Elenchus,* nn. 402, 405, 406, 407, 411, 412, 413, 415, 416, 417, 422, 424, 426, 427, 429, 431, 432, 433, 437, 438, 441 (cum H consonat 444), 447, 455, 459, 461, 463 (post *mortuum* cod. Dev. omittit: *scribe quia non est ibi perfecta laetitia*), 464, 465, 466, 470 (*quia audi consolationem*), 472, 474, 476 (478 Dev. habet: *Remandiolam.... Ferri*), 479, 483, 485, 487, 488, 489, 493, 500, 505, 507, 510, 511, 513 (515 Dev.: *et im.... illum mense quantum*), 519, 522 (523 convenit cum H), 524, 526.

11. (Fol. 168-191). De sancto Sebastiano martyre. = *BHL.* 7543.

Quae hic indicantur sub nn. **11-13** exarata sunt initio saec. XV. — Fol. 192 describuntur nonnullorum Sanctorum sola nomina necnon mutatis verbis brevicula de S. Beda narratio, quam habet *Legenda aurea,* cap. 181 (176), § 4 (ed. Graesse, Vratislaviae 1890), p. 833 sq., et Petr. de Natalibus, V. 55. Cf. *BHL.* 1075.

12. (Fol. 192-195 v). De sancto Iuliano et sponsa sua Basilissa.

Mutato stilo, nonnullis etiam rescissis, narrantur ea quae exstant in *Act. SS.,* Ian. t. I, p. 575-578 (= *BHL.* 4529). Inc. *Beatus Iulianus cum adhuc esset annorum decem et octo.* — Des. *Passus est autem s. Iulianus cum ceteris sanctis in die epyphaniorum, regnante D. I. Christo......*

13. (Fol. 196-199 v). — [Passio Beatae Agnetis] = *BHL.* 156.

Fol. 200 descriptum est initium libelli *BHL.* 6249, triginta circiter implens lineas. — Sequitur fol. 201 a-d: *Incipit propria historia de S. Benedicto abbate pro vij horis canonicis* in qua, intermixtis antiphonis, invenitur fragmentum ex *BHL.* 1102, in sex lectiones divisum. — Fol. 201 d-202 d exstat: *Gheertrudis virginis historia pro vij horis canonicis,* cuius lectiones sex historicae desumptae sunt ex *BHL.* 3493, lib. II. Inc.: *Sancta virgo Ghertrudis patre Pippino* — Des. *convenirent ambo in eandem animi unitatem* (ap. Jos. Geld. a Ryckel, *Vitae S. Gertrudis.... narrationes tres,* Lovanii 1632, p. 35-38). — Quae in codice fol. 201-202 sunt descripta, exeunte saec. XIV exarata videntur.

TABULA COLLATIVA CAPITULORUM **Speculi perfectionis**
quae sunt in
ed. SABATIER et in A B D H L S U[1] U[2].

Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²	Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²
1	72	1	1	Extr.*	1	7	72	72	39	76	39	39	76	39	44	76	76
2	73	2	2	Extr.	2	8	73	73	40	77	40	40	77	40	45	77	76
3		3	3		3	9			41		41	41		41	46		
4		4	4		4	10			42		42	42		42	47		
5	69	5	5	84	5	11	69	69	43	64	43	43	78	43	48	64	64
6		6	6		6	12			44	65	44	44	79	44	49	65	65
7		7	7		7	13			45		45	45		45	{ 50 304		
8		8	8		8	14											
9		9	9		9	15			46		46	46		46	51		
10		10	10		10	16			47		47	47		47	52		
11		11	11		11				48		48	48		48	53		
12		12	12		12	17			49	66	49	49	80	49	54	66	66
13		13	13		13	18			50		50	50		50	55		
14	78	14	14	69	14	19	78	77	51		51	51		51	56		
15		15	15		15	20			52		52	52	81	52	57.I	105	104
16		16	16		16	21			53	67	53	53	82	53	59	67	67
17		17	17		17	22			54		54	54		54	60		
18		18	18		18	23			55		55	55		55	61		
19		19	19		19	24			56		56	56		56	63		
20	71	20	20	70	20	25	71	71	57		57	57		57	64		
21	81	21	21	73	21	26	81	80	58	68	58	58	83	58	66	68	68
22		22	22		22	27			59		59	59		59	67		
23	79	23	23	71	23	28	79	78	60		60	60		60	68	91	90
24		24	24		24	29			61		61	61		61	69		
25		25	25		25	30			62		62	62		62	70	92	91
26	74	26	26	74	26	31	74	74	63		63	63		63	71		
27		27	27		27	32			64		64	64		64	72		
28		28	28		28	33			65		65	65		65	73		
29		29	29		29	34			66		66	66		66	75		
30		30	30		30	35			67		67	67		67	76		
31		31	31		31	36			68		68	68		68	77		
32		32	32		32	37			69		69	69		69	78		
33		33	33		33	38			70		70	70		70	79		
34		34	34		34	39			71		71	71		71	80	93	92
35		35	35		35	40			Int.		72	Int.		Int.	81		
36		36	36		36	41			72	35	73	72	61	72	82	35	35
37	75	37	37	75	37	42	75	75	73		74	73		73	85		
38		38	38		38	43			74		75	74		74	86		
Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²	Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²

* « Extr. » significat capitulum in codice vagari extra libelli ambitum.

Sab.	A	B	D	H	L	S	U[1]	U[2]
75		76	75		75	91		
76		77	76		76	92		
77		78	77		77	94		
78		79	78		78	121		
79		80	79		79	95	94	93
80		81	80		80	96	95	94
81		82	81		81	97		
82		83	82		82	98		
83		84	83		83	99		
84		85	84		Extr	100	86	85
85		86	85		84	106	96	95
86		87	86		85	142		
87		88	87		86	143	97, 106	96, 105
88		89	88		87	144	98	97
89		90	89		88	145		
90		91	90		89	146		
91		92	91		90	147		
92		93	92		91	148		
93		94	93		92	150		
94		95	94		93	151	99	98
95		96	95		94	152	107	106
96		97	96		95	153		
97	37	98	97	63	96	154	37	37
98		99	98		97	157		
99		100	99		98	158		

Sab.	A	B	D	H	L	S	U[1]	U[2]
100		101	100		99	159, 160	108	107
101		102	101		100	171	110	109
102		103	102		101	172		
103		104	103		102			
104		105	104		103	173		
105		106	105		104			
106		107	106		105			
107		108	107		106			
108		109	108		107			
109		110	109		108	174		
110		111	110		109	177	112	111
111		112	111		110	178		
112		113	112		111	180		
113		114	113		112	181		
114		115	114		113	182		
115		116	115		114	183		
116		117	116		115	184		
117		118	117		116	185		
118		119	118		117	186		
119		120	119		118	187		
120		121	120		119		109	108
121		122	121		120	188		
122		123	122		121	191		
123		124	123		122	191		
124		125	124		123			

Tabula collativa capitulorum **Actuum b. Francisci** quae sunt in ed. Sabatier et in ABDHLSU[1]U[2].

Sab.	A	B	D	H	L	S	U[1]	U[2]
1	1	1	Sine nota	1	1	1.6	1	1
2	2	2	1	2	2	108	2	2
3	3	3	2	3	3	62	3	3
4	4	4	3	4	4	74	4	4
5	5	5	4	5	5	109	5	5
6	47	6	5	6	6	117	47	47
7	13	7	6	7	7	113	13	13
8	12	8	7	8	8	112	12	12
9	82	9	8	9	9	116	82	81

Sab.	A	B	D	H	L	S	U[1]	U[2]
10	8	10	9	10	10	125	8	8
11	9	11	10	11	11	127	9	9
12	7	12	11	12	12	126	7	7
13	11	13	12	13	13	93	11	11
14	38	14	13	14	14	84	38	38
15	53	15	14	15	15	192	53	53
16	22	16	15	16	16	90	22	22
17	34	17	16	17	17	190	34	34
18	61	18	17	18	18	189	61	61

Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²
19	58	19	18	19	19	149	58	58
20	21	20	19	20	20	179	21	21
21	46	21	20	21	21		46	46
22	40	22	21	22	22	124	40	40
23	60	23	22	23	23	209	60	60
24	59	24	23	24	24	210	59	59
25	70	25	24	25	25	65	70	70
26	62	26	25	26	26	128	62	62
27	42	27	26	27	27	87	42	42
28	43	28	27	28	28	88	43	43
29	44	29	28	29	29	89	44	44
30	6	30	29	32	30	107	6	6
31	23	31	30	33	31	135	23	23
32	24	32	31	34	32	136	24	24
33	25	33	32	35	33	137	25	25
34	26	34	33	36	34	138	26	26
35	27	35	34	37	35	139	27	27
36	51	36	35	30	36	202	51	51
37	52	37	36	31	37	203	52	52
38	14	38	37	40	38	114	14	14
39	15	39	38	41	39	115	15	15
40	45	40	39	42	40	118	45	45
41	10	41	40	45	41	129	10	10
42	54	42	41	43	42	193	54	54
43	55	43	42	44	43	194	55	55
44	17	44	43	46	44	131	17	17
45	18	45	44	47	45	132	18	18
46	20	46	45	49	46	134	20	20
47	19	47	46	48	47	133	19	19
48	57	48	47	[50]	48	204	57	57
49	56	49	48	51	49	205	56	56
50	48	50	49	52	50	195	48	48
51	31	51	50	53	51	198	31	31
Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²

Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²
52	32	52	51	54	52	199	32	32
53		53	52		53			
53 7-11	49			56		208	49	49
53 12-18	50			57		196	50	50
54	28	54	53	58	54	197	28	28
55		55	54		55			
56	29	56	55	59	56	200	29	29
57	30	57	56	60	57	201	30	30
58		58	57		58			
59		59	58		59	111.I		
60	33	60	59	55	60	83	33	33
61	36	61	60	62	61	165 241.V	36	36
62		62	60		62 63		100	99
63		62*	60		64 65		100	99
64	16	63	61	64	66	290	16	16
65		64	62		67			
66			Extr		Extr		101	100
67	80			72			80	79
68	39			39		207	39	39
69	41			38		206	41	41
70	63			Extr		111.II	63	63
71								
72								
73								
74								
75								
76						283		
Sab.	A	B	D	H	L	S	U¹	U²

* Cod. B sub lemmate capituli 62 exhibet cap. 62 et 63, v. 1-3.

ELENCHUS LECTIONUM

quibus potissimum variant ABDHLSU[1]U[2] Conf.

Post singulos codices descriptos et explicatos, disserendum nobis est de eorum inter se cognatione.

Compertum est viris doctis, libellos qui *Speculum perfectionis* et *Actus B. Francisci* inscribuntur, tantam in codicibus offerre varietatem, ut codex codici similis vix inveniatur. Ast non sola capitulorum dispositione, ut iam monui, alter ab altero distat codex, sed et verborum contextu graviter dissentiunt. Quapropter ad indagandam codicum indolem non sufficere ratus sum ut exscriberentur lemmata, ac quibus capitula incipiunt desinuntque verba — quam quidem rationem hucusque usurpati sunt — sed omnino opus esse duxi, ut contextus verba magno acervo in unum congererentur album.

Optimum profecto opus aggressus est v. cl. Sabatier, qui utriusque libelli curavit editiones, quas quidem « provisorias » merito appellavit ipse. Quantum vero a diffinitiva distent editione — quam utramque a viro eruditissimo quandoque curatam iri, optant homines quique litterati — nemo non videt, qui variarum lectionum Elenchum vel a limine velit salutare. Probe quidem scio ex solis codicum capitulis, a viris doctis diligenter hucusque descriptis, ad conclusiones perveniri posse graves atque laudandas, quemadmodum contigit v. cl. Alfonso Fierens, qui accurato instituto examine, codices quibus inest *Speculum perfectionis* in tres classes putat esse distinguendos (1). Neminem tamen fugit, istas aliasque similes virorum eruditorum conatus, solidiori fulcitos iri fundamento, postquam inquisitum fuerit an etiam lectiones variae conclusionibus iam positis inveniantur consonae.

Qua vero ratione orta fuerit maxima ista dissimilitudo, ne dicam confusio, difficile est exponere, nec mens est nec officium mihi de hac re explicatius disputare. Id solum igitur in Elencho conficiendo mihi erat propositum, ut diligenter congererem lectiones varias, quibus inter se discrepant codices octo a me hic descripti, sicque aliis ministrarem quasi fundamentum pro subtiliori aliorum codicum exploratione quorum indolem ex solo paene lemmatum descriptione hucusque novimus.

Unum tamen fas esto breviter pestringere.

Id generatim prima liquet specie, lectionum varietatem partim fuisse ortam ex librariorum incuria atque inscitia. Norunt enim viri arte paleographica periti codices a medii aevi scriptoribus, praesertim Fratibus Minoribus exaratos, singulari plerumque laborare verborum contractione, et ita minute interdum fuisse scriptos, ut legi vix possint. Hac igitur ratione ortas fuisse haud paucas lectionum discrepantias in promptu est. Ex *illo* (cod. *i*°) oritur *primo;* — ex *cotidie* (cod. *co*ᵉ) nascitur *continue;* — ex *communibus* fit *continuis;* — ex *fieri omnino. Si* oritur *fieri animo. Si,* vel *fieri. Imo si,* vel *fieri. Si*

(1) Cf. A. Fierens, *Les origines du Speculum perfectionis,* p. 347 (8) sqq., ubi etiam p. 346 (7) sq. memorantur conatus quos iam alii viri periti Sabatier, Lemmens et Boehmer, in classificandis codicibus adhibuerunt.

(cf. *Elenchus*, n. 27); — ex *cum* fit *tamen* vel vice versa. Sexcenta huiusmodi nominari poterunt exempla, quae facile intelliget qui veterum memor fuerit scribendi rationis. Leves tamen quas hucusque protuli discrepantiae gràviores fiunt, quando singuli amanuenses, in errorem iam a prioribus abducti, propria conantur auctoritate emendare lectiones. Ex infinita exemplorum copia pauca eligam:

ELENCHUS, n. 463:

et mutis restituat visum.
mutisque restituat visum.
mutis multisque restituat visum.

ELENCHUS, n. 588:

vestita cum sacco
vestita tamen sacco
vestita tamen erat sacco.
quae vestita erat sacco.

ELENCHUS, n. 624:

exceptis communibus quadragesimis.
exceptis continuis quadragesimis.
exceptis quibus quadragesimis.
exceptis ieiuniis et quadragesimis.

ELENCHUS, n. 624:

considerans multa et magna peccata quae fecerat.
considerans ibi multa et magna peccata quae fecerat.
considerans in multis et magnis peccatis quae fecerat.
considerans in multis et magnis peccatis se fuisse [quae fecerat.
considerans in multis et magnis peccatis quae fecerat [Deum graviter offendisse.

Minime tamen sufficit hac sola via omnem exponere varietatis originem. Quisquis enim Elenchum inspicere voluerit, in comperto statim habebit, tantam offerri textus discrepantiam, ut recensiones confectas fuisse prorsus diversas iure affirmaverit. Quarum exponere originem atque vicissitudines munus tandem erit illius qui diffinitivam parat editionem.

Decet tamen ut pauca ipse dicam de octo codicum a me descriptorum inter se cognatione, tam quod attinet ad capitulorum ordinationem, quam quod lectionum spectat varietatem.

I. ORDO CAPITULORUM.

BDL utriusque libelli capitula eodem exhibent ordine ac in editione a Sabatier vulgata. Differunt tamen: 1°) Interpolatio post *Spec. perf.*, cap. 71 in cod. B propria signatur numeri nota 72; — 2°) *Spec. perf.*, cap. 84 in L extra libelli ponitur ambitum; — 3°) *Actus*, cap. 1 in D caret nota; — 4°) *Actus*, cap. 62 et 63 in D sub uno coniunguntur lemmate; in L in quatuor dividuntur capitula; in B cap. 62 et 63, v. 1-3 exhibentur sub uno lemmate, et deest cap. 63, v. 4-6.

AH (de U¹U² vide infra) in hoc consonant, quod eadem prorsus ex utroque libello habent capitula, excepto quod in H adest *Spec.*

perf., cap. 52, in eo vero desideratur excerptum ex *Legenda aurea* de B. Francisci nomine, quod est in A cap. 83. In codice etiam H ipsius amanuensis arbitratu *Spec. perf.*, cap. 1 et 2 et *Actus*, cap. 70 extra libelli ambitum fuerunt reposita. Folio resecato deest etiam *Actus*, cap. 48. Alio tamen ordine uterque codex disponit capitula. Cod. H magis consentit cum editione Sabatieriana; cod. contra A ista capitula, quoad quidem eius fieri potuit, ita disponit, ut ea quae de eadem sunt persona congerantur; quod optime iam dixit cl. Sabatier (*Collection*, t. IV, p. XLVII), quodque clarius patebit e codd. U^1U^2 uti mox dicetur.

U^1U^2 ambo eadem plane habent 114 (113) (1) capitula, quorum cap. 1-83 (82) ad amussim consentiunt cum cod. A. Capitula 84-114 (83-113) in U^1U^2 singularem constituunt compilationem, recenti, ut videtur, aetate confectam; quod non solum ex illius apparet indole, sed et ex eo, quod tabula in cod. U^2 sola nominat capitula 1-82 (= 83), quae primitivam constituunt compilationem.

Proprium etiam id habet cod. U^1, quod litteris initialibus grandioribus nitide depictis exornat primum quodque capitulum cuiusque seriei capitulorum, quae sunt de eadem persona, sc. cap. 1 (de fr. Bernardo), cap. 7 (de fr. Masseo), cap. 12 (de fr. Leone), cap. 17 (de fr. Aegidio), cap. 23 (de fr. Rufino), cap. 28 (de fr. Ioanne ab Alverna), cap. 56 (de S. Antonio) (2). Adscripta est etiam littera solito grandior ad cap. 84, ubi nova capitulorum exorditur series. Similes litteras grandiores depictas habes ad cap. 22 et cap. 44; qua vero ratione ibi sint appositae me fugit. — In eiusdem codicis U^1 capitulorum tabula, analoga invenitur litterarum initialium distinctio. Hic illic tamen amanuensis erravit. Grandiorem omisit litteram in libelli contextu ad cap. 53 (de S. Clara); in capitulorum vero tabula eam recte adscripsit. Etiam in tabula litteras depingit grandiores ad cap. 34, 44 et 58, quas tamen in ipso contextu his locis omisit. Contra vero deest in tabula littera grandis ad cap. 22.

Cod. U^2 huiusmodi litterarum distinctione caret. In sola capitulorum tabula miniator in margine hic illic depinxit nonnulla personarum nomina, sc. ad cap. 7 *Masseus*, cap. 14 *Leo*, cap. 17 *Aegidius*, cap. 22 *Sancta Clara*, cap. 23 *Rufinus*. In his non semel erravit, ut patet.

Nemo non videt ad classem AHU^1U^2 referendos etiam esse codices Lovaniensem n. 174 (3) et Oxoniensem (Trinity College n. 48) (4). Cod. Lov. 174 codici Hagano simillimus est; cod. vero Oxoniensis 48 plane consonat Antverpiensi. Tam AU^1U^2 Oxon. 48 quam H Lov. 174, licet capitulorum ordine, ut dictum est, graviter differant, originem

---

(1) Iam supra in descriptione codicis U^2 (p. 331 sq.) intimavi, eum in capitulis numerandis una differre nota a cod. U^1 inde a cap. 77, quod in U^2 nota caret (cf. *Elenchus*, n. 132).

(2) Simili ratione litterae initiales grandiores adhibentur in codicibus Franciscanis teutonicalibus. Cf. *De Katholiek*, l. c., p. 172, nota 1.

(3) Descriptum in *Revue Bénédictine*. t. XVI (1899), p. 211-17, et inde transsumptum ap. SABATIER, *Collection*, t. IV, p. XXXVIII-XLIII.

(4) Ap. SABATIER, *l. c.*, p. XLIII.

ducere ab Antiqua Legenda indicant subscriptiones codicum A (cf. *Elenchus,* n. 803), Oxoniensis (ap. SABATIER, *Collection,* t. IV, p. XLIII) et Lovaniensis (ap. SABATIER, l. c.), quae omnes legunt: *Expliciunt quaedam.... extracta de antiqua legenda....* Dilucide id etiam patet ex cod. U², in quo nonnullae habentur a codd. AU¹ Oxon. 48 H Lov. 174 discrepantiae, quae certo ex ipsa Antiqua Legenda fuerunt transsumptae (1).

Caeterum codices AU¹U² Oxon. 48 intime valde cohaerere cum cod. H Lov. 174 patet ex eo, quod — exempli causa — codices U¹U² (*Spec. perf.,* cap. 1, in lemmate; cf. *Elenchus,* n. 2) legunt: *De perfectione paternitatis* (pro *paupertatis*), quam eandem lectionem invenies in cod. Lov. 174 (2).

Diffinire non est ausus cl. Sabatier (l. c., p. XLVII) uter capitulorum ordo fuerit originalis, in codd. AU¹U² Oxon. 48 an in codd. H Lov. 174. Pace tanti viri capitulorum ordo in H Lov. 174 mihi videtur tempore prior. Praeterquam enim quod vix intelligitur, cur amanuensis ordinem in AU¹U² Oxon. 48 secundum personas constitutum everterit, etiam hoc videtur posse allegari, quod subscriptio in cod. Lov. 174 praecedit capitulum ex *Legenda aurea* (3), dum in codd. A Oxon. 48 post illud capitulum adscripta sit, licet idem capitulum ad Antiquam Legendam certo non pertineat.

II. VARIAE LECTIONES.

a). In **Speculo perfectionis.**

Quae iam ex capitulorum dispositione determinata est codicum cognatio, ex variis quibus codices distinguuntur lectionibus explicatius demonstratur. Hanc autem distincte ob oculos ponere visum mihi est, non solum ut viris eruditis commodum afferam, sed et ut ea proferantur, quibus diversae codicum classes sibi cohaerent, et ea simul explicentur quibus singuli cuiusque classis codices ab omnibus aliis, etiam cognatis, discedunt. Constanter allego loca solam designans numeri notam sub qua inveniuntur disposita in Elencho (4).

AHU¹U² consentiunt nn. 1, 65, 77, 81, 84, 95, 142, 187, 306. — Sed etiam connectuntur cum BS et cum B vel S, nam:

AHSU¹U² sunt unanimes nn. 1, 9, 18, 19, 47, 84, 86, 146.

ABHSU¹U² consonant nn. 4, 5, 8 (H corrumpit verba), 70.

AU¹U² singulari connectuntur vinculo nn. 67, 93, 94, 122, 124, 139, 168, 228, 230 (hoc ultimo loco trium codicum amanuenses contextum iam invenisse patet a praedecessoribus corruptum). Alios locos vide in classe AHU¹U². et ABHSU¹U².

A ab aliis secedit nn. 66, 129, 141, 186, 230, 231.

(1) Cf. *Elenchus,* nn. 683, 742 et 759 eiusque prolegomena (infra pag. 346), ubi disseritur de iis in quibus cod. U² ab omnibus aliis abscedit codicibus.

(2) Videsis in *Revue Bénédictine,* l. c., pag. 214, n. 66.

(3) *Ibid.,* p. 216-217.

(4) In promptu est me in laudando Elencho praecipuos solummodo recensere locos; permultas enim invenies lectiones minoris momenti, in quarum origine demonstranda et explicanda singulari atque perplexa nobis opus esset expositione.

H singulares habet lectiones nn. 2, 83, 92, 171, 229.

U^1U^2 inter se consonant nn. 2, 3, 76, 132, 188, 272j, 275, 280, 313, 318, eosque ex uno fuisse exortos originali certum est (cf. etiam classes iam enumeratas). Sunt tamen loci quibus unus ab altero discrepat:

U^1 nn. 46, 196, 229, 230.

U^2 nn. 133, 228, 230, 274.

BDL maxime consentiunt nn. 3, 19, 30, 44, 58, 73, 170, 244, 269, 345.

BDLS connectuntur nn. 1, 50, 147, 174, 180, 208, 225, 249, 300, 374.

Ex his codicibus B praecipuas offert discrepantias. Singulare id habet ut modo ab omnibus aliis secedat, modo consonet cum D vel cum L, vel cum DL; tunc — et saepius quidem — cum S, demum etiam cum Conf. e quibus nonnullibi mutuatur non solum verba sed et sententias et incisa integra (1).

B ab omnibus aliis discrepat nn. 18, 30, 33, 38, 40, 52, 75, 108, 143, 150, 178, 182, 258, 260, 278, 296, 301, 318, 350, 353, 363, 370, 371, 373, 374, 376, 387, 391. Propria auctoritate his in locis saepius videtur egisse amanuensis, sive substituendo vocabula, quae ei a verborum exigi videbantur contextu (nn. 18, 108, 278, 301, 376, 387), sive sufficiendo vocibus obscuris et obsoletis alias, sui aevi intellectui

(1) Cum fr. Gregorius Estor, qui codicem B exaravit, non parum studiosus fuerit in conquirendis et compilandis iis quae ad rem spectant Franciscanam (cf. quae in summario codicis B recensentur sub b, c, d, e, i, j; supra sub VI, pag. 316), in promptu est eum etiam in exscribendis libellis *Spec. perf.* et *Actus* non uno tantum usum fuisse codice, sed ex pluribus huiusmodi libris pro libitu congessisse. Videtur itaque habuisse in manibus exemplar *Speculi vitae* typis expressum; qua ratione explanandae videntur frequentes illae cum S similitudines. — Porro iuvat tales de codicum Franciscanorum amanuensibus colligere notitias, quibus quippe ipsorum interdum codicum plenius illustratur indoles. Exemplum afferam. Codicem Liegnicensem (Liegnitz) a viro, qui rebus delectabatur historicis, fuisse conscriptum, iam ex ipsa codicis eruitur descriptione (cf. *Opuscules de crit. hist.*, t. I, p. 34-37). Sed et alia via nobis traditum est, Bernardum Liegnicensem, O. Carth., qui codicem istum exaravit (cf. *l. c.*, pag. 62), plurium opusculorum fuisse auctorem, vel certo scriptorem. Haec enim de eo refert Trithemius: « Bernardus monachus ordinis Carthusiensis domus passionis Iesu Christi, prope civitatem Legnitz, vir in divinis scripturis studiosus et eruditus, et saecularis literaturae non ignarus, ingenio promptus et clarus eloquio, fertur multa praeclara scripsisse volumina, sed ego nullum eorum vidi praeter Dialogum illum pulcherrimum quem de laudibus et miraculis beatae Mariae semper virginis eleganter composuit libr. I. Claruit anno Domini, M.CCCCLXXX sub Frederico imperatore tertio, et credo eum adhuc vivere ». Cf. IOAN. TRITHEMIUS, *Catalogus illustrium virorum Germaniam..... exornantium* (in *Io. Trithemii opera historica*, Pars I, Francofurti 1601), p. 178. Trithemius haec scripsit anno 1495 (cf. *l. c.*, pag. 182, lin. 23 et p. 183, lin. 28). Eadem fere e Trithemio exscribunt TH. PETREIUS, *Bibliotheca Cartusiana*, (Coloniae 1609), p. 26-27; C. J. MOROTIUS, *Theatrum chronologicum s. Cartusiensis Ordinis* (Taurini, 1681), p. 109. Quaedam de fr. Bernardo refert etiam Ioan. Butzbach in suo opere inedito *De scriptoribus ecclesiasticis*, quod exstat in bibliotheca Universitatis Bonnensis (Bonn). Cf. G. Knod in *Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein*, Heft 52 (Köln 1891), p. 218, n. 43. — Alios codices a fr. Bernardo Liegnicensi exaratos vide passim ap. W. GEMOLL, *Die Handschriften der Petro-Paulinischen Kirchenbibliothek zu Liegnitz*, Liegnitz 1900, in 8°, 68 pp., ubi tamen notitiae de fr. Bernardo desiderantur.

magis apertas (nn. 350, 353, 370, 371), sive etiam conglutinando lectiones quas in variis codicibus invenit varias (nn. 33, 52, 75, 143, [150, 178 etiam in S], 182, 373).

BD maxime consonant nn. 173, 270 (cf. 272 g), 272j, 275, 328, 389 (cf. classes BDL et BDLS).

BL nn. 110, 216, 226 (?), 310 (cf. classes BDL et BDLS).

BS conveniunt: nn. 20, 41, 56, 71, 76, 97, 102, 103, 116, 118, 150, 167, 179, 183, 212, 235, 247, 283, 313, 329, 347, 348, 365 (cf. ABHSU^{1}U^2, BDLS et Conf. BS). — Solet igitur B consonare cum S multis iis in locis quibus S integra contextui inserit incisa. Excipitur vero n. 320. Contra tamen B abscedit ab S non solum in iis locis quos enumeravi ad classes B, BD, BL et BDL, sed et ubicumque S incisa praetermittit (cf. classis S).

B Conf. unanimes sunt nn. 384, 393 (cf. classis Conf. BS).

D ab aliis secedit nn. 23, 27, 110, 114, 158, 162, 209, 278, 376. — Multis tamen in locis connectitur cum codd. Mazarinis 989 et 1743, quos fuse descripsit et diligenter evolvit cl. Sabatier.

D Maz. 989 consonant nn. 83, 99, 101, 104, 153, 169, 173, 177, 270, 274, 275, 328, 347 (cf. DL Maz. 989).

D Maz. 1743 connectuntur nn. 11, 99, 101, 104, 153, 163, 169, 173, 177, 219, 270, 274, 275, 288, 347 (cf. DL Maz. 1743).

DL easdem habent lectiones nn. 13, 28, 60, 313, 395. — Communem etiam eos habere originem cum codd. Mazarinis patet ex his locis:

DL Maz. 989 nn. 30, 51, 57, 58, 70, 73, 167, 300, 315, 317, 345, 398, 399.

DL Maz. 1743 nn. 28, 30, 51, 57, 58, 70, 73, 167, 269, 300, 317, 345. — Imo codd. DL Maz. 1743 consentiunt quotiescumque in Elencho nulla cum editione Sabatieriana notatur discrepantia, quum haec e cod. Maz. 1743 transsumpta sit (1).

L ab omnibus aliis variat nn. 27, 49, 120, 163, 175, 184 (consentit cum S), 218, 226, 271, 275, 278, 293, 314, 318, 338, 376, 383, 386, 392, 393. — Quoad eius cum aliis codicibus connexionem cf. classes BL, DL, BDL, BDLS, DL Maz. 989, DL Maz. 1743.

S multos praebet locos quibus ab omnibus aliis differt: nn. 7, 15*, 23*, 74, 75, 80*, 85, 89, 95, 111*, 121, 135, 140, 143, 155, 157, 181, 195*, 207*, 218, 220*, 223*, 239, 256*, 258, 261*, 263*, 265*, 267*, 280, 302*, 316*, 319, 320, 328*, 330*, 362, 364*, 366, 373*, 376, 377*, 378*, 389. Stellulae signo (*) ornavi locos ubi S verba omittit, homoioteleutis — ut vocant — plerumque abductus. Quoad eius cum aliis codicibus cognationem cf. classes BS, Conf. S et ABHSU^{1}U^2.

Conf. S consentiunt nn. 33, 52, 54, 125.

Conf. BS nn. 16, 27, 28, 35, 49, 257 (cf. B. Conf.).

Editio a Sabatier curata secedit ab omnibus aliis codicibus ubicumque consentiunt:

ABDHLSU^{1}U^2 (Conf.), scilicet nn. 5 (exc. L), 69 (exc. D), 117, 141 (exc. D), et iis etiam in locis ubi consentire dixi BDLS.

(1) *Opuscules de crit. hist.*, t. II, p. 218.

b). In **Actibus b. Francisci.**

AHU^{1}U^2 consentiunt nn. 484, 497, 528, 542, 558, 565, 597, 602, 620, 624, 647, 653, 679, 691, 714, 724, 746, 780, 787, 788, 797, 798, 799, 800.

AHSU^{1}U^2 nn. 475, 569, 616, 623, 652, 660, 666, 673, 684, 721, 738, 740, 744, 745, 747, 752, 753, 755, 756, 757, 758, 759, 763, 765, 768, 769, 792, 793, 800, 801.

ABHSU^{1}U^2 nn. 506, 530, 550, 588, 592, 608, 620, 622, 624, 626, 628, 639 (exc. U^2), 664, 687, 693, 696, 698 (exc. A), 699, 700, 701, 702, 704, 713, 720, 727, 765.

ADHSU^{1}U^2 nn. 405, 410, 416, 417, 496, 507, 559, 570, 571, 584, 604.

ABDHSU^{1}U^2 nn. 406, 412, 422, 426, 429, 441, 455, 456, 457, 458, 459, 461, 462, 463, 464, 467, 468, 470 (exc. H), 472, 474, 476, 481, 482, 483 (exc. U^2), 485, 488, 489, 491, 493, 500, 501, 503, 505, 508, 510, 511, 513, 514, 517, 520, 522, 523, 524, 526, 527, 529, 531, 532, 534, 535, 539, 540, 541, 543, 546, 551, 555, 556, 578, 580, 581, 582, 587, 593, 595, 599, 601, 604, 605, 606, 609, 612, 613, 614.

ABDHLSU^{1}U^2 nn. 413, 437, 504, 544, 595, 596, 641, 668, 674, 689. His igitur in locis omnes codices refragantur editioni Sabatierianae.

AU^{1}U^2 consonant nn. 411, 415, 423, 424, 425, 427, 430, 431, 435, 439, 458, 465, 466, 468, 479, 495, 519, 538, 557, 558, 563, 583, 617, 650, 665, 670, 681, 682, 685, 690, 705, 707, 708, 729, 736, 780, 790.

A solus stat nn. 403, 448, 518, 536, 553, 561, 576, 583, 600, 625, 712, 717, 723, 743.

U^{1}U^2 easdem habent lectiones contra cod. A nn. 439, 479, 523, 536, 583, 610, 618, 636, 655, 688, 703, 705, 770, 773, 785.

U^2 singulares praebet lectiones secedens ab U^1 nn. 411, 436, 448, 452, 483, 496, 515, 548, 639, 683, 742, 759. — Ex hoc codice maxime illustratur connexio classis AHU^{1}U^2 cum Antiqua Legenda (cf. supra pag. 329 nota 1 et 343 nota 1). Nam ad *Actus,* cap. 44, in lemmate, legit: *De fr. Leone et de inventione montis Alvernae require retro in paenultimo capitulo* (cf. *Elenchus,* n. 683), quibus connecti patet cum codd. Liegnitz et Budapest (1). Similiter ad *Actus,* cap. 53, v. 12-18 cod. U^2 addit v. 19 (cf. *Elenchus,* n. 742) quem etiam ex alia transsumpsit recensione. Demum post *Actus,* cap. 57, v. 17 contra codd. AHSU^1 addit nonnulla de fr. Iacobo de Fallerone, quae in sola recensione BDL inveniuntur (cf. *Elenchus,* n. 759).

H pluries a recensione AU^{1}U^2 aberrat, adhaeretque tunc potissimum codicibus DL scilicet nn. 442, 470 (cum DL), 518, 546, 549 (cum L), 557 (cum BS), 563, 695 (cum DL), 703 (cum DL), 736, 754 (cum BDL), 766 (cum BDL), 786.

BDL maxime consonant ubi convenire iam dixi codd. AHSU^{1}U^2 — Quas cod. B in Speculi perfectionis lectionibus habet proprietates, easdem fere etiam hic habet in Actibus b. Fr., nempe:

B ab omnibus aliis aberrat nn. 414, 431, 511, 680, 710, 773.

(1) Pro cod. Liegnitz cf. *Opuscules de crit. hist.,* t. I. p. 51, n. CXI; pro cod. Budapest, *Opuscules,* t. II (fasc. 9), p. 109, n. 114.

BS consonant nn. 425, 450, 463, 473, 480, 486, 494, 542, 553, 557, 577, 598, 602, 604, 608, 620, 630, 631, 638, 654, 670, 671, 683, 746.

B Conf. nn. 453, 558, 559, 579, 584, 590, 621, 637, 645, 651.

BL potissimum unanimes sunt iis in locis quibus iam dixi consentire ADHSU¹U².

D solus stat nn. 415 (ubi singulari modo consentit cum AU¹U²), 496, 530, 545, 563, 568, 589, 611, 785. — Id etiam animadvertas velim, codicem D, qui usque ad *Actus*, cap. 28 (*Elenchus*, n. 614) saepissime consentit cum classe AB(D)HSU¹U², subito ab eadem recedere, indeque ab *Actus*, cap. 29 magis consentire cum cod. L (cf. infra, classis DL) et cum BL (cf. supra, BDL et BDLS). Quae vero huius rei fuerit causa diffinire non ausim. Fieri potest, ut hac forte ratione, quando plures codices viri docti fuerint perscrutati, patefiat quot et quae sint in libello *Actus B. Francisci* straturae (gallice: « couches »).

DL maxime connectuntur nn. 684, 696, 706, 716, 719, 724, 725, 773, et iis fere in locis ubi iam consonare demonstravi codd. ABHSU¹U².

L plurimum consentit cum editione quam curavit Sabatier ex cod. Rosenthal (hodie: Faculté de théologie protestante, Paris) (1). Immo tam exacte consonat codici Leodiensi (Liège 343) anni 1408 (2) — cuius lectiones varias omnes diligenter notavit Sabatier — ut merito eiusdem apographum aestimaveris (3).

L consonat cum editione Sabatieriana contra alios codices, iis multis in locis in quibus iam dixi consentire ABDHSU¹U².

L solus stat nn. 450, 452, 490, 492, 509, 543, 718, 785. — His igitur in locis recedit a textu Sabatieriano; quod et fit in aliis locis quos nominavi ad classem ABDHLSU¹U², ubi omnes abscedunt a Sabatier.

Quoad codicis L cum aliis codd. cognationem cf. classes BDLS, BDL, BL et DL.

S ab omnibus aliis aberrat nn. 451, 471, 516, 561, 592, 627, 635, 656, 681, 761, 777, 791.

Quomodo connectitur cum aliis codicibus, eruitur ex classibus AHSU¹U², ABHSU¹U², ADHSU¹U², ABDHSU¹U², ABDHLSU¹U², et BS.

Opus demum est ut dicam de via ac ratione qua in conficiendo Elencho progressus sum, eosque quorum interest moneam de technica quam vocant Elenchi ordinatione.

---

(1) *Collection*, t. IV, p. XXXI sqq. et p. 221 sqq.

(2) Descripto ap. SABATIER, *Collection*, t. I, p. CLXVIII sq., et t. IV, p. XXXVI.

(3) Cognatio codicis L cum codd. Rosenthal et Leodiensi liquet e. c. ex « explicit » Speculi perfectionis (pro L cf. *Elenchus*, n. 399; pro cod. Rosenthal cf. *Collection*, t. IV, p. XXXIV sq.; pro cod. Leodiensi cf. *Collection*, t. I. pag. CLXVIII, collata pag. 246). Singulare codicis L cum cod. Leodiensi demonstratur vinculum ex « explicit » Actuum b. Franc. (pro cod. L cf. *Elenchus*, n. 803; pro cod. Leodiensi, *Collection*, t. I, p. CLXVIII, et t. IV, p. 192, note b). Maxime autem sibi consentiunt codd. L et Leod. in hoc quod ambo *Spec. perf.* cap. 84 reiiciunt extra libelli ambitum (pro cod. L cf. eiusdem descriptio, supra pag. 311; pro cod. Leod. cf. *Collection*, t. I, p. CLXVIII, et t. IV, p. XXXIV fere ad calcem). Cod. Rosenthal hoc capitulum suo loco libello inserit.

Semel monitos volo viros eruditos, de codicibus A,B et L, quos lugemus deperditos, ea solummodo superesse, quae prisci descripserunt Bollandiani Socii. Quaecumque igitur de iis profero voluminibus, in illorum virorum — quos totus quidem mundus celebrat diligentissimos — recidit caput. Qua vero ratione usi sunt in notandis cuiusque codicis lectionibus variis, dilucide demonstratur e *Spec. perf.*, cap. 37, cuius apographum e cod. A exaratum existit in cod. 156 bibliothecae Bollandianae (fol. 38), et cuius varias lectiones ex eodem codice A descripserunt in cod. Brux. 7771-2, ad textum e cod. L transsumptum. Ex horum documentorum collatione liquet, priscos Bollandistas in cod. Brux. 7771-2 solas praecipuas notasse lectionum discrepantias. In apographo enim laudati capituli 22 invenio a textu codicis L discrepantias; harum tamen 9 solummodo notaverunt Bollandistae in cod. Brux. 7771-2. Cuique tamen inspicienti apparet 9 istos locos abunde sufficere ut huius capituli explicetur indoles.

Nonnunquam tamen ea quae Bollandistae e codicibus ABL exscripserunt alio modo proferuntur in cod. Brux. 7771-2, alio modo in codd. 156 et 157. Quum vero plerumque determinare non possim, utro loco erratum sit, ad infimas pagellas huiusmodi addere curavi discrepantias, quantum quidem memoratu videbatur utile.

Nonnemini videbor laborem egisse supervacaneum colligendo tot lectiones varias, numero plusquam 800, quarum non paucae tam leves sunt, ut nullam paene utilitatem afferre videantur. Consulto tamen feci. Admodum difficile enim est in hoc rerum genere determinare quid requiratur, quid sufficiat, quid vero abundet. Tutiore via progredi ratus sum abundando quam deficiendo. Nec quisquam opinetur omnes lectiones quae leves videntur, revera etiam leves esse. Non solum enim nos docent quomodo sensim ad tot et tantas deventum fuerit lectionum discrepantias, sed suo quaeque modo cuiusque codicis indolem atque naturam explicatius demonstrant, ita ut penitius perspicientes graviores eas interdum aestimaturi sint quam prima putaverint specie. Conferunt etiam ad colligendam et disponendam suppellectilem criticam, quam pro definitiva tam *Speculi perfectionis* quam *Actuum* editione magna debere adesse copia, nemo est qui nescit.

In lectionibus variis exscribendis differentias prorsus leves negligendas duxi, uti sunt inter *Quomodo, qualiter, quod;* inter *illum, ipsum, istum, eum;* inter *quia, quod;* inter *sanctus, beatus* et alia huiusmodi. Verborum etiam neglectae fuerunt transpositiones quae sententiarum non immutant contextum (1).

Locos e Libro Conformitatum eo solo addidi fine, ut indicaretur similitudinem eos habere cum verbis e codicibus exscriptis; minime tamen mens erat indicare, eos ad litteram usque convenire. Animadvertendum etiam est plura incisa praesertim *Speculi perf.* in Libro Conform. consonare cum editione a Sabatier curata contra alios codices (2).

(1) In capitulorum vero lemmatibus paucas valde neglexi lectiones varias.
(2) Qua ratione in *Anal. Franc.*, t. IV, pag. XV dicitur: « Textus Pisani magis illi [*Legendae antiquae*] quam *Speculo* (ed. Sabatier) concordat », nescio.

In technica Elenchi adornatione hanc secutus sum rationem, ut textum a Sabatier editum tanquam fundamentum habens, inter uncos curvatos ( ) ipsi inseruerim lectiones aliorum codicum. Quando vero verbis inter uncos curvatos iam positis, inserenda iterum erant alia verba vel incisa, uncis haec inclusi rectangulis [ ]. Quotiescumque tandem coactus fui totum repetere incisum, lineola — id a praecedentibus curavi disiungere. Lectiones varias omnes continuata numerorum serie notavi; omnibus etiam adscripsi locum (pro *Speculo perfectionis* paginam et lineam, pro *Actibus* versum) in quo exstant edita apud Sabatier.

SPECULUM PERFECTIONIS.

Spec. perf. cap. 1. — A72 B1 D1 H fol. 5a L1 S7 U¹U² 72.

1. (ed. SABATIER, p. 250 sq.). *Incipit speculum perfectionis fratris minoris scilicet beati Francisci.* — BDLS *Incipit speculum perfectionis status* (S om. *status*) *fratrum minorum.* — AHU¹U² desunt.

Istud opus compilatum est..... sicut inferius continetur. — AHSU¹U² desunt. — D post verbum « continetur » ponit tabulam capitulorum, fol. 8-10; cf. supra pag. 318).

2. (SAB. p. 1. 4). *Quomodo beatus Franciscus respondit ministris nolentibus obligari ad observandam* (D *observandum*) *regulam quam faciebat.* — H *Quod regula debet servari ad litteram sine glosa et quomodo b. Fr. respondit ministris nolentibus obligari ad observandam regulam.* — S *Quomodo b. Fr. fecit regulam.* — U¹U² *De perfectione paternitatis* (!) *et qualiter b. Fr. declaravit voluntatem Christi super observationem* (U¹ *observatione*) *regulae* (1).

3. (SAB. 1. 7). *Beatus* (S add. *autem*) *Franciscus fecit tres regulas ...... contra voluntatem beati Francisci.* — BDL desunt. — U¹U² verba transponunt hoc modo: *papa Innocentius sine bulla. Postea illam eandem quam papa Honorius confirmavit cum bulla. Postea fecit aliam breviorem et haec perdita fuit, de qua regula multa fuerunt extracta....*

4. (SAB. 2. 8). *regulam, timemus autem ne faciat eam nimis asperam, quod non possimus.* — ABHSU¹U² *regulam, timemus ne eam faciat ita* (S om. *ita*) *asperam, quod non possimus.*

5. (SAB. 2. 13). *quod nolebat ire sine ipsis.* — ABDHSU¹U² Conf. 88a2 *quod nollet* (DH *nolebat*) *ire timens responsionem* (S add. *et offensionem*) *beati Fr.* (A *timens reprehensionem eius*). *Tunc illis instantibus quod iret dixit se nolle ire sine ipsis.*

6. (SAB. 4. 9). *ministri seipsos increpantes* (BL *intuentes*. D *increpantes* [in margine *et*] *intuentes*. Conf. 88a2 *inculpantes*) *confusi.*

Spec. perf. cap. 2. — A73 B2 D2 H fol. 5b L2 S8 U¹U² 73.

7. (SAB. 4. 11). *De perfectione paupertatis et primo* (U¹U² om. *De perf. paup. et primo*) *qualiter b. F. declaravit voluntatem et intentionem suam quam habuit a principio usque ad finem super observantiam paupertatis.* — S *Quomodo b. Fr. primam intentionem habuit usque ad finem super observantiam paupertatis.*

8. (SAB. 4. 16). *Frater Richardus de Marca* (ABSU¹U² *Richerius de Marchia*) *nobilis genere et nobilis* (ASU¹U² *sed nobilior*) *sanctitate quem*

(1) De cod. A nihil notatum invenio. Graviter suspicor eum consonasse cum U¹ U².

b. Fr. magno diligebat affectu, quadam die visitavit. — H post lemma: *Qualiter b. Fr. fratrem Richerium de Marchia nobilem genere sed nobilior (!) sanctitate diligebat maximo affectu. Quadam die visitavit.*

9. (SAB. 5. 3). *locutus est cum eo de statu* (AHSU[1]U[2] Conf. 71b2 *de facto*) *religionis.*

Spec. perf. cap. 3. — B3 D3 L3 S9.

10. (SAB. 7. 3). *Qualiter respondit ministro volenti habere* (S add. *plures*) *libros de licentia eius* (S *sua*) *et qualiter ministri* (S *minister*) *ipso ignorante fecerunt* (S *pro ignorante fecit*) *removeri de regula capitulum de prohibitionibus* (S add. *sancti*) *evangelii.*

11. (SAB. 7. 8). *de ultra marinis partibus.* — D *de ultra partibus.*

Spec. perf. cap. 4. — B4 D4 L4 S10.

12. (SAB. 10. 1). *De novitio volente habere psalterium* de *licentia eius* (S *beati Francisci*).

13. (SAB. 11. 14). *habere breviarium. Et postquam habueris breviarium sedebis in cathedra.* — DL *habere breviarium sedebis in cathedra.*

14. (SAB. 12. 1). *tuli* (S *accepi.* L *tunc* [alia manus in ms. Brux. 7771-2 supplevit *accepi* adscribens: « deerat in ms. »]) *librum.*

15. (SAB. 13. 2). *respondebat eisdem. Et quia* (B *eisdem ita quod.* D *eisdem quam.* L *eisdem.* Dein vacat) *saepe dicebat. Tantum homo habet de scientia quantum operatur.* — S *respondebat super eisdem quantum operatur.*

16. (SAB. 13. 5). *nam actor* (BS Conf. 144b1 *arbor tantum*) *ex fructu cognoscitur.*

Spec. perf. cap. 5. — A69 B5 D5 H84 L5 S11 U[1]U[2] 69.

17. (SAB. 14. 1). *De paupertate servanda in libris* (S add. *in*) *lectis* (H *in lectis, libris*) *aedificiis* (ABDLSU[2] *et aedificiis*) *et utensibilis* (S add. *domus.* U[2] om. *et utensilib*).

18. (SAB. 15. 4). *panniculos semisanos* (1) (S *se insanum*) *pro mataluciis* (AHSU[1]U[2] *pro thalamo.* B *pro magnis deliciis.* D *pro mactaliciis*) *reputaret* (A *reputabat.* L *reputarent*).

19. (SAB. 15. 11). *videretur et quo mundi recordaretur* (BL *recordentur*) *amabat.* — AHSU[1]U[2] *videretur, amabat.*

20. (SAB. 15. 13). *et exilium decantarent* (BS add. *quem* [S *quod*] *fratres haberent*).

Spec. perf. cap. 6. — B6 D6 L6 S12.

21. (SAB. 15. 14). *Qualiter fecit exire omnes fratres de quadam domo quae dicebatur esse* (S add. *domus*) *fratrum.*

Spec. perf. cap. 7. — B7 D7 L7 S13.

278. (SAB. 172. 5). *audivit. Iste respondit.* — B *audivit me ipsa. Respondit.* — D *audivit. Ipsa respondit.* — L *audivit ipsam. Et respondit.*

Spec. perf. cap. 87. — B88 D87 L86 S143 U¹97 (106) U²96 (105).

279. (SAB. 173. 1). *De tribus verbis quae reliquit fratribus ad conservandum* (S *observandum*) *perfectionem ipsorum.* — U¹97 U²96 *De tribus quae commendavit* (U¹97 add. *beatus*) *Franciscus fratribus suis.* — U¹106 *De tribus verbis quae reliquit fratribus b. Franciscus* (1).

U¹U² bis idque minutatim exhibent hoc capitulum. U¹97 et U²96 omittunt partem priorem (p. 173, lin. 3 — p. 175, lin. 6), sumuntque initium a verbis *Pater piissimus paternos oculos. . . . .* et desinunt *et plurimum affliguntur* (p. 177, lin. 16). U¹106 et U²105 partem econtra omittunt posteriorem inde a verbis *Sic enim pater noster* (p. 177 lin. 7-16). Desunt etiam iisdem capitulis 106 et 105 quae sequuntur fragmenta: *Tu semper fuisti. . . . . nos in Christo* (p. 173, lin. 10-11); *Quo ergo ibimus . . . . . sine duce* (Cf. infra n. 280); *Quis nobis adhuc. . . . . . tristitiae appropinquat* (p. 173, lin. 18 — p. 174, lin. 9).

280. (SAB. 173. 14). *quam verbo. Quo ergo ibimus oves sine pastore? Filii orphani sine patre! Homines rudes et simplices sine duce. Quo ibimus quaerere te.* — SU¹106 U²105 *quam verbo. Quo* (S add. *ergo*) *ibimus quaerere te.*

281. (SAB. 173. 18). *honor vilitatis* (BS *utilitatis*) *nostrae.*

282. (SAB. 175. 11). *quia semper quam poterat volebat habere vel* (B *habere eum vel.* S om. *habere vel*) *audire missam quantumcumque* (BS *quandocumque*) *esset infirmus.*

283. (SAB. 177. 15). *sancti pauperes de hoc verecundantur* (BS. *sancti fratres ex hoc infamantur*) *et plurimum affliguntur* (BS add. *Mali autem* [S om. *Mali autem*] *maledicti sunt* [S *sint ab*] *omnipotenti Deo et a Iesu Christo benedicto cum Sancto Spiritu et a tota coelesti curia et a me pauperculo*) (2).

Spec. perf. cap. 88. — B89 D88 L87 S144 U¹98 U²97.

284. (SAB. 178. 1). *De amore quem ostendit* (BL *ostendebat*) *fratribus prope mortem dando singulis buccellam panis sicut fecit* (S om. *fecit.* B *sicut discipulis suis dedit*) *Christus.* — U¹U² *Quomodo b. Fr. conformavit se Christo in ultima caena.*

285. (SAB. 179. 9). *infirmi qui de hoc* (DU¹U² *de ipso.* BLS *de ipso pane*) *gustaverunt statim* (S om. *statim*) *fuerunt.*

(1) U¹ 106 in tabula (fol. 217c) legit ut ap. Sabatier.

(2) Cf. Maledictio S. Francisci edita in *Seraphicae legislationis textus originales* (Quaracchi 1907), p. 271.

Spec. perf. cap. 89. — B90 D89 L88 S145.

286. (SAB. 179.11). *Qualiter timebat ne fratres incurrerent aliquam tribulationem* (BS *turbationem*) *propter infirmitates suas.*

Spec. perf. cap. 90. — B91 D90 L89 S146.

287. (SAB. 180.21). *Qualiter admonuit* (S *amnovit*) *sorores s. Clarae.*

288. (SAB. 181.18). *ut sanae in laboribus* (D *ut scientiae et laboribus*) *quos sustinebant.*

Spec. perf. cap. 91. — B92 D91 L90 S147.

289. (SAB. 182. 2). *De continuo fervore amoris* (BL add. *eius*) *et compassionis ad passionem Christi et primo* (B om. *et primo*) *quod non curabat de suis infirmitatibus* (S hic desinit) *propter amorem passionis Christi.*

290. (SAB. 182. 7). *dolores et passiones* (B *compassiones.* S *passionem Iesu*) *Christi.*

291. (SAB. 184. 1). *quod erat* (BS add. *carni*) *amarum.*

Spec. perf. cap. 92. — B93 D92 L91 S148.

292. (SAB. 184. 5). *Qualiter inventus fuit ire plangendo alta voce passionem Christi.*

293. (SAB. 184. 7). *conversionem suam quum ambularet solus per viam.* — L *conversionem suam per viam.*

294. (SAB. 184. 9). *alta voce plangendo* (L add. *passionem Domini*). — S *alta voce plangendo et eiulando.*

Spec. perf. cap. 93. — B94 D93 L92 S150.

295. (SAB. 185. 1). *Qualiter solatia quae aliquando faciebat exterius vertebantur in lacrymas et compassiones* (S *in lacrymis compassionis*) *Christi* (L *Iesu Christi*).

296. (SAB. 185. 5). *Franciscus quandoque talia faciebat nam dulcissima.* — B *Franciscus, nam dulcissima.*

297. (SAB. 185.14). *tota haec tripudatio* (BL *trepidatio.* S *tripudia*) *in lacrymas.*

Spec. perf. cap. 94. — B95 D94 L93 S151 U¹99 U²98.

298. (SAB. 186. 1). *De zelo ipsius ad orationem et opus* (S *officium*) *divinum et ad servandam laetitiam spiritualem in se et in aliis et primo* (B om. *et primo*) *de oratione et divino officio.* — U¹U² *Qualiter b. Fr. se habebat in divino officio.*

Spec. perf. cap. 95. — B96 D95 L94 S152 U¹107 U²106.

299. (SAB. 187. 1). *Qualiter in se et in aliis semper* (S *Qualiter in se*) *dilexit laetitiam spiritualem* (U¹U² om. *spiritualem*) *interiorem et exteriorem* (S add. *cum devotione*).

U¹U² omittunt partem capituli posteriorem inde a verbis *nec sibi nocere. Sed tunc* usque ad finem (p. 187, lin. 15 — p. 188, lin. 6).

Spec. perf. cap. 96. — B97 D96 L95 S153.

300. (SAB. 188. 7). *Qualiter reprehendit socium qui erat tristis in facie* (DL add. *et de tristitia et laetitia intelligibili.* S add. *et de qua laetitia et tristitia.* B add. *et de quali laetitia et trististia debeat intelligi*).

301. (SAB. 189. 7). *per peccati meritum* (B *daemonium.* DLS Conf. 143a2 *demeritum*) *est privata.*

302. (SAB. 189. 9). *laetitiam, nam servo Dei non convenit coram fratre suo vel alio ostendere tristitiam et* (D *nec*) *faciem tribulatam.* (L in marg.

turbulentam). *Non quod intelligendum sit.* — S *laetitiam. Non quidem intelligendum est.*

303. (SAB. 189. 14). *vel etiam per minimum* (BLS *nimium.* L in marg. *minimum*) *verbum vanum* (B *vacuum*) *quum per hoc.*

304. (SAB. 190. 10). *accidiam et indispositionem* (L *et in dispositione.* S *et dispositionem*) *mentis atque inertiam corporis ad omne bonum opus* (BDL om. *opus.* S om. *ad omne bonum opus*) *saepius repraesentat.*

305. (SAB. 190. 20). *hostes fortissimos et munitissimos* (B *et immitissimos.* S om. *et munitissimos*) *ad mortem ipsius continue* (B *quotidie*) *fervidos et intentos.*

Spec. perf. cap. 97. — A37 B98 D97 H63 L96 S154 $U^1U^2$37.

306. (SAB. 191. 1). *Qualiter docebat* (B *docuit.* L *dicebat*) *fratres satisfacere necessitatibus corporis ne oratio amittatur.* — AHU^1U^2 *De discretione beati Francisci.* — Conf. 139 a 1 *De discretione ad corpus habenda.*

AHU^1U^2 hoc capitulum exhibent mutilum. Inc. *Dicebat b. Franciscus: Servus Dei in comedendo. . . .* Des. *pro eo quod mihi non satisfacis* (p. 195, lin. 5-12), verbis nonnihil immutatis.

Spec. perf. cap. 98. — B99 D98 L97 S157.

307. (SAB. 192. 5). *De quibusdam tentationibus quas permisit ei Dominus et primo* (B *et signanter*) *qualiter daemon intravit* (S add. *in*) *pulvinar quod habebat sub capite.*

308. (SAB. 193. 3). *Quum enim numquam voluisset* (BS add. *dormire vel*) *iacere in pluma* (B *pulvinari.* S *pulvinaria*) *nec habere pulvinar de pluma* (B om. *de pluma*) *postquam exivit.*

309. (SAB. 193. 14). *Dum autem per aliquid* (BS *per aliquod.* D *per aliquot.* L *aliquod*) *spatium sic stetisset* (S *fecisset*).

310. (SAB. 193. 18). *et ait sanctus pater Franciscus* (D *et ait Sanctus.* S *et ait s. Fr.*) *In sero.* — BL *et ait Sanctus in seipso.*

Spec. perf. cap. 99. — B100 D99 L98 S158.

311. (SAB. 194. 1). *De gravissima tentatione quam habuit ultra duos annos.*

Spec. perf. cap. 100. — B101 D100 L99 S159 et 160 $U^1$108 $U^2$107.

312. (SAB. 195. 6). *De tentatione quam habuit per mures de qua consolatus est* (U^2 om. *est*) *eum Dominus* (U^1 hic desinit) (1) *et* (BDLSU^2 add. *tunc*) *certificavit eum de regno suo.*

U^1U^2 posteriorem omittunt capituli partem. Desinunt *meditari aliquantulum et postea dixit* (p. 197, lin. 12) iisque immediate subiungunt lemma capituli sequentis (*Spec. perf.* cap. 120): *Canticum fratris solis.*

313. (SAB. 196. 15). *quod etiam tota terra nihil esset respectu illius magni thesauri, nonne.* — DLU^1U^2 *quod si tota terra* (U^1U^2 add. *pars*) *esset illius magni thesauri, nonne.* — BS *quod si tota terra* (B *quod si tota massa illius thesauri*) *esset purum aurum, omnes lapides* (S add. *essent*) *lapides pretiosi et tota aqua esset balsamum* (B add. *purum et*) *tu omnia pro nihilo haberes in comparatione illius thesauri magni, nonne.*

314. (SAB. 197. 13). *dixit: Altissimo omnipotente bono Signore etc. et fecit cantum.* — B *dixit carmen: Altissimo omnipotenti Deo etc.* (2). *Et fecit canticum.* — L *dixit carmen istud: Altissime omnipotente bone Si-*

(1) In tabula vero (fol. 217c) pergit ut U^2.

(2) In Brux. 7771-2 addit Bollandista: *in suo vulgari ut infra habetur etc.*

gnore te sompno le laude la gloria el onore et omne benedictione etcetera ut supra (sic!). *Infra capite duodecimo Rubrica 8ª. Et fecit canticum.* — S *dixit canticum fratris solis* (Rubrica) ℭ *Canticum fratris solis de creaturis Domini nostri. Altissimo omnipotenti Deo fecit canticum.* — U¹U² *dixit:* (Rubrica) *Canticum fratris solis* (Vide n. 312).

315. (Sab. 197.19). *fratres* (DL add. *bonos.* BS add. *bonos et spirituales*) *ut irent simul.*

316. (Sab. 197.21). *Dicebat enim quod volebat . . . . . cantarent simul Laudes Domini* (p. 197, lin. 21-24) — S desunt.

Spec. perf. cap. 101. — B102 D101 L100 S171 U¹110 U²109.

317. (Sab. 199. 1). *De spiritu prophetiae et primo* (B om. *primo.* U¹U² om. ea quae praecedunt) *qualiter praedixit* (DL *ibi dixit.* U¹U² *dixit*) *pacem fiendam inter episcopum et potestatem Assisii virtute* (L add. *carminis et*) *laudis quam fecerat de creaturis quam fecit cantari a sociis suis coram illis.*

318. (Sab. 200.13). *Laudato si, Misignore, per quelli Ke perdonano per lo tuo amore Et sostengo infirmitate et tribulatione. Beati quelli Kel sosterrano in pace Ka da te Altissimo sirano incoronati.* — B exhibet sola verba latina: *Laudate Christum meum Dominum etc.* — D *Laudate Christum meo signore per quilliche perdona per liton amore. Et sustine infirmitatem et tribulationem. Beati quilli che le sostine in pace. Ke doti Altissimum serrando coronati.* — L *Laudato Christum meo signore per quilliche perdona per locon amore. Et sustine infirmitate e tribulatione. Beati quilli che le sustine in pace. He da ti Altissimo sarrando coronati.* Et addit in margine: *Hoc est: Laudatus sit Christus meus Dominus per illos qui sibi indulgent propter ipsius amorem et sustinent infirmitates et tribulationes. Beati qui sustinet* (!) *in pace tales a te altissimo erunt coronati.* — S *Laudato si mio signore per quelli che perdona mi per lo tuo amore etc.* (reliqua desunt). — U¹U² *Laudate Christum meo signore per quillike per dona per luto amore. Et sostine infirmitatem et tribulacionem. Beati quillike le sostine in pace ke dati altissimi serrando coronati.*

Spec. perf. cap. 102. — B103 D102 L101 S172.

319. (Sab. 203. 1). *Qualiter praevidit casum* (S *praevidet causam*) *fratris qui nolebat confiteri sub specie silentii* (BS *qui nisi* [B add. *nutibus et signis*] *sub specie silentii volebat confiteri*).

S mutilam praebet huius capituli formam. Desunt ei nempe particulae *Ita enim videbatur . . . . . . alios attrahebat* (p. 203, lin. 7-12) et *Factum est autem. . . . .* usque ad finem capituli (p. 204, lin. 8-22).

320. (Sab. 203.26). *dicens illi* (S add. *ut saltem semel vel bis confiteatur in hebdomada. Si autem te non audierit scias verum esse quod dixi tibi. Dixit ergo generalis minister illi*) *fratri: frater, volo penitus.*

321. (Sab. 204.17). *ut saeculares* (B add. *et perversi*) *qui* (L *quoniam*) *non tantum.*

322. (Sab. 204.19). *Et sic dimiserunt eum et parum post mortuus est* (B om. *et parum post mortuus est*) *et valde mirati* (BDL *admirati*) *fuimus videntes sic ad litteram esse* (B *ad litteram impleri et*) *verum sicut praedixerat.*

Spec. perf. cap. 103. — B104 D103 L102.

323. (Sab. 205. 1). *De illo qui plorabat coram b. Francisco ut reciperetur ad ordinem.*

324. (SAB. 205. 5). *viri de Lucca* (B *Lucea.* L *Luca*) *venit.*
325. (SAB. 205. 15). *audiens fremitum* (B *strepitum*) *equorum.*

Spec. perf. cap. 104. — B105 D104 L103 S173.

326. (SAB. 206. 3). *De vinea sacerdotis quae fuerat spoliata uvis occasione b. Francisci.*
327. (SAB. 206. 5). *ecclesiam sancti Fabiani* (S *Damiani*).
328. (SAB. 207. 4). *dicens: Licet sit parva vinea, tamen colligebam tantum* (L *colligebam vinum.* BD *colligebam tantum vinum*) *quod sufficiebat necessitati meae et ecce ipsam perdidi isto anno.* — S *dicens: Perdidisti vineam meam isto anno.*
329. (SAB. 207. 11). *habuisti quando plus habuisti* (B *habuisti quando plus solebas habere.* S *quando plures habuisti solebas habere*) *de vinea tua? Respondit* (S *Dixit*) *sacerdos: Pater XIII salmas* (BS *sacerdos: Quatuordecim*). *Dixit ei b. Fr.*
330. (SAB. 207. 20). *et non minus. Et admiratus est valde sacerdos et omnes qui hoc audierunt. . . . . esse XX salmas vini* (p. 207, lin. 20-23). — S *et non minus. Et admirati sunt omnes.*

Spec. perf. cap. 105. — B106 D105 L104.

331. (SAB. 208. 1). *De militibus Perusii qui impediebant praedicationem suam.*
332. (SAB. 208. 3) *in platea Perusii magno populo congregato ibidem, ecce milites Perusii.* — B *in platea Perusii milites Perusii.* Cf. n. seq.
333. (SAB. 208. 5). *cum armis* (B add. *magno populo congregato*) *et impediebant.* Cf. n. praec.
334. (SAB. 208. 12). *iste est Assisinatus* (B *Assisinas.* D *Assisina.* L *Assisii natus*). *Hoc autem.*
335. (SAB. 208. 24). *punitionem vestram et in opprobrium vestrum faciet vos.* — B *punitionem vestram faciet vos.*

Spec. perf. cap. 106. — B107 D106 L105.

336. (SAB. 210. 1). *Qualiter praevidit occultam tentationem* (BL add. *et tribulationem*) *cuiusdam fratris.*

Spec perf. cap. 107. — B108 D107 L106.

337. (SAB. 211. 3). *De his quae praedixit* (B *dixit*) *de fratre Bernardo et qualiter impleta fuerunt omnia sicut dixit* (B *praedixit*).
338. (SAB. 212. 1). *Aegidii qui fuit tertius frater.* — L in margine iis substituit: *Fratris Helyae qui fuit vicarius s. Francisci. Quod patet infra in Actibus § 5 et 13.*
339. (SAB. 212. 7). *scribe quod dixero* (BDL *sicut dico*) *tibi.*
340. (SAB. 212. 9). *qui primo incepit* (B *concepit*) *et complevit* (B add. *ordinem*).
341. (SAB. 213. 10). *et concutiebat* (BL add. *pectus suum*) *dicens.*
342. (SAB. 213. 19). *usque in hora* (B *usque ad diem.* D *usque in horam*) *mortis.*

Spec. perf. cap. 108. — B109 D108 L107.

343. (SAB. 214. 1). *Qualiter* (BL add. *b. Franciscus*) *prope mortem* (BDL add. *suam*) *misit* (BL *promisit*) *b. Clarae quod videret ipsum et impletum est* (BL *fuit*) *post mortem eius.*
344. (SAB. 215. 5). *ante obitum suum putabat non* (in B *non* deletum fuit) *posse videre.*

345. (SAB. 216. 3). *dixit illi fratri quem ipse miserat: Vade et dic sorori Clarae quod deponat omnem dolorem et tristitiam.* — BDL desunt.

Spec. perf. cap. 109. — B110 D109 L108 S174.

346. (SAB. 217. 1). *Qualiter praedixit corpus suum esse honorandum post mortem.* — S typographi errore ponit lemma *De vinea sacerdotis quae fuerat spoliata* quod est lemma Spec. perf. cap. 104.

347. (SAB. 217. 6). *Domino omnes saccos* (D *socios*) *tuos? Multi baldachini* (DL *baldaquini.* B *bladiquini.* S *bladi quin*) *et panni de serico.*

348. (SAB. 218. 3). *pro laude et gratia Dei* (DL *Domini*) *mei.* — BS *pro laude* (B add. *Dei*) *et gloria D. N. I. Christi qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.*

Spec. perf. cap. 110. — B 111 D110 L109 S177 U[1]112 U[2]111.

349. (SAB. 218. 5). *De divina providentia circa ipsum in rebus exterioribus et primo* (B om. *primo.* U[1]U[2] om. ea quae praecedunt) *qualiter Dominus providit fratribus sedentibus ad mensam pauperculam cum medico.*

350. (SAB. 218. 14). *date medico optime comedere.* — B *date medico bonam refectionem.*

351. (SAB. 219. 7). *magnum vas* (L *cophinum.* BDS *canistrum*) *plenum pulchro pane et piscibus et pastillis gammarorum* (S *mastillis gysmarorum.* U[1] *pastillis gammatorum*) *et melle et uvis* (S add. *quasi recentibus*).

Spec. perf. cap. 111. — B112 D111 L110 S178.

352. (SAB. 219. 16). *De pisce quem* (BS *De piscibus quibus* [B add. *vesci*]) *appetebat in infirmitate sua* (S om. *sua*).

353. (SAB. 219. 20). *non habeo voluntatem* (B *appetitum*) *comedendi.*

354. (SAB. 220. 4). *et cuppi de gammaris* (B *a cuppa de gammaris.* S *et iiij de gamatis*) *quos libenter comedebat.*

Spec. perf. cap. 112. — B113 D112 L111 S180.

355. SAB. 220. 11). *De cibo et panno quos appetebat* (D *petebat*) *circa mortem* (BDL add. *suam.* S add. *suam s. Franciscus*).

S maiorem huius capituli partem minutatim omittit.

356. (SAB. 221. 3.) *habebit si ei significaverimus* (DLS *significaveritis*) *statum meum.*

357. (SAB. 221. 8). *de amygdalis et zucario* (BL *sucaro.* D *rucario* alia manu immutatum in *rutario.* S *zucharo*) *et de aliis rebus.*

358. (SAB. 221. 16). *quidam frater ibat quaerendo* (B *ibat per conventum quaerens*) *aliquem.*

359. (SAB. 222. 4) *Et* (B *Et nec*) *mirum recte* (BDL *certe*).

360. (SAB. 222. 30). *in signum et in* (L om. *in*) *exemplum humilitatis et dominae* (L *dominicae*) *paupertatis.* — B *in signum humilitatis et dominae paupertatis.*

Spec. perf. cap. 113. — D114 B113 L112 S181.

361. (SAB. 223. 5). *De amore ipsius ad creaturas et creaturarum ad ipsum et primo* (B *et singulariter*) *de amore quem habuit specialiter* (B om. *specialiter*) *ad aves quae vocantur alaudae capellatae* (D *capellutae.* S om. *capellatae*) *quia per eas figurabat bonum religiosum.*

362. (SAB. 223. 10). *sua iam omni* (BDL *omnium*) *virtutum perfectione ornata sed in.* — S *sua sed iam cum virtute perfectionis ornata et in*

363. (SAB. 224. 2). *quae vocatur alauda* (D *lauda* sed mutatum est in *alauda*) *et in vulgari dicitur lodola* (L *lodala*) *capellata et dicebat de ea.*

— B *quae vocatur alauda capellata, in vulgari autem italico dicitur lodola capellata, et dicebat de ea.* — S *quae vocatur alauda et dicebat de ea.*

364. (SAB. 224.15). *Ideo placuit Domino ut ipsae sanctissimae* (B *carissimae) aviculae ostenderent aliquid* (BDL *aliquod*) *signum affectionis circa ipsum in hora mortis eius. Nam sero diei sabbati . . . . Dominum collaudare.* (p. 224, lin. 15-22). — S paucis haec contrahit: *Ideo ipsae aviculae ostenderunt signum affectionis circa ipsum in hora mortis eius sicut in legenda nova continetur.*

Spec. perf. cap. 114. — B115 D114 L113 S182.

365. (SAB. 225. 1). *Quod volebat suadere* (S *suaderi.* B *ut suaderetur*) *imperatori ut faceret specialem legem, quod in Nativitate Domini homines bene providerent avibus et* (D om. *et*) *bovi et asino* (BS *avibus, bobus,* [B add. *et*] *asinis*) *et pauperibus* (BS add. *et orphanis*).

366. (SAB. 266.11). *atque pro* (L *in*) *eius amore qui semetipsum nobis donavit omnes non solum pauperibus sed etiam animalibus et avibus largiter providerent.* — S *et pro eius amore qui semetipsum dedit nobis omnis homo non tantum pauperibus cum hilaritate esset largus sed et animalibus et avibus.*

Spec. perf. cap. 115. — B116 D115 L114 S183.

367. (SAB. 226.14). *De amore et obedientia ignis ad ipsum quando fecit sibi fieri* (S om. *sibi fieri*) *cocturam.*

S huius capituli formam praebet valde contractam.

368. (SAB. 227.18). *signavit ignem signo* (BDL add. *sanctae*) *crucis.*

369. (SAB. 227.27). *quod non solum de ipso* (B om. *de ipso*) *qui est ita debilis et infirmus sed de quolibet* (B *sed cuilibet*) *fortissimo viro timerem.*

370. (SAB. 228. 9). *ac si* (BDL *sicut si*) *essent rationales* (B *essent creaturae rationis capaces) unde illa occasione.*

Spec. perf. cap. 116. — B117 D116 L115 S184.

371. (SAB. 229. 1). *Quod noluit* (BL *nolebat*) *exstinguere nec* (B *aut*) *permittere exstingui ignem qui comburebat brachas* (D *bracas.* L *braccas.* B *vestes*) *suas.*

372. (SAB. 229. 9). *ignis invasit pannos eius de lino sive brachas* (D *bracas.* L *braccas*) *iuxta genu.* — S *ignis invasit brachas iuxta genu.*

373. (SAB. 229.19). *Unde quacumque* (B add. *causa*) *necessitate urgente numquam voluit* (BDL *volebat*) *exstinguere ignem vel lampadem vel candelam* (B add. *vel lignum fumigans* [correctum ex *fumigantem*]) *tanta pietate movebatur ad ipsum. Nolebat etiam quod frater proiiceret ignem vel lignum fumigantem* (B om. *vel lignum fum.*) *de loco ad locum.* — S *Unde quacumque causa necessitate urgente numquam volebat ignem exstinguere vel lampadem, vel candelam, vel lignum fumigantem de loco ad locum.*

Spec. perf. cap. 117. — B118 D117 L116 S185.

374. (SAB. 230. 1). *Quod numquam voluit* (B *Quod noluit.* S *Quod voluit) portare unam pellem* (B add. *quam aliquando prius portaverat*) *quia* (S *et quod*) *non permisit eam comburi* (BDLS add. *ab igne*).

Spec. perf. cap. 118. — B119 D118 L117 S186.

375. (SAB. 231. 1). *De singulari amore quem habuit ad aquam et* (DS om. *et*) *petras et ligna et flores.*

376. (SAB. 231.14). *incideret ut talis arboris semper aliqua pars remaneret.* — B *incideret quin semper aliqua pars remaneret.* — D *incideret*

tales arbores (vacat spatium pro 14 circiter litteris) *quod semper aliqua pars remaneret.* — L *incideret. Tales arbores sic incidebantur quod semper aliqua pars remaneret.* — S *incideret taliter arbores quod semper aliqua pars remaneret.*

377. (Sab. 232. 12). *flores, ut tempore suo* (B *ut pro tempore*) *invitarent homines ad laudem* (B add. *Dei*) *qui illas herbas et illos flores inspicerent.* — S *flores, ut fratres eos inspicerent.*

378. (Sab. 232. 22). *laudes domini de creaturis.* — S hic desinit omittens ea quae exstant p. 232, lin. 22-24.

Spec. perf. cap. 119. — B120 D119 L118 S187.

379. (Sab. 233. 1). *Qualiter commendabat* (L *laudabat.* S *commendat*) *solem et ignem prae aliis creaturis.*

380. (Sab. 233. 7). *quum oritur sol omnis homo deberet laudare Deum* * *qui creavit ipsum pro utilitate nostra quia per ipsum oculi nostri illuminantur de die; in sero enim quum fit nox* (B om. *quum fit nox*) *omnis homo deberet laudare* (L add. *Deum*) * *propter* (B om. *propter*) *fratrem ignem, quia per ipsum* (BDL *ignem, per quem*) *oculi nostri de* (BL *in*) *nocte illuminantur, nam omnes sumus quasi caeci.* — D particulam inter ** positam in margine collocat ipsius scriptoris manu exaratam. — S *quum oritur sol omnis homo deberet laudare Deum propter fratrem meum solem: qui creavit ipsum propter utilitatem nostram: quia per ipsum oculi nostri illuminantur oculi nostri*(!) *in nocte, nam omnes sumus caeci.*

381. (Sab. 233. 21). *et magis assimilatur* (L *assimilari videtur.* S *potest assimilari) Domino nostro et in* (DL *nostro. In.* B *nostro, quia in.* S *nostro. Imo in) scriptura.*

382. (Sab. 233. 23). *quas fecit de creaturis Domini, quando scilicet Dominus certificavit* (B *antequam Dominus certificaret*) *eum de regno suo.* — S *quas fecit creaturis Deo scilicet certificavit de regno suo.*

Spec. perf. cap. 120. — B121 D120 L119 U[1]109 U[2]108.

383. (Sab. 234. 4). *Haec est laus de creaturis quam fecit quando Dominus certificavit eum de regno suo* (B add. *et est Cap. 121*[m]. L add. *ut superius patuit; et est in Gallico Italicano*). — U[1]U[2] *Canticum fratris solis* (Cf. supra ad Cap. 100, post lemma).

NB. Cum lectiones quibus codices hoc capitulo discrepant paene sint innumerae, idque unum probent, amanuenses non calluisse idioma italicum, partem solum huius capituli duxi exhibendam, quum alia abunde suppetant loca eaque praecipua, quibus codicum BDLU[1]U[2] comparatio demonstratur.

384. (Sab. 234. 6). D *Altissimo omnipotente bono Signore, toe sompno le laude, la gloria el onore et omne benedictione. Ad te solo se confano e nullus homo e dignus te mentoriare.* — L *Altissime omnipotente bone Signore, to e sompno le laude la gloria el onore et omne benedictione. Ad te solo se conferano e nullo homo e digno te mentionare.* — U[1]U[2] *Altissimo omnipotente bono signore. Te e* (U[2] *To e*) *sompno le laude la gloria le honore* (U[2] *onore*) *et omne benedictione. Ad te solo se confanno e nullus homo e dignus te mementoriare.*

Post capituli finem L addit *Explicit carmen beatissimi patris Francisci.*

B post textum italico idiomate exaratum, quem tamen in cod. Brux. 7771-2 non invenies exscriptum, versionem addidit latinam, quae invenitur in eodem cod. Brux. 7771-2 fol. 109 (insiticio). Ex ea versione manifestum est B suam recensionem «Cantici fratris solis» mutuasse e

Libro conformitatum (Cf. *Spec. perf.*, ed. SABATIER, p. 284-285). Porro versio latina in B adamussim respondet iis quae exstant apud Sabatier l. c., excepta pericope *Istum versum sequentem ...... li pora far male* (p. 285, lin. 3-9) quae in B deest. Cf. etiam quae dicuntur de cod. B ad *Spec. perf.*, cap. 123.

Spec. perf. cap. 121. — B122 D121 L120 S188.

385. (SAB. 236. 1). *De morte ipsius et laetitia quam ostendit quando scivit pro certo se esse morti propinquum et primo* (B om. *primo*) *qualiter respondit fratri Heliae arguenti ipsum* (L *seipsum*) *de tanta laetitia quam ostendebat.*

386. (SAB. 236. 26). *quia credunt firmiter propter hanc infirmitatem.* — L *quia credunt infirmitatem.*

387. (SAB. 237. 4). *qui est prope mortem deberet* (L *debet.* B *constitutus deberet*) *enim cogitare de morte* (S add. *sua.* B add. *in proximo sibi imminente*).

Spec. perf. cap. 122. — B123 D122 L121 S191.

388. (SAB. 238. 1). *Qualiter induxit medicum ad dicendum sibi quantum* (B add. *adhuc*) *poterat vivere.*

389. (SAB. 238. 6). *dicens: Quid tibi videtur bembemgnate* (BL *Benivengnate* (1). D om. *bembemgnate*) *de hac mea infirmitate hydropisis* (S *dicens: Finiate de hac mea infirmitate ydropici, dicas mihi quantum potero vivere*). *Non enim voluit eum vocare proprio* (BD *primo*) *nomine.*

S ad calcem capituli addit partem posteriorem capituli sequentis (*Spec. perf.* cap. 123, inde a pag. 241, lin. 12 *et cum magno fervore*).

Spec. perf. cap. 123. — B124 D123 L122 S191 (partim).

390. (SAB. 240. 1). *Quod statim quum audivit se cito moriturum fecit sibi cantari laudes quas fecerat.*

391. (SAB. 241. 1). *incurabilis est infirmitas tua et parum vivere debes amodo sicut iam medici dixerunt. Hoc autem dixi.* — B *incurabilis est infirmitas tua. Hoc autem dixi.*

392. (SAB. 242. 3). *creaturarum Domini* (L add. *scilicet: Altississimo omnipotente bono signore etc. ut supra patet*) *quod fecerat ipse sanctus.*

393. (SAB. 242. 6). Lectiones quibus codices discrepant in exscribendis verbis italicis, quae habentur p. 242, lin. 6-10 omittendas censui ob rationem supra post n. 383 allatam. Post verba *farra male* cod. L in margine alia manu addidit versionem latinam. Quod idem dicito de cod. B qui tamen post verba latina *facere malum* adiungit *Laudate et benedicite .... cum magna humilitate,* quae iterum verbotenus mutuata sunt e *Libro Conformitatum* (Cf. *Spec. perf.* ed. Sabatier, p. 285, lin. 9-11 et ea quae de cod. B supra retulimus ad cap. 120).

Spec. perf. cap. 124. — B125 D124 L123.

394. (SAB. 243. 1). *Qualiter benedixit civitati Assisii quando portabatur ad s. Mariam* (B add. *de Angelis.* L add. *de Portiuncula.* Et hic desinit) *ut ibi* (B *ibidem*) *moreretur.*

395. (SAB. 244. 5). *Domine, sicut huius civitatis* (B add. *locus.* DL *sicut haec civitas*) *antiquitus, ut credo.*

396. (SAB. 245. 20) *quem toto corde* (D add. *tota mente*), *tota anima* (B om. *tota anima*) *totis viribus.*

(1) Pro cod. B in cod. 156, fol. 102 notatur: ***Benibegnate.***

Post finem capituli codices BDL addunt quae sequuntur:

397. B *Explicit Speculum Perfectionis status fratrum minorum anno Domini 1549 Augusti 9 die. In profesto S. Laurentii martyris.*

398. D *Explicit speculum perfectionis status fratrum minorum in quo scilicet vocationis et professionis suae perfectionem potest sufficientissime speculari. Omnis laus et gloria sit Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto. Honor et gratiarum actio sit gloriosissimae Virgini Mariae. Magnificentia et exaltatio beatissimo servo suo Francisco. Amen. Deo gratias.*

399. L *Explicit speculum perfectionis status fratrum minorum in quo scilicet vocationis et professionis suae perfectionem potest quis sufficientissime speculari* (1). *Omnis laus, omnis gloria sit Deo Patri et Filio et spiritui sancto. Alleluia. A. A. Honor et gratiarum actio gloriosissimae Virgini Mariae Alleluia. A. Magnificentia et exaltatio beatissimo servo suo Francisco. Alleluia. Amen. Scriptum per me Cornelium filium Petri Zirixzea fraterculum minimum in anno noviciatus. Oretis Deum pro me quia valde indigeo. Deo gratias.*

ACTUS B. FRANCISCI ET SOCIORUM EIUS.

Actus cap. 1. — A1 B1 D absque nota H1 L1 S1 et 6 $U^1U^2$1.

400. (Sab.). *Incipiunt actus quidam mirabiles b. Francisci et sociorum eius primorum* (BL add. *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*). — HU^1U^2 *Incipiunt actus sanctorum sociorum s.* (H add. *Patris*) *Francisci prout ab eisdem fuit* (H *est*) *successoribus revelatum* (2). — S desunt.

In diversis codicibus immediate sequitur lemma, uti mox ponitur. D nec hic, nec ante v. 1, nec post v. 10 habet lemma et, quod consequens est, capitula numerat inde a cap. 2. Una ergo nota deinceps differt ab editione quam curavit Sabatier.

401. $BHLU^2$ *De perfecta conversione et expropriatione fr. Bernardi ad admonitionem* (HU^2 *praedicationem*) *s. Francisci.* — A *De sociis s. Francisci et de conversione fr. Bernardi primogeniti* (3).

402. *Ad laudem et gloriam* (ADU^1U^2 om. *et gloriam*) *D. N. I. Christi et sanctissimi patris* ($DHSU^1U^2$ add. *nostri*) *Francisci* (S add. *et*) *hic* (U^1 *haec*) *scripta sunt* (S om. *sunt*) *quaedam notabilia de b. Francisco et sociis eius et quidam actus eorumdem mirabiles quae in* (AU^1U^2 add. *actibus et*) *legendis* (H *legenda*) *eius* (DU^1U^2 *eorum*) *praetermissa sunt* ($DHSU^1$ *fuerunt*) *quae etiam sunt valde utilia et devota.*

403. (Sab. 1). *Primo igitur* ($DHSU^1U^2$ *ergo*) *sciendum est* (U^2 om. *est*) *quod b. P. N. Fr. in omnibus suis actibus* (U^1 in marg. add. *quasi.* A correxit *in multis articulis*) *fuit Christo conformis.*

404. (Sab. 3). *Iohannes de Capella* (L *de la Capello*).

405. (Sab. 4). *non habuit tales.* — AU^2 *non habuit tam mirabiles.* — $DHSU^1$ *non habuit tam mirabiles homines.*

406. (Sab. 7). *cum amico.* — L deest. — $ABDHSU^1U^2$ Conf. 46b2 add. *quasi alter Moyses.*

407. (Sab. 8). *ut aquila* (ASU^1U^2 add. *quasi evangelista.* DH add. *quasi* [D add. *sanctus*] *Iohannes evangelista*).

(1) Quae sequuntur verba alia manu in Brux. 7771-2 fuerunt descripta.

(2) De codice A nihil notatum fuit in cod. Brux. 7771-2.

(3) Cod. U^2 in tabula (fol. 264b) ad amussim legit ut cod. A. — Cod. U^1 in tabula (fol. 216) habet: *De sociis s. Francisci.*

408. (Sab. 10). *prioritate temporis.* — L *prioritate patris.* — U^1U^2 *primitate temporis.* — Conf. 47a2 *primitate ordinis.*

409. (Sab. 10). *qui conversus fuit* (DU^1U^2 *est*) *hoc modo.* — Inter v. 10 et 11 nonnulli codices ponunt lemma.

B. *Conversio fratris Bernardi.* — H *De fr. Bernardo.* — S *De conversione fr. Bernardi de indulgentia ad tale signum* (1). — U^1 *De perfecta conversione fr. Bernardi ad praedicationem Francisci.*

410. (Sab. 21). *ferventer ignitus* (ADHSU^1U^2 *ferventer iugiter*) *devotissime* (H *et devotissime.* A om. *devotissime*) *orans.*

411. (Sab. 22). *frequentabat, quod usque ad matutinum aliud non dicebat nisi: Deus meus.* — AU^1 *frequentabat: Deus meus* (U^2 verba in AU^1 omissa adscribit in margine).

412. (Sab. 23). *condescendere videbatur et per ipsum suum Filium de salutis pauperum disponebat remedio providere.* — ABDHSU^1U^2 Conf. 47a1 *condescendere dignabatur* (B Conf. *videbatur*) *et per ipsum s. Franciscum pauperculum* (H add. *mundo*) *de salutis* (B add. *pauperum*) *remedio disponebat* (BDHU^1U^2 Conf. add. *providere*).

413. (Sab. 26). *perpendens* (ABDHLSU^1U^2 Conf. 47a1 add. *tactus*) *a Spiritu.*

414. (Sab. 29). *ubi est unus* (B *est vicinus*) *bonus sacerdos.*

415. (Sab. 32). *vende omnia quae habes et da pauperibus* (H *vende omnia etc.*) *In secunda apertione. . . . . . In tertia occurrit. . . . .* v. 35. *Et iis visis* (ADU^1U^2 *vende omnia* [U^1U^2 add. *etcetera.* A add. *quae habes*] *sicut continetur in nova legenda* (2). *Et iis visis*) *dixit s. Fr. domino Bernardo: Ecce consilium* (L *signum*) *Domini* (ADU^1U^2 om. *Domini*) *quod habemus.*

416. (Sab. 36). *et omnia pauperibus* (ADHSU^1U^2 add. *cum* [HU^1U^2 add. *magno*] *gaudio*) *tribuebat* (H *distribuebat*).

417. (Sab. 38). *lapidibus* (ADHSU^1U^2 Conf. 49a1 add. *quos a me emisti*) *pro ecclesiis.*

418. (Sab. 42). *brachia protensa in latum* (B *in altum.* ADSU^1U^2 *in latera*).

419. (Sab. 45). *praedicabat eum* (S add. *cum*) *omni reverentia dignum* (L *praedicabat cum reverentia) et dicebat quod.*

420. (Sab. 46). *reservans, se nudum se* (ABDU^1U^2 *sed nudum se.* HLS *sed nudus se*) *offerens.*

Actus cap. 2. — A2 B2 D1 H2 L2 S108 $U^1U^2$2.

421. (Sab.). *De humilitate et obedientia s. Francisci et fr. Bernardi.*

422. (Sab. 2). *ubi morabatur fr. Bernardus et* (ABDHSU^1U^2 Conf. 48a1 add. *ut loquerentur ad invicem de divinis et cum pervenisset ad locum fr. Bernardus* [Omnes omittunt *et*] *stabat in silva in contemplatione divina totus tractus et iunctus* (DHU^1U^2 *totus tractus et unitus.* B *totus absorptus et iunctus.* AS *totus absorptus et unitus.* Conf. 48a1 *totus abstractus et Deo iunctus*) *ad Deum.*

423. (Sab. 6). *recessit aliquantulum desolatus mirans* (BL *murmurans.* S *admirans*) *et quasi* (U^1U^2 om. *quasi*) *conquerens intra seipsum* (DHS *semetipsum*) *quod frater* (AU^1U^2 *in seipso quare frater* [A *quare sanctus*]) *Bernardus ter ab eo vocatus.*

---

(1) Cf. *Opuscules de crit. hist.*, t. I, p. 301, note 2.

(2) Conf. 47a2 textus e S. Scriptura mutuatos praebet integros, dein remittens ad Legendam 3 Sociorum.

424. (SAB. 9). *quod de verbis tuis penitus non* (DU^{1}U^2 Conf. 48a1 *tuis nihil penitus.* ABH *tuis nihil.* S *tuis permotus nihil*) *advertit. Haec intelligens s. Fr. statim concito gressu* (AU^{1}U^2 *continuo regressu.* S *cum cito gressu.* Conf. *concito gradu*).

425. (SAB. 12). *volens* (L add. *a*) *pia obedientia declinare.* — AU^{1}U^2 *pie* (A om. *pie*) *volens obedientiam declinare.* — BS *volens pie* (S add. *se*) *obedientiae inclinari* (S *inclinare*).

426. (SAB. 16). *praecipe fr. Bernarde* (U^2 *praecipe frater*) *quia promisi.* — ABDHSU^{1}U^2 Conf. 48a1 *praecipe fr. Bernarde quid* (BHS *quidquid*) *vis quod* (H *ut*) *faciam quia promisi.*

427. (SAB. 19). *Franciscus cavebat cum illo diutius commorari* (DHS *morari*). — AU^{1}U^2 *Franciscus cum eo loqui diutius cavebat.*

Actus cap. 3. — A3 B3 D2 H3 L3 S62 U^{1}U^{2}3.

428. (SAB.). *De fr. Bernardo* (B add. *et*) *quomodo angelus transivit cum eo* (B *ante eum*) *per* (L *transivit sibi*) *flumen* (1) — ADHU^{1}U^2 *De fr. Bernardo quomodo* (H *quando*) *angelus transtulit eum per fluvium.* — S *De fr. Bernardo quando angelus ante eum transit flumen.*

429. (SAB. 4). *quum staret et adoraret* (H *oraret.* ABDSU^{1}U^2 *quum starent et orarent* [B *adorarent*]) *in sancto Iacobo* (A *sanctum Iacobum*) *fuit sibi* (DU^{1}U^2 *ei.* S *ibi*) *revelatum a Deo* (ABDHSU^{1}U^2 *a Domino in ipsa ecclesia*) *quod.*

430. (SAB. 10). *exspecta donec compleat* (L *compleatur.* AU^{1}U^2 *exspecta ad spatium unius*) *Pater noster et veniat ad te* (BS add. *portarius.* U^{1}U^2 om. *et veniat ad te*).

431. (SAB. 25). *eo melius* (B add. *posse*) *enodare* (AU^{1}U^2 *scio melius enodare*) *aperiens ostium ut ab ipso iuvene dictam quaestionem sibi peteret enodari* (B om. *aper. ost. ut ab ipso iuv. dict. qu. s. pet. enod.*).

432. (SAB. 26). *nec circumquaque quaesitus poterat inveniri* (L *reperiri*). — ADU^{1}U^2 *nec circumquaque discurrendo quaesitus potuit* (A *poterat*) *reperiri* (D *inveniri*). — H *nec circ. discurrendo poterat inveniri.* — B *et circ. quaerendo eum quaesivit nec poterat reperiri.* — S *nec circ. discurrendo quaesivit nec potuit reperiri.*

433. (SAB. 28). *extra istum ordinem faciat te fieri* (BS *finire.* H *fugere.* DU^{1}U^2 *vitam tuam finire*).

434. (SAB. 38). *morabatur, omnia* (S add. *idem angelus.* B *morabatur, fr. Bernardus omnia dicta et facta Angeli in via*) *illis* (B om. *illis*) *per ordinem* (B add. *enarravit et*) *recitavit.*

435. (SAB. 39). *Unde certissime adverterunt quod iste* (H om. *iste*) *idem angelus et ipsis et illi die eodem et hora* (B *quod iste idem angelus ipsis et eadem die et hora.* D *quod idem angelus ipsis et illa die et hora.* AU^{1}U^2 *quod* [U^2 add. *iste*] *idem angelus ipsis etiam illo die et hora.* S *quod iste idem angelus ipsis et illa et eadem hora*) *apparuit.*

Actus cap. 4. — A4 B4 D3 H4 L4 S74 U^{1}U^{2}4.

436. (SAB.). *De fratre Bernardo quomodo* (DHS *quando.* L *qui*) *ivit Bononiam.* — U^2 *Quomodo fr. Bernardus ivit Bononiam.*

437. (SAB. 2). *Crucifixum* (ABDHLSU^{1}U^2 *Crucem*) *in habitu.*

438. (SAB. 4). *obedientiae* (H add. *sanctae*) *sociatus* (AU^{1}U^2 *signatus*) *virtute* (H *virtuti*) *Bononiam adiit.*

---

(1) Cod. L in capitulorum tabula habet: *De fr. Bernardo quomodo Angelus transtulit eum per flumen.*

439. (SAB. 6). *Nam quia* (BDHLS *ut*) *Christi vere* (H *verus*) *esset discipulus, qui factus est* (H *factus fuit*) *abiectio plebis et opprobrium hominum pro eius amore* (BDHS om. *pro eius amore*) *in platea dictae civitatis.* — AU^1U^2 *Nam ut Christi perfectus tamquam abiectio* (U^1U^2 *Christi qui factus est abiectio*) *plebis et opprobrium hominum vere esset discipulus in platea*) (A om. *in platea*) *dictae civitatis.*

440. (SAB. 12). *Quam in corde portabat et* (ADU^1U^2 add. *in*) *opere ostendebat* (ADSU^1U^2 om. *ostendebat.* H *adimplebat.* B *adimplere cupiebat*).

441. (SAB. 17). *hoc inspiravit vobis* (ABL *tibi.* HU^2 om. *vobis*) *Domiminus Iesus Christus* (ABDHSU^1U^2 add. *et ideo oblationem vestram ad honorem Christi libenter accipio* [H *accipiam*]).

442. (SAB. 19). *propter sanctam conversationem*........... *At vero frater Bernardus.* — H desunt.

443. (SAB. 19). *quod beatos* (BS *beatum.* L *sanctos.* Conf. 47b1 *sanctum et beatum*) *se* (U^1 om. *se*) *putabant* (BS *putabat*) *qui tangere illum poterant* (BS *poterat*) *et audire* (ABDLSU^1U^2 om. *et audire*) *vel videre.*

444. (SAB. 20). *impediret quietem* (BH add. *animae suae.* DSU^1U^2 add. *animi sui*) *et salutem.*

445. (SAB. 21). *Locus captus* (ABSU^2 *aptus.* De cod. A notatur in cod. Brux. 7771-2: « littera deleta esse videtur ») *est in civitate* (AHU^1 om. *in civitate*) *Bononiae.*

Actus cap. 5. — A5 B5 D4 H5 L5 S109 $U^1U^2$5.

446. (SAB.). *De morte gratiosa* (DLS *gloriosa*) *fr. Bernardi.*

447. (SAB. 9). *Pater, vade ad dexteram senis* (D *senis sancti.* AHU^1U^2 *sancti Francisci.* BS *sancti Patris.* Conf. 48b1 *sancti*) *ut tibi benedicat.*

448. (SAB. 10). *s. Franciscus prae lacrymis caecutiens* (U^1 *secutiens!*) *manum* (L *cum manum*) *dexteram posuisset super caput* (BHLS add. *fratris*) *Heliae dixit.* — A *s. Fr. prae lacrymis caecutiens manum posuisset super dexteram Heliae dixit.* — U^2 *s. Fr. prae lacrymis concutiens manum dexteram super caput Heliae dixit.*

449. (SAB. 11). *brachiis cancellatis commutando manus.* — A *cancellatis manibus et brachiis commutando.* — B *manibus cancellatis brachiis commutatis.* — HU^1U^2 Conf. 48b1 *cancellatis brachiis commutando* (Conf. *mutando*). — S *manus cancellatis brachiis commutato.*

450. (SAB. 18-19). L desunt. In aliis codd. adsunt nonnullis immutatis. In BS vero omittuntur verba *aptum ubi fr. Aegidius posset caelestia contemplari.*

451. (SAB. 21). *Et de omni offensa quam ego* (HU^1U^2 om. *ego*) *feci accuso me* (BL add. *coram*) *Deo* (ADHU^1U^2 om. *Deo*) *Salvatori meo Domino* (U^1 *Salvatori nostro.* U^2 *Salvatori.* D *Salvatori meo*) *Iesu Christo et vobis.* — S desunt.

452. (SAB. 22). *splendida nimis et laeta non sine admiratione omnium qui adstabant. Et in ipsa laetitia anima illa.* — L *splendida nimis. Et in ipsa laetitia anima illa.* — U^2 *splendida nimis et anima illa.*

453. (SAB. 23). *ad laudem Dei* (B add. in margine *Post mortem vero factus est albus...... intuentibus eius sepulchrum,* quae verbotenus sunt exscripta e *Libro Conformitatum* fol. 48b2, quo partim devenerunt e *Spec. perf.* Cap. 107 in fine [ed. SABATIER, p. 213, lin. 22 ss.].

Actus cap. 6. — A47 B6 D5 H6 L6 S117 $U^1U^2$47.

454. (SAB.). *De* (H add. *admirabili.* SU^1U^2 add. *mirabili*) *ieiunio quadragenario* (HSU^1U^2 *quadragesimali*) *s. Francisci.*

455. (Sab. 3). *quum esset quadam vice iuxta lacum Perusinum* (AB DHSU^{1}U^2 *quum esset in territorio Perusino* [A *Parisino*] *iuxta lacum*) *fuit in die carnisprivii apud quemdam devotum sibi* (ADHU^{1}U^2 om. *sibi*) *hominem hospitatus. Quem* (DHSU^{1}U^2 add. *s. Franciscus*) *rogavit amore Dei* (BDHSU^{1}U^2 *Christi*) *ut ipsum in quamdam insulam* (DL *quamdam silvam.* S *quadam insula*) *ipsius laci* (U^{1}U^2 *loci*) *in qua nullus* (ABDHSU^1 add. *hominum adhuc.* U^2 add. *hominum*) *habitabat transponeret de nocte* (BDHSU^{1}U^2 *transportaret in nocte*) *scilicet ante diem cineris* (ABDHS *cinerum*) *ita quod nullus hoc sciret* (ABDHSU^{1}U^2 *nullus adverteret*).

456. (Sab. 4). *Ille vero* (ABHSU^{1}U^2 add. *hospes*) *ob magnam devotionem quam habebat in ipso* (H *ad ipsum*) *hoc* (U^2 om. *hoc*) *studiosius adimplevit. Unde de nocte parans naviculam in die cineris* (ABDHSU^{1}U^2 *Unde surrexit in* [BS *de*] *nocte et paravit naviculam et in die cinerum* [U^{1}U^2 *cineris*]) *portavit eum* (DHSU^{1}U^2 *portavit s. Franciscum*) *ad insulam praelibatam.*

457. (Sab. 6). *rogavit portitorem suum ut nulli hoc panderet* (L *manifestaret*) *et quod in die Iovis sancti* (L *sancto*) *ipsum quaereret* (ABD HSU^{1}U^2 *et quod se nisi in die Iovis sancta* [HU^{1}U^2 *sancto.* B add. *scilicet infra Palmarum*] *requireret. Portitore vero* [H om. *vero*] *suo recedente de insula* [H om. *de insula*] *s. Franciscus* [U^{1}U^2 add. *ibi*] *solus remansit*). *Et cum nulla.*

458. (Sab. 9). *Praedictus autem hospes ipsum sicut condixerant* (L *sicut petiverat*) *in die Iovis requisivit* (ABDHSU^{1}U^2 *Praedictus autem hospes s. Franciscum in die Iovis sancti* [BS *sancta.* HU^1 *sancto*] *sicut condixerat* [AU^{1}U^2 *sicut ei dixerat.* DH *sicut et dixerat*] *requisivit*): *et invenit quod de dictis* (S *praedictis*) *duobus* (U^2 om. *duobus*) *paniculis* (ABDHSU^{1}U^2 *panibus*) *praeter medietatem* (U^{1}U^2 *dimidietatem*) *unius nihil* (BDHS add. *amplius*) *erat* (L *esset*) *tactum* (AU^{1}U^2 *nihil amplius comederat* [A *ederat*]).

459. (Sab. 11). *Propter quae omnia* (L om. *omnia*) *coeperunt homines in illa insula construere et habitare* (ABDHSU^{1}U^2 *in illa insula ex tunc habitationes construere*) *et parvo elapso tempore factum est ibi* (DHSU^{1}U^2 om. *ibi*) *castrum magnum et locus fratrum Minorum* (ABDHSU^{1}U^2 *castrum magnum et bonum et etiam locus fratrum qui dicitur* [HS add. *in*] *Insula*).

Actus cap. 7. — A13 B7 D6 H7 L7 S113 U^{1}U^{2}13.

460. (Sab.). *De magisterio* (U^2 *Sequitur de Magisterio*) *s. Francisci ad fr. Leonem quod in sola cruce* (H *in solo cruce D. N. I. Christi*) *est* (HSU^{1}U^2 *sit*) *perfecta laetitia.*

461. (Sab. 1). *Quodam tempore hiemali s. Fr. veniebat de Perusio ad s. Mariam de Angelis. Et erat cum eo fr. Leo; et frigus.* — ABDHSU^{1}U^2 *Qnodam tempore hiemali cum s. Fr. veniret de Perusio cum fr. Leone ad s. Mar. de Ang. et frigus.*

462. (Sab. 2). *quamvis fratres Minores* (ABDHSU^{1}U^2 Conf. 140a1 add. *in omni terra*) *dent* (B *debent*) *magnum exemplum sanctitatis et honestatis* (HSU^{1}U^2 om. *et hon.*) *et bonae aedificationis* (B add. *praebere*) *tamen scribe, idest* (ABU^{1}U^2 *tamen illud* [B om. *illud*] *scribe et*) *diligenter nota, quia ibi non est.*

463. (Sab. 3). *illuminet caecos, contractos* (ABDHSU^{1}U^2 *curvos*) *extendat, daemones pellat, surdis auditum, claudis gressum et mutis* (HDU^{1}U^2 *mutisque.* BS *et mutis multisque*) *restituat verbum et, quod plus est, quatriduanum restituat* (ABDHSU^{1}U^2 Conf. 140a2 *resuscitet*) *mortuum.*

464. (SAB. 5). *et virtutes herbarum et sciat revelationes* (ABDHU¹U² Conf. 140a2 *et essent* [D *sint*] *ei* [U² om. *ei*] *revelati omnes.* S *et essent ei revelationes*) *thesauri terrarum.*

465. (SAB. 7). AU¹U² totus deest.

466. (SAB. 9). *pluvia et frigore..... et fame afflicti.* — AU¹U² desunt.

467. (SAB. 10). *Imo estis duo* (U² om. *duo*) *ribaldi qui* (S om. *qui*) *itis circumquaque per* (ABDHSU¹U² *itis circumeundo*) *mundum eleemosynas pauperum* (SU¹ om. *pauperum*) *rapiendo* (B om. *el. paup. rap.*) *et non aperiret* (ABL *aperiet*) *nobis* (U² om. *nobis*) *sed faceret* (A *faciet*) *nos stare ad nivem et ad* (U² om. *ad*) *aquam in frigore* (B *stare in nive et frigore.* U¹ *stare ad nivem in aqua et frigore*) *et fame.*

468. (SAB. 13). *Penitus hic non manducabitis* (AU¹U² *penitus ignoro. Hic* [AU¹ add. *etiam*] *non manducabitis*). *Et si nos haec* (HS *hoc*) *patienter* (ADHU¹U² *gaudenter.* BS¹ Conf. 140a2 *gaudentes*) *portaverimus* (U¹U² *portabimus*) *et iniurias* (H *iniuriam.* ABDSU¹U² Conf. l. c. *iniuriati*) *cum amore* (B om. *cum am.*) *receperimus* (DHSU¹ *perceperimus.* U² *percipimus.* B Conf. l. c. *pepercerimus*) *toto corde.*

469. (SAB. 15). *et protervi et* (HU¹U² om. *et*) *ego pacabo eos.* (AU¹U² *pacabo vos.* B *placabo eos.* D *potabo eos.* S *potabo*). *Et exiens cum uno fuste* (ABHSU¹U² *baculo.* D *fuste et baculo*) *nodoso.*

470. (SAB. 17). *debemus, o frater Leo* (H add. *scribe*) *inter omnia charismata.* — ABDSU¹U² Conf. 140a2 (vide etiam 31a1) *debemus* (AB *debuerimus.* DSU¹U² *debuimus*), *o fr. Leo scribe quia ibi est perfecta laetitia, quia* (D om. *quia.* BS *quare*) *audi conclusionem: Frater Leo, inter* (S *in.* D *fr. Leo, quia*) *omnia charismata.*

Actus cap. 8. — A12 B8 D7 H8 L8 S112 U¹U²12.

471. (SAB.). *De locutione divina* (B om. *divina*) *facta per fr. Leonem sancto Francisco.* — AHU¹ *De locutione Dei facta per fr. Leonem* (HU¹ add. *ad b. Franciscum*) *tempore matutinarum* (H om. *temp. mat.*). — U² *De locutione Dei facta ad s. Franciscum et fr. Leonem* (1). S *De simplicitate et puritate fr. Leonis qui vere fuit primo* (!) *de locutione Dei ad s. Franciscum.*

472. (SAB. 1). *non habebant, quadam nocte dum surrexissent ad matutinas dixit s. Franciscus.* — ABDHSU¹U² *non habebant quando ad matutinum venerunt, dixit s. Fr.*

473. (SAB. 10). *quibus te informabo respondeas* (BS add. *sicut ego te doceo. Per sanctam obedientiam praecipio*). *Ego dicam sic.*

474. (SAB. 12). *et fr. Leo respondit. Deus Pater.* — ABDHSU¹U² *et fr. Leo respondit: Dicas pater amodo, quia ego dicam quemadmodum* (H add. *mihi*) *praecepisti. Et sanctus* (DHU² *Et frater*) *Franciscus laeta* (H *levata*) *facie in caelum* (DHS add. *et.* U² add. *levata et*) *manibus erectis in* (DS *ad*) *Deum ac flexis genibus cum fletu magno dicebat: O fr. Francisce, peccator magne* (H *maxime*), *o frater* (DHS add. *Francisce*) *captivelle* (D *captinelle*), *putasne miserebitur tui* (U² om. *tui*) *Deus, quum tot peccata contra patrem misericordiarum et Deum totius consolationis commiseris, quod non es dignus misericordiam invenire? Et fr. Leo respondit: Deus Pater.*

Actus cap. 9. — A82 B9 D8 H9 L9 S116 U¹82 U²81.

475. (SAB.). *De inventione montis Alvernae et visione fr. Leonis super s. Franciscum.* — AHSU¹U². *De inventione montis Alvernae* (S add. *et quomodo s. Franciscum vidit elevatum a terra*).

(1) Cod. U² in tabula (fol. 264b) exacte legit lemma ut cod. H.

476. (Sab. 1). *Salvator Iesus ipsi vicem rependebat honoris.* — ABD HSU¹U² *Salvator noster* (H om. *noster*) *Dominus* (HSU² add. *noster*) *Iesus Christus honoranti* (A *oranti*) *vicem rependebat honoris* (S *hominis*).

477. (Sab. 3). *Unde quando appropinquabat* (D *appropinquavit.* L *confluebat*) *ad terram* (HSU¹U² *terras*).

478. (Sab. 4). *Romandiolam* (HU¹U² *Romaniolam*)..... *Feretri* (H *Ferrati.* L *Feletri.* BS *Ferrei*).

479. (Sab. 7-10). AU¹U² *versus* 7-10 hoc modo contrahunt: A *Et inde adstanti multitudini praedicavit tam devote, quod omnes stabant suspensa mente quasi angelum attendentes.* — U¹U² *et inde adstanti multitudini praedicabat. Tam devota et divina eloquia per linguam eius eructavit Spiritus sanctus, quod omnes stabant suspensa mente quasi angelum attendentes.*

480. (Sab. 8). *in vulgari: Tanto è il bene ch' io aspetto, ch' ogni pena m' è diletto. Sensus est. Tantum est bonum quod exspecto, quod omnis poena me delectat. Et super haec verba.* — BS *in vulgari: Tanto è quel bene che aspecto* (S *aspeto*), *cognia pena me delecto* (S *deleto*). *Et super haec verba.* — D *in vulgari: Tanto equel bene te aspecto racione pena me delectat. Sensus est: Tantum..... delectat. Et per haec verba.* — H *in vulgari: Tantum est bonum quod exspecto quod omnis poena me dilectat. Et super haec verba.* — L *in vulgari: Tanto è quel bene che aspecto tatte pene me delecto. Sensus est: Tantum..... delectat. Et super haec verba.*

481. (Sab. 13). *Ille autem assentiens et post prandium* (ABDHSU¹U² *assentiens sumpto prandio* [A *post prandium*] *rediit et*) *cum s. Francisco.*

482. (Sab. 16). *quum redieritis ad partes vestras* (ABHSU¹U² *quum redieritis* [AHU¹U² add. *domum*] *in partibus vestris.* D *quum redierimus domum in partibus nostris*) *ego mittam.*

483. (Sab. 17). Quae apud Sabatier uncis includuntur v. 17-18 desunt in L. — ABDHSU¹ legunt haec: *illum requirerent. Sed* (S add. *illi*) *propter partes istis ignotas* (BS *propter loca illa ignota*) *cum magna difficultate castrum praedicti domini invenerunt. Quum autem ad* (DHU¹ *apud*) *dictum* (SU¹ *praedictum*) *dominum pervenissent* (S *venissent*). — U² *illum requirerent per partes ignotas cum maxima difficultate castrum praedicti domini invenerint. Quum autem* (etc. uti in U¹).

gento atque lapidibus pretiosis, exornantes penes se in locis mundis et ornatis, ex devotione servabant. Iste autem pater *Thomas* cum suo patre vel fratre illuc adveniens, testatus est mihi, quod amoto lapide a corporibus, introspiciens non foetorem sed suavissimum sensit odorem aromaticum, nec aliquid sanguinis nec circa colla percipere potuit decapitata nec [circa] aliam partem quamcumque corporum vel tumbae. Benedictus Deus.

4]. Item de doctore quodam gentili martyrizato cum suis discipulis *(Lemma est ex cod. 156, fol. 32).*

Retulit etiam tunc mihi idem pater *Thomas,* quod eo tempore quo supra vel circa in Turcia fuit quidam doctor peritus et excellens in lege et scripturis Mahumeti et Christi et aliarum legum, qui solemnis doctor habuit discipulos non segnes instruendos forte ducentos vel trecentos vel circa, viros utique probatos. Et disputando cum eis sic eos instruxit resolvendo se ac concludendo, quod lex Christi esset simpliciter optima inter omnes leges, etiam Mahumetis; et hoc debere fateri probans: Dixit, inquit, Mahumet in suo Alchorano, Christum contra naturam natum de virgine, et semper sancte vixisse, mortuumque ac interfectum sine culpa, sessurumque ad dexteram Dei, et Mahumetem ad sinistram, omnesque iudicaturum homines. Ergo cum Mahumetus sit homo et natus communi modo nascendi hominum, vitamque duxit bestialem, est cum aliis iudicandus in iudicio a Christo. Certum autem est iudicantem potiorem esse iudicando. Similiter et legem eius potiorem. Hic Rabbi ergo interrogatus a Turcho, similiter et omnes discipuli unanimiterque in hac sententia persistentes, omnes insimul in igne exuri iussi sunt, atque effectualiter combusti sunt, non dubium proprio in sanguine baptizati, martyres Christi effecti.

Woerden (Holland).

P. BONAVENTURA KRUITWAGEN, O. F. M.

INVENTARIUM OMNIUM DOCUMENTORUM

QUAE IN ARCHIVO

PROTOMONASTERII S. CLARAE ASSISIENSIS

NUNC ASSERVANTUR

Magni semper studentium rei Franciscanae interfuit Monasterii Sanctae Clarae Assisiensis non solum ob veneranda ibidem monumenta ad historiam Ordinis Clarissarum spectantia, asservata, sed etiam ob persuasionem constantem in dicto monasterio primo Minorum Ordinis saeculo, nonnulla fratrum scripta pretiosa Monialium S. Clarae curae fuisse concredita. Quae autem traditio fundari videtur praecipue testimonio fr. Ubertini Casalensis ducis notissimi « Spiritualium » (1259-1328). Etenim in libro *Arbor Vitae Crucifixae Iesu* (1) quem anno 1305 in Monte Alverna Ubertinus composuit, legitur quod Fr. Leo, socius B. P. Francisci famosus suos Rotulos « commendavit in Monasterio Sanctae Clarae custodiendos ad futuram memoriam » prout Fr. Conradus de Offida († 1306) viva voce audivit a fratre Leone (2). Ubertinum hac in re mentitum esse vix credibile est, nam « *Communitas* » certe ei contradixisset. Quomodocunque sit, testimonium eiusdem de scriptis Fr. Leonis Clarissis commendatis saepissime citatum est a scriptoribus posterioribus (3), quorum nonnulli quidem nostris temporibus opinabantur Rotulos istos manu fr. Leonis conscriptos imo forsan et nonnulla ex « multis scriptis », quae ipse B. P. Franciscus Clarissis direxit (4), in Monasterio S. Clarae, adhuc latere, sperabantque isti fore, ut felici tempore in lucem proferrentur (5). Et revera cum Bulla originalis Innocentii IV confirmans Regulam Sanctae Clarae per plura saecula deperdita nonnisi initio anni 1893 in dicto Mona-

(1) Edit. Venetiis 1485 lib. V c. 5 fol. E III r. a. Cf. etiam *Speculum Vitae B. Francisci et sociorum eius*, edit. Venetiis 1504, 50, b.

(2) Alibi vero dicit Ubertinus se Rotulos praedictos secum habere. Cf. *Declaratio Ubertini* apud Ehrle « *Zur Vorgeschichte des Concils von Vienne* » in *Archiv. für Lit. u. Kirchg.* t. III (Freiburg 1887) pag. 168.

(3) Conf. v. g. Papini *Storia di S. Francesco* lib. 2. Foligno 1827, p. 241 et *Notizie sicure della morte, sepoltura, canonizzazione e translazione di S. Francesco.* Firenze 1822, pag. 76 seqq.; Sabatier, *Speculum Perfectionis*, Paris 1897, p. CXLIII; Lemmens *Doc. Ant. Francisc.* pars I. Ad Claras Aquas 1901, p. 82; Lempp *Frère Elie,* Paris 1902, p. 42; Macdonell *Sons of Francis* London 1902, p. 104; Felder *Geschichte der Wissenschaftlichen Studien* etc. Freiburg 1904, p. 81; Boehmer *Analekten* etc. Tübingen und Leipzig 1904, p. LXV; Balfour *The Seraphic Keepsake* London 1905, pp. 9-10.

(4) « Plura scripta tradidit nobis ». Cf. *Test. B. Clarae* ap. *Acta SS.* Aug. t. II p. 747 n. 42.

(5) Conf. Sabatier *Vie de S. François* Chap. XIX p. 327 et *Speculum Perf.* p. LXXXI; De Kerval in *Bullettino Critico* an. I 1905 p. 5.

sterio inventa sit (1) non ideo spem omnem abiicere fas erat inveniendi partem saltem aliorum documentorum, quae de Seraphico Patre vel S. Clara agunt et quae tantopere desiderantur.

Illa autem scripta apud Monasterium Sanctae Clarae minime exstare nunc definitive affirmare possumus. Nam obtentis a S. Sede per Rmum P. Ministrum Generalem specialibus facultatibus intrandi Monasterium S. Clarae Assisiensis (2), Archivum dicti Monasterii nuper per plures dies investigavimus. Non obstante vero perdiligente examine in omni archivi angulo et post libros et supra armaria, perquisitis etiam parietibus, si forsan quid intra ipsos absconditum lateret — ut aliquando in antiquis monasteriis evenire potest (3) — ne vestigium quidem Rotulorum Fr. Leonis vel Scriptorum B. P. Francisci inibi reperiri datum est. Neque id nobis inopinate accidit, cum ducti simus non tam spe documenta praedicta inveniendi, quam desiderio demum rem authentice stabiliendi.

Quomodo autem huiusmodi documenta manibus Clarissarum evaserint, coniecturare est (4). Et revera, si moniales ea unquam habuerunt aut coactae fortasse documenta cedere debuerunt aut forsan timentes, ne iniuriis temporum ac hominum eorum securitas periclitaretur, illa absconderunt magis secure quam sapienter. Tamen iam saeculo XIV ineunte, Ubertinus Casalensis praecitatus refert se audivisse « cum multo dolore » Fr. Leonis Rotulos fuisse « distractos et *forsan perditos,* maxime quosdam ex eis » (5). Quidquid est hac de re, aliunde constat alia Monasterii S. Clarae scripta « causaliter deperdita esse »; inter quae litterae originales Ioannis XXII incip. *Sacra vestra religio* et die 17 Sept. 1317 Monialibus S. Clarae directae (6) nominantur (7) quae litterae, utpote de decimis non praestandis, omni uti patet sollicitudine a Clarissis conservatae fuissent. Nefas tamen esset negligentiae adscribere iacturam diversorum documentorum apud S. Claram olim asservatorum. Nonnulla enim scripta in dicto Archivo nunc inventa, quae de aliquibus Monasterii depraedationibus mentionem faciunt, multorum documentorum absentiam explicare valent. Ex-

(1) Notum est enim Abbatissam Monasterii S. Clarae M. Mathildam Rossi hanc Bullam absconditam invenisse in mantello S. Clarae, quod inter reliquias Sanctae asservabatur sine notitia reliquiae pretiosior quam occultabat. Cf. *Litterae D. Nicanoris Priori* Assisien. Episcop. die 13 Feb. 1894 universis totius Orbis Clarissis hac super re directas.

(2) Liceat nobis Emo. Card. Cassetta optime merito Monasterii S. Clarae Protectori, nostras humiles gratias exhibere pro facultatibus supradictis nobis humanissime concessis.

(3) Ita v. g. MSS. et libri Conventus Montis Reatini a fratribus tempore suppressionis infra parietes absconditi, anno 1891 detecti sunt et ad Bibliothecam Communale Reatin. translati.

(4) Necesse haud videtur recurrere ad decretum illud famosum capituli Generalis Parisiis anno 1266 celebrati, ut absentia Rotulorum fr. Leonis apud S. Claram explicetur.

(5) Cf. *Arbor Vitae,* l. c.

(6) De quibus cf. Eubel *Bullar. Franc.* t. V p. 125 n. 283.

(7) A Clemente scil. VI in litteris incip. « *Tenorem quarundam Litterarum* » datis 8 Maii 1343 ut vid. est apud Eubel *Bullar.* t. VI p. 105 n. 183.

stat ibi inter alia Bulla Pii IV anno 1560 data et hucusque, ut videtur, inedita ex cuius tenore concludere licet antiquum Archivum una cum Monasterio integro paulo antea expilatum fuisse quippe cum Papa iniungat Episcopo Assisiensi seu eius Vicario Generali, ut retentores bonorum Monasterii S. Clarae etiam scripturarum ad restitutionem compellat. Ceterum non iam omnia MSS. nunc extare in Archivo, quae anno 1759 inibi exstiterunt, compertum est ex elencho quodam Archivi hoc anno confecto (1). E contra nonnullae Bullae, in dicto elencho haud enumeratae, in archivo nunc invenimus (2).

Si vero consideremus, quas vicissitudines Monasterium Sanctae Clarae etiam ultimis historiae suae saeculis subierit mirandum non est, si pars documentorum, quae temporibus praeteritis in dicto Monasterio exstiterunt, hodie ibidem non amplius inveniuntur, imo mirum potius est, quod moniales tot usque nunc praeservare potuerunt. Anno siquidem 1796 occasione invasionis Gallicae, Clarissae non solum e Monasterio expulsae sunt, aegreque illis res necessarias secum portare permissum est, sed earum cellae sicut et variae monasteria officinae locatae sunt familiis ad habitandum vel a militibus occupatae sunt. Quot tribulationes hoc tempore passae sint moniales cum terroribus, bonorum spoliatione, exsilio et fame, narrantur stilo simplici et sincero in chronico quodam in Monasterii Archivo existenti, lectuque dignissima. Nulla igitur reputanda est culpa Clarissarum, si scripta ad eas directa aut earum curae commissa ad nos usque intacta non pervenerunt. Archivum enim apud S. Claram, in quantum conservatum est, sollicite cura custoditur et Abbatissae, quae nunc praeest Monasterio, omnino commendanda est opera atque prudentia, quam impendet in Archivo isto in ordinem redigendo (3).

Quibus premissis, speramus fore, ut descriptio quaedam illorum quae in dicto Archivo nuper recollegimus omnibus grata futura sit. Sequitur ideo inventarium omnium documentorum, quae in Monasterio S. Clarae Assisiensi asservantur chronologice digestum et nunc primum editum.

I. — Litterae Pontificiae.

1. Bulla Gregorii IX direct. *Dilectis in Christo filiabus Clarae et aliis ancillis Christi in Ecclesia S. Damiani Assisii Congregatis* incip. *Sicut manifestum est* etc. Dat. Perusii XV Kal. Oct. Pontif. an. II (17 Sept. 1228). Pro altissimae paupertatis proposito servando statuit et concedit, ut Damianitae possessiones recipere a nemine compelli possint (4). Hoc cele-

(1) A P. Ubaldo Tebaldi Min. Conv. de quo scripsit Papini *Scriptores Ord. Minor. vulgo Conventualium S. Francisci usque ad annum 1800,* p. 257 (MS. servatur apud Bibl. Communalem Assisien.). Cf. etiam Sabatier *Spec. Perf.*, p. XL.

(2) Elenchum P. Tebaldi, licet incompletum, in preparatione huius Inven-ventarii prae oculis habuimus.

(3) Hac occasione libenter gratias agimus memoratae Abbatissae M. Carmelae Cherubinae, quae omnem curam et auxilium nobis in Archivo investigando praestitit, ne quid, vel minimi valoris, nos effugeret.

(4) Notandum est hoc privilegium exstare impressum in *Firmam. trium Ordinum* (Parisiis 1512, par. 5 fol. 5r.a et b) sub nomine Innoc. III sed sine anno die vel loco quibus datum fuerit et cum quodam in fine additamento ab aliquo,

berrimum «*Seraphicae Paupertatis Privilegium*», primum sui generis (1) charactere curiali exaratum est; habet 35 cent. alt. et 35 cent. lat. (cum plica 2 cent.), ita ut quadratum penitus sit. Sigillum plumbeum filo serico flavo rubeoque pendet. Boni status adhuc est, si a paucis parvisque foraminibus exesis abstraheris. In marginibus superiore et inferiore quaedam particulae excisae sunt ut pergamenum melius in quadro affigatur (2). In dorso manus saec. XIII scripsit: «*Privilegium Gregorii Pape IX quo* (quomodo?) *non possunt cogi recipere possessiones ab aliqua persona*» et subtus manus saec. XVIII addidit «*lettera di Papa Grigorio mandata a Santa Chiara 8°*». Alia signa vel notae cuiuscumque generis omnino desunt. — Cf. Sbaralea *Bullar. Francisc.* t. I (Romae 1759) append. p. 771 n. 29 al. CCCXLVI: textus etiam publicatus est in *Seraph. Legislat. Textus Originales* (Quaracchi 1897) auctore P. Hilario Parisiensi (pp. 97-98) cum descriptione eiusdem (pp. 22-24) et photographice reproductus est anno 1894 (Roma, Fototipia D. Danesi).

2. Bulla Gregorii IX direct. *Abbatissae et Conventus Monasterii S. Angeli de Panzo Ord. S. Damiani Assisinat.* (3) incip. *Cum a Nobis* etc. Dat. Laterani XVI Kal. Ian. Pontif. an. XII (17 Dec. 1238). Monasterium praedictum sub Sedis Apostolicae protectione suscipit eiusque possessiones specialiter confirmat (4). Sig. plumb. filo serico pendet. Originale

---

ut videtur, imperite apposito; unde supposititium et commentitium censetur. Cf. Sbaralea *Bull. Francisc.* t. I p. 50 not. e; deest vero penitus in *Firm. tr. Ord.* Venet. 1513 cf. *ibi* 2660.

(1) Anno vero sequenti die 16 Iunii Gregorius IX idem privilegium concedit Clarissis Monasterii Montis Lucidi Perusii, ubi anno 1759 autographum asservabatur (cf. Sbaralea l. c. t. I p. 50 num. 26), quod ubi nunc sit nescimus. Dictum Monasterium nuper visitavimus, sed nec unum quidem documentum inibi superest; multa autem Monasterii scripta in Bibliotheca Communali Perusii sub pulvere delitiscunt. Similiter et e pluribus aliis Monasteriis antiquis Clarissarum, quae visitavimus documenta omnia prorsus ablata sunt.

(2) In choro enim monialium sub crystallo nunc asservatur.

(3) Istud erat Monasterium, in quo B. P. Franciscus Sanctam Claram ex pristino Sancti Pauli domicilio deductam, ad tempus collocavit. [Cf. Wadding. *Annales* ad an. 1212 n. 24 t. I p. 127 *Acta SS.* Aug. t. II Vita S. Clar. p. 756]. Quo quidem tempore moniales praedictae S. Angeli Regulam S. Benedicti profitebantur, ut patet ex diversis instrumentis apud Archivum S. Rufini Assisien. asservatis; postmodum vero S. Clarae Regulam amplexae sunt [cf. Wauer *Entstehung und Ausbreitung des Klarissenordens* Leipzig 1906 p. 29] et ab anno circiter 1238 monasterium dicitur Ordinis S. Damiani, ut in hac Bulla. Quod attinet situm Monasterii, non erat infra civitatem Assisii sicut legitur apud Le Monnier *Histoire de S. François,* Paris 1891 t. I p. 230, Fratini *Biografia di Santa Chiara,* Foligno 1888 p. 14 aliosque, sed extra et quidem in declivitate Montis Subasii 35 minutas circiter distans ab Assisio per Portam Novam et non longe extra viam, quae a pago S. Vitalis ad «*Carceres*» ducit. Dirutam Monasterii capellam nuper visitavimus et sequentem inscriptionem transscripsimus: «D. O. M. Ecclesiam istam dicatam divo Michaeli Archangelo hoc in loco a fundamentis erexit anno 1604 Dux Ferrantes Bonacquisti cum lapidibus vetustissimi, celeberrimi sed diruti templi Sancti Angeli in Panzo ab eodem translatis de commissione Marcelli Crescentii tunc temporis Æpiscopi Asisien. largientis eidem consueta privilegia etiam de beneplacito». Verba quae sequuntur non amplius leguntur. Cf. Locatelli *Vita di S. Chiara,* Assisi 1854, pp. 40-41.

(4) Ex quibus patet Monasterium S. Angeli Regulam suscepisse, quam idem Pontifex anno circiter 1219 dum esset Card. Epus Hostiensis omnibus Clarissis praescribere voluit.

habet 20 cent. alt. 28 cent. lat. et plica 2,05 cent. Bene servata (1). — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. I p. 258 n. 285; Potthast *Reg. Pontif. Roman.* t. II (Berolini 1875) N. 10684.

3. Bulla Innocentii IV direct. *Universis Abbatissis et Sororibus inclusis Ord. S. Damiani* incip. *Cum Universitate Vestrae* etc. Dat. Ianuae XII Kal. Sept. Pontif. an. II (21 Aug. 1244). Declarat ipsas ad observantiam Regulae S. Benedicti non teneri, nisi quoad tria vota quibuscumque Religiosis communibus, scil. obedientiae paupertatis et castitatis observanda, cum ipsis alia formula ab initio praescripta fuisset. Funiculo canapeo pendet sigillum. Perg. 20,05×23 et plica 2,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. I p. 350 n. 67 ubi notandum *substinetis* perperam legi pro *sustinetis;* Potthast l. c. t. II N. 11451.

4. Bulla Innocentii IV direct. *Dilectis in Christo filiabus Clarae Abbatissae aliisque Sororibus Monasterii Sancti Damiani Assisinat.* (2) incip. *Solet annuere sedes* et dat. Perusii V id. Aug. Pontif. an. XI (9 Aug. 1253). Vitae formulam a B. P. Francisco S. Clarae traditam et ab Episcopo Ostiensi et Velletrensi (3) approbatam confirmat, tenorem ipsius de verbo ad verbum litteris suis inserens (4). Laqueo serico subest sigillum. Perg. 55×69 centim., aliquibus in locis erosum et perforatum in marginibus magis corruptum et obliteratum, utpote per plura, saecula, ut iam notavimus, in loco humido neglectum. In margine superiore extremo sinistro pergameni characteribus minusculis reagentiis chimicis revivificatis, haec verba leguntur « *Ad instar fiat S.* » et subter haec alia verba videntur: « *Ex causis manifestis michi et protectori mon(asterii?) fiat ad instar* » (5). In dorso supra latus plicaturae manus coeva scripsit « *Bulla confirmationis regulae Sanctae Clarae per Dominum Innocentium IIII* » « *Hanc (?) beata* (non quidem *dicta,* ut perperam legit Cozza-Luzzi) (6) *Clara tetigit et obsculata est pro devotione pluribu(s et?) pluribus vicibus* ». Traditur enim B. Claram hanc bullam manibus tenuisse donec spiritum efflaret (7). — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. I pag. 671 n. 496 ubi Bulla editur ex *Firmam. Trium Ord.* Textus ex originali prima vice evulgatus est in *Seraph. Legislat. Text. Orig.* (Quaracchi 1897) pp. 49-75; cum descriptione eiusdem pp. 2-3 et 14-16 et photographice reproducta est apud Danesi, ut supra; cf. etiam Potthast n. 15086; Cherubini *Bullar.* I. 101; *Bullar. Roman.* ed. Taur. III. 570; Wadding *Annales* ad an. 1253 n. 7 (t. III p. 303) et an. 1224 n. II (t. II p. 78); Cozza-Luzzi *Chiara di Assisi secondo alcune nuove scoperte e documenti,* Romae tip. Sociale 1895.

(1) Notamus semel pro semper deinceps consueto modo dimensiones bullarum indicari, ita ut altitudo primo loco ponatur et secundo latitudo. Quae animadversio inutilis ideo non erit, quia valde variantur dictae dimensiones.

(2) In *Speculo Minor.* Rothomagi 1509 part. 3 et in *Firmam. Trium Ordinum* ed. Paris 1512 pars V fol. IIv.a et ed. Venet. 1513 fol. 166v.b sicut etiam in *Bullar. Roman.* perperam legitur « Sanctae Clarae »; Wadding vero (*Annales* t. III p. 303) reposuit « Sorori Clarae ».

(3) Raynaldus scil. de Comitibus postea Alexander IV dictus.

(4) De origine et evolutione Clarissarum Regulae cf. Lemmens: « *Anfänge des Clarissenordens* » in *Römische Quartalschrift* t. 16 (1902) p. 93 seq. De eius authenticitate *omnino dubitari nequit,* inspectis forma, pergameno, scribendi modo atque stilo, quare dubium a Wauer, l. c. pag. 43 not. 2 motum penitus inane est.

(5) Quae verba secundum Abbatem Ioseph Cozza-Luzzi ipse Innocentius IV manu propria scripsit. Cf. *Un autografo di Innocenzo IV e memorie di S. Chiara* ed. 2 Romae 1895 Tip. Vatic. § XV pp. 79-80 et *op. cit.*

(6) Cf. *Chiara di Assisi* etc. p. 45.

(7) Cf. *Histoire abregeé de l'Ordre de Sainte Claire d'Assise* t. II (Lyon 1906) p. 119.

5. Bulla Innocentii IV direct. *Ven. Fratri Episcopo Spoletano* (1) incip. *Gloriosus Deus in* etc. Dat. Laterani XV Kal. Nov. Pontif. an. XI (18 Oct. 1253). Mandat, ut de vita et miraculis S. Clarae Assisiensis secundum Interrogatoria, quae sub bulla sua ei mittit inclusa (2), inquirat et inventa publica manu subscripta ad se transmittat (3). Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 29×36,05 et plica 2,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. I p. 684 n. 504; Potthast. n. 15158 et Cozza-Luzzi « *Il codice Magliabechiano della Storia di S. Chiara* » in *Bollettino della Società Umbria di Storia Patria* Vol. I 1895 p. 424.

6. Bulla Innocentii IV direct. *Abbatissae* (4) *et Sororibus Monialium Inclusarum Assisinat. S. Damiani* incip. *Vestrae meritis Religionis* etc. Dat. Laterani VI Id. Febr. Pontif. an. XI (8 Febr. 1254). Concedit, ut de usuris atque rapinis, dummodo ii, quibus restitutio facienda esset, ignorentur et de quibuslibet etiam legatis indistincte in pios usus relictis, usque ad quingentas libras recipere valeant (5). Sigill. plumb. filo serico

---

(1) Bartholomeo Accorombani qui dioc. Spolet. praefuit 1236-1271. Cf. Eubel *Hierarchia Cath. medii aevi* t. I (1898) p. 485.

(2) Interrogatoria non habentur, sed probabilius fuerunt sicut illa pro canonizatione S. Elisabeth Thuringiae quae nuper inventa, forma originali maximam partem prima vice edidit Dr. Alb. Huyskens, *Quellenstudien zur Geschichte der hl. Elisabeth,* Marburg 1908 p. 112 ff.

(3) Documenta ad Papam transmissa per Episcopum Bartholomaeum post has litteras, si invenirentur, sine dubio multum conferrent ad stabiliendum originem Legendae coevae anonymae B. Clarae a Bollandistis editae (*Acta SS.* t. II Augusti pp. 754-767) et hoc nostro tempore plerumque Thomae de Celano attributae. Scriptor vero amplificatae versionis italicae huius legendae descriptae apud Cozza-Luzzi (« *Il codice Magliabechiano della Storia di S. Chiara* » in *Bollettino della Società Umbra di Storia Patria* Vol. I 1895 fasc. 2 pp. 417-426) profitetur adiecisse multa ab auctore omissa, eaque omnia deprompsisse ex narratione aut ex notis de Vita B. Clarae scripta in usum D. Bartholomaei per fr. Leonem in autumno subsequenti mortem Sanctae. Insuper prologus Legendae in ms. Magliabechiano, qui est documentum maximi valoris pro reconstructione critica historiae B. Clarae, dicit D. Bartholomeum fuisse primum eiusdem Sanctae biographum. Si res ita se habet, forsan inferre liceat, Thomam de Celano qui fruebatur scriptoris nomine, biographiam Episcopi Spoletani in formam litterariam redegisse et publicasse anno 1255 iubente Alexandro IV aeque ac, iuxta plures, fecit in sua *Vita Secunda* B. P. Francisci cum notis etc. quas Tres Socii ad Ministrum Generalem Crescentium anno 1246 transmiserant. Quid quid est, biographia primitiva Bartholomei scripta in responsum ad Bullam praesentem et quae sane haberet valorem specialem ut antiquissima vita S. Clarae, et fons principalis Bullae Canonizationis eiusdem, adhuc invenienda est. Cum spe obtinendi forsan in archivo Episcopali Spoleti indicia aliqua hac super re, nuper nos contulimus ad hanc urbem. Cum autem Ill. Mgr. Mich. Faloci Pulignani, Vic. Gen. dioeceos et tam edoctus in hac materia nobis affirmasset nulla omnino documenta in archivo exstare Concilio Tridentino antiquiora reluctanter ab investigatione destitimus.

(4) Benedictae, scil. Assisiensi, quae post obitum S. Clarae constituta est monasterii S. Damiani Abbatissa. Cf. Wadding *Annales* ad an. 1214 n. 34 (t. I p. 214) et Arthur *Mart. Franciscanum* ad diem 19 Oct. (2 ed. Parisiis 1653) p. 512. Corpus B. Benedictae apud S. Claram Assisien. requiescit et effigies eius (ut notat Cristofani, *Storia della Chiesa e Chiostro di S. Damiano* cit. p. 109) videtur depicta ad calcem Crucifixi Cimabono attributi cum hac inscriptione: « Dna Benedicta post Claram B. Abbat. me fecit ».

(5) Eodem die in eundem modum scribens guardiano et fratribus Ord. Min. S. Francisci Assis. idipsum ipsis concessit, cf. Sbaralea *Bullar.* t. I p. 701, Potthast 15226 et Angeli *Collis Paradisi* (Montefalisco 1704) lib. 2 p. 20.

pendet. Perg. 22×32 et plica 3 centim. Pergamenum pessima in conditione est. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. I p. 702 sub n. 515.

7. Bulla Alexandri IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii S. Damiani Assisinat.* incip. *Cum a nobis* etc. Dat. Neapoli V Idus Mart. Pontif. an. I (11 Martii 1255). Confirmat duo instrumenta publica circa permutationem Ecclesiae S. Georgii civitatis Assisii (1) et eius Hospitalis cum Ecclesia S. Damiani inter Episcopum (2) Capitulumque Assisinat. et Monasterium S. Damiani utrique parti propositam a D. Ioanne tit. S. Laurentii in Lucina presb. Cardinali cuius arbitrio hac in re tam Capitulum quam moniales S. Damiani se subdiderant (3). Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 49,05×73 centim. Pergamenum multum corrosum. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 22 n. 30; Potthast n. 15734.

8. Bulla Alexandri IV direct. *Abbatissae et Sororibus Monasterii S. Clarae Assisinat.* (4) incip. *Largifluae paternae caritatis* etc. Dat. Viterbii XVI Kal. Nov. Pontif. an. III (17 Oct. 1257). Ipsas hortatur, ut matris suae beatissimae Clarae vestigiis perpetuo inhaereant et Abbatissae (5) apostolicam benedictionem specialiter impartitur. Sigill. huic bullae deest: cordula tamen pendet. Perg. 36×53 et plica 4 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 252 n. 373; Potthast n. 17043.

9. Bulla Alexandri IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii S. Clarae et S. Damiani Assisinat.* incip. *Inducunt nos vestrae* etc. Dat. Anagniae VI Id. Maii Pontif. an. V (10 Maii 1259). Confirmat. instrumentum conventionis factae die 19 Aprilis 1257 per acta Beinvinuti Carpellae Notarii Fulginatis inter D. Fr. Nicolaum Ord. Min. Episc. Assisien. et Moniales S. Clarae, vi cuius et ex compositione D. Cardinalis Blanci, moniales cedunt Episcopo domum quandam cum stariis terrae sex prope Monasterium S. Damiani sitis; Episcopus vero ipsas eximit a censu annuo 18 denariorum Lucensium aut Senensium, quem quotannis capella S. Georgii mensae Episcopali solvere tenebatur. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 59×76 et plica 2 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 337 n. 486; Potthast n. 17564.

10. Bulla Alexandri IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii S. Damiani et S. Clarae Assisinat.* incip. pariter *Inducunt nos vestrae* etc. Dat. Anagniae VI Id. Maii Pontif. an. V (10 Maii 1259). Confirmat aliud instrumentum valde prolixum de permutatione Ecclesiae S. Georgii eiusque hospitali cum Monasterio, Ecclesiaque S. Damiani, confectum

(1) Corpus vero B. Clarae iam a die 12 Aug. 1253 iacebat in hac Ecclesia ubi anno 1212 conversio eius initium habuerat. Cf. Vitam S. Clarae ap. *Acta SS.* t. II Augusti p. 765 n. I; Papini *Storia* ecc. t. I Foligno 1825, p. 165 et infra sub n. 79. Porro in dicta S. Georgii Ecclesia B. P. Franciscus legere didicerat et predicare inceperat; ibi corpus eius primum conditum fuerat, ibique canonizatus est.

(2) Nicolaum scil. a Carbio ord. min., de quo cf. Eubel l. c. p. 114. Electus episcopus fuerat loco Fr. Crescentii a Iesi ord. min. qui approbationem Innocentii IV non obtinuerat.

(3) Exstant diversa documenta super hac permutatione in archivo S. Rufini Assisiensis. Hic gratias quam maximas dicere volumus Ill. Mgr. Andreae Priori Tini dioec. Assisien. Vicario Generali, qui nobis aperuit thesauros Archivi Eccl. Cathedralis S. Rufini, quod nunc in ordinem redigit et Catalogum dicti archivi a cl. Francisco Antonio de Frontinis factum anno 1795, nobis utendum liberalis concessit.

(4) Relata vero in Catalogo Sanctorum B. Clara etiam huius Sanctae titulum monasterium S. Damiani tulit.

(5) B. Benedictae, de qua supra.

Assisii coram praedicto D. Fr. Nicolao Episcopo, Potestate et toto Concilio Generali iniuste obnitentibus et non comparentibus tametsi legitime citatis et vocatis capitulo et canonicis Ecclesiae Cathedralis S. Rufini ad quos Ecclesia S. Georgii cum adnexo hospitali pertinebat (1). Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 36×48 et plica 3 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 338 n. 487; Potthast n. 17565.

11. Bulla Alexandri IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii de Panzo Assisinat. dioecesis Ordinis S. Damiani* incip. *Haberi percepimus* etc. Datum Anagniae X Kal. Nov. Pontif. an. V (23 Oct. 1259). Ad harum monialium petitionem confirmat quasdam litteras Regulae S. Clarae mitigatorias, quas ipse dum esset Card. Episc. Ostiensis ediderat Romae VIII Kal. Maii Pontif. Innocentii IV anno XI. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 34,05×40 et plica 2 centim. Paululum corrosum est. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 387 n. 517; Potthast n. 17686.

12. Bulla Alexandri IV direct. *Ven. fratribus Perusinae, Spoletanae, et Assisinat. dioecesium Episcopis* (2) incip. *Cum in vigilia* etc. Dat. Sublaci V Id. Sept. Pontif. an. VI (9 Sept. 1260). Ut personaliter intersint translationi proxime ventura corporis S. Clarae in maius altare Ecclesiae S. Clarae verbumque Dei ad populum habeant, mandat, indulgentiam annuatim in festo translationis ipsis concedendo. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 19,05×31,05 et plica 4 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 407 n. 578; Potthast n. 17942.

13. Bulla Urbani IV direct. *Potestati et Communi Assisinat.* incip. *A vestra sollicite* etc. Dat. Viterbii Kal. Iunii Pontif. an. I (1 Iun. 1262). Prohibet ne domus Monasterio S. Angeli de Panzo Ord. S. Damiani a quodam Philippo de Assisio Sedis Apost. Capellano legato a communitate Assisin. auferatur. Sigill. filo canapeo pendet. Perg. 23×32 et plica 4,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 447 n. 35; Potthast n. 18343.

14. Bulla Urbani IV direct. *Guardiano fratrum de Ordine Minorum S. Francisci Assisinat.* incip. *Ex parte dilectarum* etc. Dat. apud Urbem Veterem X Kal. Iulii Pontif. an. II (22 Iun. 1263). Mandat, ut de pervetusta capella S. Georgii quae intra clausuram Monasterii S. Clarae « antequam idem Monasterium inceptum fuisset constructa extitit », ad alium locum commodiorem transferenda videat et provideat. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 15,05×17 et plica 2 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. II p. 473 n. 69; Potthast n. 18571.

15. Bulla Clementis IV direct. *Abbatissae* (3) *et Conventui Monasterii S. Clarae Assisinat. Ord. S. Clarae* incip. *Licet is de* etc. Dat. Perusii

(1) Propter oppositionem Capituli Ecclesia S. Georgii cum hospitali contiguo nonnisi anno 1257 Clarissis assignata fuerat. Via commutationis moniales Capitulo cedebant Ecclesiam parochialem « S. Giacomo di Murorotto » dictam cum suis adnexis et bonis, quae in donum gratiosum anno 1256 acceperant a Dom. Iacobo abbate Farfensi per litteras patentales, apud archivum S. Rufini asservatas. Cf. *Instrumenti e Bolle copiate dall' Archivio di S. Rufino del Car. Francesc' Antonio Frondini* (1795) p. 234. Ecclesia nova B. Clarae dicata ac monasterio apud S. Georgium excitatis autumno anno 1260, moniales de loco S. Damiani extra muros Assisii translatae sunt. Cf. Cristofani *Storia della Chiesa e Chiostro di S. Damiano* (3. ed. Assisi 1882) p. 109.

(2) Bernardo scil. Corio, Barth. Accorombani et Nicolao de Carbio de quibus cf. Eubel op. cit.

(3) Nomen huius Abbatissae, B. Benedictae succedentis ignoratur. Errat Sbaralea nomen B. Benedictae hic ponendo; mortua enim est dicta Benedicta iam die 16 Martii 1260, antequam scilicet Clarissae de loco S. Damiani ad S. Cla-

II Kal. Aug. Pontif. an. I (31 Iul. 1265). Indulgentiam perpetuam unius anni visitantibus Ecclesiam S. Clarae, in festo ipsius Sanctae et per octavam eiusdem Indulgentiam 40 dierum concedit. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 19,05×34 et plica 3,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 25 n. 27; Potthast n. 19294.

16. Bulla Clementis IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii S. Clarae Assisinat. Ord. S. Clarae* incip. *Paci et quieti* etc. Dat. Perusii Non. Aug. Pontif. an. I (5 Aug. 1265). Prohibet ne quis inconsulto Romano Pontifice aedificet locum sacrum vel religiosum prope Monasterium S. Clarae Assis. infra spatium 300 cannarum Assisiensium (1). Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 22,05×32,05 et plica 3,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 27 n. 29; Potthast n. 19303; Cristofani *Delle Storie d'Assisi* ed. 3 lib. 2 p. 110.

17. Bulla Clementis IV direct. *Fratribus Ecclesiae S. Clarae de Assisio* (2) incip. *Cum in septimana* etc. Dat. Perusii XII Kal. Sept. Pontif. an. I (21 Aug. 1265). Mandat ut necessaria pro consecratione Ecclesiae S. Clarae a se proxima die Dominica (vid. III Kal. Sept.) peragenda ibidem preparent. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 16×22,05 et plica 2 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III pp. 28-29 n. 31; Potthast n. 19320.

18. Bulla Clementis IV direct. *Abbatissae* (3) *aliisque Sororibus Monasterii S. Clarae Assisinat.* incip. *Solet annuere Sedes* etc. Dat. Viterbii 2 Kal. Ian. Pontif. an. II (31 Dec. 1266). Confirmat ad instar Innoc. IV (4) approbationem Regulae S. Clarae factam 2 Sept. 1252 a Raynaldo Episcopo Card. Hostiensi postea Alexandro IV. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 58,05×75 et plica 2,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 107 n. 116; Potthast n. 19907.

19. Bulla Clementis IV direct. *Abbatissae Monasterii S. Clarae Assisinat. eiusque Sororibus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum* incip. *Etsi Universae Orbis* etc. Dat. Viterbii (5) Idib. Ian. Indict. Incarn. Domini 1267 (6) Pontif. an. II. Monasterium

---

ram translati sunt. Cf. Cristofani *Storia della Chiesa e Chiostro di S. Damiano* 3 ed. p. 109.

(1) Civitates enim et oppida fere omnia variis utebantur mensuris et nominibus.

(2) Scil. Ord. Min. qui monialibus inserviendi causa apud Monasterium morabantur. Unde in vetustissimo *Provinciali* Ord. Frat. Min. (ed. Eubel, Quaracchi 1892, p. 4) Locus S. Clarae sub Custodia Assisinat. nominatur; cf. etiam Barth. Pisan. *De Conformitate* etc. in *Analecta Franciscana* t. IV (Quaracchi 1906) p. 504. Exstant in archivo Communali Assisiensis plura documenta quoad discordiam inter Fratres Conventuales Conv. S. Francisci et Fratres Observantes B. Amadei, qui ultimi anno circiter 1502, ad curam Monialium Monasterii S. Clarae deputati sunt. Cf. *Catalogo delle pergamene e degli antichi autografi dell' archivio Communale di Assisi* (impresso Assisii 1903 cura Societatis Internationalis Studior. Franciscan.) pp. 72-73. Fratres vero Minores ad S. Claram non amplius morantur; remanent autem adhuc apud Monasteria S. Clarae Neapol. S. Luciae Fulginei, SS. Trinitatis Eugubii etc. Cf. P. Livarius Oliger: *Dove è morto il B. Iacopone?* (Quaracchi 1907) pp. 10-11.

(3) Cf. not. 1 sub n. 14.

(4) Cf. supra Bullam Innoc. IV diei 9 Aug. 1253 sub n. 4.

(5) « Per manum mag. Michaelis de Tholosa S. R. E. Vice cancellarii ».

(6) MCCLXVII est forsan error scriptoris, ut notat Sbaralea l. c., nam ex more Curiae Romanae in Bullis annum Incarnationis Dominicae a die 25 Martii inchoantis scribendum erat MCCLXVI.

S. Clarae Assisiense sub Sedis Apostolicae protectione suscipit idemque ab omni iurisdictione tam Assisinat. Episcopi quam cuiuslibet alterius prelati exemptum declarat. Est bulla consistorialis subscripta nominatim ab omnibus [14] qui tunc aderant in Curia S. R. E. Cardinalibus. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 57×58 et plica 4 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 108 n. 118; Potthast n. 19920 Wadding-Melissano *Supplem. ad Annales* an. 1266 n. I.

20. Bulla Clementis IV direct. *Universis Abbatissis et Sororibus Monasteriorum Ordinis S. Clarae* incip. *Inducunt nos devotionis* etc. Dat. Viterbii Id. Mart. Pontif. an. IV (15 Mart. 1268). Indulget ipsis earumque capellanis, ut tempore interdicti generalis Divina officia submissa voce ianuis clausis etc. celebrari faciant. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 20,05×29 et plica 3 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 141 n. 154; Potthast n. 20291; Wadding-Melissano *Supplem. ad Annales* an. 1268 n. I.

21. Bulla Nicolai III direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii de Panzo Assisinat. Ordinis S. Benedicti* (1) incip. *Cum a Nobis* etc. Dat. Romae apud S. Petrum VI non. Maii Pontif. an. I (2 Maii 1278). Omnia privilegia immunitates et indulgentias eis et monasterio a suis predecessoribus concessas confirmat. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 19,05×28 et plica 2,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 302 n. 24; Potthast n. 21315.

22. Bulla Nicolai III direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii de Panzo Assisinat. Ordinis S. Benedicti* (2) incip. *Sacrosancta Romana Ecclesia* etc. Dat. Romae apud S. Petrum VI non. Maii Pontif. an. I (2 Maii 1278). Monasterium sub Sedis Apostolicae protectione suscipit eiusque possessiones ac alia bona confirmat. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 18×27 et plica 3 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 302 n. 25; Potthast 21316.

23. Bulla Nicolai III direct. *Abbatissae et Conventui Monialium pauperum inclusarum Monasterii S. Clarae Assisinat.* incip. *Mundi spernentes illecebras* etc. Datum Romae apud S. Petrum XII Kal. Iun. Pontif. an. I (21 Maii 1278). Statuit ut ipsis earumque Monasterio per constitutionem quandam Concilii Lugdunensis (3) nullum praeiudicium generetur tametsi ex quaestu victitent quotidiano. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 26,05×39 et plica 4,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 308 n. 3; Potthast n. 21324; Wadding *Annales* ad an. 1278 n. VIII (t. V p. 444).

24. Bulla Nicolai III direct. *Abbatissae et Conventui Monialium pauperum inclusarum Monasterii S. Clarae* incip. *Cum a Nobis* etc. Dat. Viterbii VI Id. Aug. Pontif. an. I (8 Aug. 1278). Omnia privilegia etc. dicti Monasterii eiusque Ecclesiae confirmat. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 19,05×28 et plica 3 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 334 n. 52; Potthast n. 21388.

---

(1) Notandum est abbreviatorem Nicolai III procul dubio errasse dum moniales S. Angeli de Panzo hic et in sequenti Bulla Ordinis S. Benedicti appellavit. Moniales enim praedictae a temporibus Gregorii IX Regulam S. Clarae amplexae erant, ut supra diximus (sub n. 2). Confirmatur eo, quod in huius aliorumque Summorum Pontificum, qui Nicolaum III praecesserunt litteris semper Ordinis S. Damiani vel S. Clarae vocantur cf. v. g. Bullas « *Cum a Nobis* » Gregorii IX « *Haberi percepimus* » in Alexandri IV « *A vestrae sollicite* » Urbani IV etc. de quibus supra.

(2) Conf. not. sub num. 21.

(3) Incipiens, scil. « *Religionum diversitatem* » etc. ex cap. 23 dicti Concilii.

25. Bulla Martini IV direct. *Abbatissae et Conventui Monialium Monasterii S. Clarae Assisinat.* incip. *Cum a Nobis* etc. Dat. apud Urbem Veterem XV Kal. Dec. Pontif. an I (17 Nov. 1281). Omnia privilegia etc. Monasterio et Ecclesiae S. Clarae concessa confirmat (1). Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 23×32 et plica 3,05 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. III p. 473 n. 9; Potthast n. 21814.

26. Bulla Nicolai IV direct. *Abbatissae et Conventui Monasterii S. Clarae Assisinat.* incip. *Devotionis vestrae precibus* etc. Dat. Reate VII Kal. Iun. Pontif. an. I (26 Maii 1288). Indulget, ut hereditates et quaecumque bona etiam stabilia monialium suarum recipere et retinere valeant, ac si essent in saeculo, feudalibus exceptis (2). Sigill. deest sed filo serico pendet. Perg. 24×34 et plica 4 centim. Paululum corrosum est pergamenum. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. IV p. 26 n. 33; Potthast n. 22720.

27. Bulla Bonifacii VIII direct. *Universis Abbatissis et Conventibus Sororum inclusarum Ordinis S. Clarae praesentibus et futuris* incip. *In sinu Sedis* etc. Dat. Romae apud S. Petrum nonis Aprilis Pontif. an. IV (5 Aprilis 1298). Omnia privilegia etc. Fratribus Minoribus concessa ad Moniales et Ecclesias S. Clarae extendit. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 42×72 et plica 9 centim. — Cf. Sbaralea *Bullar.* t. IV p. 469 n. 145 (ubi ex *Spec. Minor.* tract. 2 fol. 44 edit.); Potthast n. 24653; Wadding *Annales* in Reg. Pontif. ad an. 1298 n. XXXVI (t. V p. 594).

28. Bulla Ioannis XXII direct. *Venerabili Fratri Episcopo Perusino* (3) incip. *Officii Nostri* etc. Dat. Avenione VI (4) Non. Maii Pontif. an. II (2 Maii 1318). Mandat ei, ut Clarissis de Panzo concedat licentiam se transferendi ad Ecclesiam S. Mariae « non longe a dicto monasterio positam ». Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 33×50,05 et plica 6 centim. — Cf. Eubel *Bullar.* t. V p. 152 n. 324; Wadding *Annales* in Reg. Pontif. ad an. 1318 n. XLI (t. VI p. 511): Mollat *Lettres Communes des Papes d'Avignon* t. 2 (Parisiis 1905) p. 147.

29. Bulla Ioannis XXII direct. *Philippo Ioannis Gaytani, Canonico Assisinati* incip. *Exposuerunt nobis* etc. Dat. Avenione XII Kal. Maii Pontif. an. VII (20 Apr. 1323). Iniungit ei, ut Abbatissam et Moniales S. Donati de Fibrulle dioecesis Assisinat. Ord. S. Benedicti a quibusdam domibus Ecclesiae S. Clarae propinquis, ubi se receperant, eiiciat cum id privilegiis Monasterii S. Clarae opponatur. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 29×45 et plica 6 centim. Sub plica interius scriptum: « *P. Beer* »; exterius autem: « *N. G.* ». In dorso superius: « *Nicolaus de Parma* ». Optime servatur.

30. Bulla Ioannis XXII direct. *Monialibus Monasterii S. Mariae et S. Stephani de Paradiso Dioecesis Assisinat. Ord. S. Benedicti* (5) incip. *Cum a nobis* etc. Dat. Avenione XIII Kal. Ian. Pontif. an. XIV (20 Dec. 1329). Privilegia omnia eiusdem Monasterii confirmat. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 26×41 et plica 7 centim. Paululum corosum. Intus in plica scriptum: « *Al de Villa* »; extra plicam: « *R. Lucas* ». In dorso superius: « *Iohannes de Bictonio* ».

---

(1) Est enim iteratio Bullae praecedentis Nicolai III sub num. 23.

(2) Ut iam in Bulla Clementis IV diei 1 Iun. 1268 Clarissis Ravennat. concessa fuerat.

(3) Francisco Pozzi O. P. de quo cf. Eubel *Hierarchia* I p. 416.

(4) Non. V, sicut legitur apud Waddingum.

(5) Monasterium de Paradiso, quod distans erat a Civitate Assis. quingentos circiter passus in via qua itur Nuceriam, postea unitum fuit Monasterio S. Clarae. Cf. num. 34.

31. Bulla Clementis VI « *Ad perpetuam rei memoriam* » incip. *Tenorem quarundam litterarum* etc. Dat. apud Villam Novam Avinionen. Dioeces. IV Kal. Martii Pontif. an. I (26 Feb. 1343). Ad instantiam Sanciae reginae Siciliae, quae nonnulla Monasteria Ord. S. Clarae fundavit pro iisdem Monasteriis transsumi iubet tenorem Bullae Clementis IV incip. *Solet annuere* etc. Regulae Sanctae Clarae confirmatoriae et superius descriptae. Collata vero cum dicta bulla Clementis IV et etiam cum originali. Innocentii IV conveniet exceptis nonnullis locis nullius prorsus momenti (1). Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 71×105 et plica 10 centim. In margine inferiore petium abscissum est. Cf. Eubel, *Bullar.*, t. VI p. 544 n. 260ª.

32. Bulla Bonifacii IX « *Ad perpetuam rei memoriam* » incip. *Ad ea quae* etc. Dat. Romae apud S. Petrum XI Kal. Aprilis Pontif. an. VIII (22 Martii 1397). Concedit, ut Monasteria S. Sebastiani de Cameraria et S. Nicolai de Horto Assisinat. Ord. S. Clarae in unum coalescant et ipsorum moniales tertium quemdam locum pro novo aedificando Monasterio seligere possint. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 31×49,05 et plica 7 centim. — Cf. Eubel *Bullar.* t. VII p. 72-73; Wadding *Annales* ad an. 1397 n. XXX t. IX p. 442-3.

33. Bulla Martini V direct. *Ven. Fratri Antonio Episc. Portuensi* (2) incip. *Humilibus supplicum votis* etc. Dat. Romae apud Sanctos Apostolos IV Kal. Febr. Pontif. an. VIII (29 Ian. 1425). Praecipit ei, ut unionem Monasteriorum S. Nicolai de Horto (3) et S. Angeli de Panzo Ord. S. Clarae olim factam confirmet. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 29×44 et plica 6 centim. — Cf. Eubel *Bullar.* t. VII p. 621.

34. Breve Nicolai V direct. *Prioribus et Sindico Civitatis Assisii* etc. Dat. Romae apud S. Petrum 25 Iulii 1447 Pontif. an. I (4). Mandat eis, ut ex oblationibus Ecclesiae S. Mariae Angelorum anno 1447 porrectis 150 flor. Clarissis dentur pro reparatione sui Monasterii. Perg. 6,05×39,05 centim. Locus ubi sigillum erat una cum foramine adhuc videtur. Ad calcem legitur « *Pe. de Noxeto* ». Bene servat.

35. Bulla Pii II direct. *Vicario Generali Episcopi Assisinat.* incip. *Ex iniuncto nobis* etc. Dat. Mantuae prid. Kal. Iun. Pontif. an. I (31 Maii 1459). Facultatem uniendi Monasterium S. Maria de Paradiso Ord. S. Benedicti cum Monasterio S. Clarae ei tribuit. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 31×54 et plica 8,05 centim. Paululum corrosum est. Inferius in plicae interiore parte: « *quia modice valoris et impetrantes vivunt ex elemosinis* ». In plica exterius: « *T. de Trevio* ». In parte superiore parvis litteris: « *Assignatur ... (?) pro Rmo d. Vicario ... (?)* affixa est *A. de Cortesiis* ».

(1) Uxoris, scil. Roberti Siciliae Regis. Ad hanc reginam, quae expleto anno viduitatis, Ord. S. Clarae intravit. Cf. *Analecta Francis.* t. III (Quaracchi 1897) p. 539, plures Bullae directae inveniuntur a diversis Pontificibus.

(2) De quo vide infra sub n. 62.

(3) Monasterium S. Nicolai erat extra Portam S. Petri distans ab Assisio CL circiter passus et in via, quae ad Portiunculam ducit. Ecclesia eius etiamnum superest, ibique Fratres Tertiarii Caritatis vulgo « *Bigi* » hospitale pro surdis mutisque aedificant.

(4) Notum est brevia *originalia* ex hoc tempore sat rara esse. Ante paucos annos credebatur antiquissimum originale talium documentorum Papalium esse Eugenii IV. Tangl autem curans novam editionem libri Arndt (*Schrifttafeln*, Berlin 1903), Senis invenit Breve original. Martini V dat. 29 Iun. 1423 et illud phototypice reproduxit (cf. op. cit. tab. 99).

36. Bulla Sixti IV incip. *Et si illa, quae* etc. Dat. Romae apud S. Petrum Idib. Iulii Pontif. an. IV (15 Iulii 1475). Confirmat translationem monialium Monasterii S. Luciae Assisien. ad Monasterium S. Clarae (1) prohibetque, ne Ecclesia S. Luciae ad profanos usus redigatur. Sigill. plumb. filo serico pendet. Perg. 31,05×50 et plica 5 centim.

37. Bulla Pii IV direct. *Episcopo Assisinat.* (2) *seu eius Vicario Generali* incip. *Significaverunt Nobis* etc. Dat. Romae apud S. Petrum Id. Nov. Pontif. an. I (13 Nov. 1560). Iniungit utrilibet, ut retentores bonorum tam mobilium, quam immobilium aut eorum fructuum etc. vel etiam scripturarum etc. ad Monasterium S. Clarae pertinentium, ad restitutionem compellat. Sigill. plumb. filo canapeo pendet. Perg. 19,05×33 et plica 4 centim. Bulla magna ex parte scissa et corrosa est proindeque non bene legibilis. Intus sub plica scriptum est: *Nop. Ximenes, Jo. Bowengus, Jo: de Avild, Cump. C. Hurand;* in plica *P. Ferrer.*

II. — Alia Documenta.

38. Instrumentum authent. seu publicum Consecrationis Ecclesiae S. Clarae Assisien. (a Clem. IV 6 Sept. 1265 peractae), confectum Assisii per acta Thomae Riccardi Notarii. Perg. 48×25 centim. In parte inferiore strictior paulatim fit; bene servatum, et claris litteris et grandiusculis scriptum secundum modum scribendi Curiae Romanae; abbreviationes paucae sunt.

39. Attestatio simplex seu privata eiusdem Consecrationis, scil. altaris maioris dictae Ecclesiae tantum, cum serie quamplurium reliquiarum, quas Clemens IV in dicto altari maiore inclusit (3). Perg. 48×32 centim. Litteris nigris et grandiusculis conscripta.

40. Attestatio simplex Consecrationis cuiusdam altaris parvi Ecclesiae S. Clarae iuxta claustrum, factae ab Henrico Episcopo Card. Ostiensi (4) die praedicta 6 Sept. 1265. Plures reliquiae, quae in eodem altari tunc repositae fuerunt numerantur. Perg. 45×28 centim. Litteris nigris et grandiusculis conscripta est, sed in locis quibusdam evanuerunt litterae, forsan quia ad tempus portae Ecclesiae affixum fuit pergamenum istud. Ad calcem characteribus Gothicis maiusculis legitur: « *Hoc opus fecit Magister Benvenutus Benveni de Fulglineo* ».

41. Attestatio simplex Consecrationis eiusdem altaris parvi, litteris rubris conscripta. Perg. 41×23,05 centim.

42. Attestatio simplex Consecrationis cuiusdam altaris parvi Ecclesiae S. Clarae versus Ecclesiam S. Ruphini, factae a D. Stephano Episcopo Card. Praenestino (5) die praedicta 6 Sept. 1265 cum indice Reliquiarum in eodem altari repositarum. Cardinales qui consecrationi Eccl. S. Clarae interfuerunt numerantur denuo, post quos D. Thomas Episc. Ord. Praed. et Fr. Laurentius Archiep. Ord. Min. ponuntur. Perg. 43×30,05 centim. Litteris nigris grandiusculis conscripta.

(1) A Fr. Francisco de Fusce Custode Sacri Conventus S. Francisci Apostolica auctoritate factam.

(2) Galeazzo Roscio de quo cf. Gams *Series Episcoporum* (Ratisbon 1873) p. 669.

(3) De quibus cf. Angeli *Collis Paradisi* (Montefalisci 1704) lib. I p. 104 et *Catalogo de' corpi santi e delle reliquie insigne che si conservano in varie Chiese della Provincia dell' Umbria,* apud Jacobilli, *Vite dei Santi e Beati dell' Umbria,* t. III, pp. XII-XIII, n. 5. (Foligno 1661).

(4) De quo cf. Eubel *Hierarchia* I p. 35.

(5) De quo cf. Eubel *Hierarchia* I p. 36.

43. Copia antecedentis documenti litteris rubris exarata. Perg. 44×26,05 centim.

44. Catalogus reliquiarum duobus columnis saec. XIV, ut videtur, conscriptus. Perg. 24,05×18,05 centim.

45. Instrumentum venditionis cuiusdam domus cum platea ante ipsam sita Assisii in parochia S. Stephani. Confectum per Bonaventuram, notarium, 29 Maii 1270. Facta autem fuit haec venditio a Domina Tenta et a Francisca eius filia cuidam Fratri Benvenuto, recipienti pro Abbatissa et Monialibus Monasterii de Panzo, pro pretio centum viginti librarum et decem solidarum usualium. Perg. 15,05×64,05 centim.

46. Copia autentica Bullae Nicolai IV incip. *Quanto studiosius* diei 18 Ian. 1291 (1) confecta 27 Aug. 1309 et subscripta a Nic. Lelli, Nic. Bartholomei et Actavio Massei, tribus notariis Assisii apud Episcopatum coram D. Fr. Thebaldo Ord. Min. Episc. Assis. (2). Absque sigillo. Perg. 51×61 centim.

47. Alia copia authentica Bullae antecedentis confecta die 30 Augusti et subscripta a tribus notariis Assisien. scil. Iacobo Ischii, Barth. quondam Lelli et Actavio Massei. Perg. 51×61 centim.

48. Copia authentica Bullae Ioannis XXII incip. *Sacra vestra Religio* diei 17 Sept. 1317 (3), confecta anno 1327 Angeli olim Putii de Assisio, Angeli quondam Magistri Ioh. de Assisio et Petri olim Thomaselle de Assisio. Originale huius Bullae, ut supra notavimus (4) casu deperditum fuerat. Perg. 29×74 centim.

49. Copia authentica Bullae Ioannis XXII incip. *Officii nostri* diei 2 Maii 1318 (5) exarata. Perg. 36,05×38 centim. Cordula absque sigill. pendet.

Rubr. « In Sancte Helysabeth de ordinis (sic) Minorum ». In litt. **T.** Orationis: *Tuorum* depicta est imago S. Elisabeth habitu monachali indutae cum regio diademate in manibus. = **Lect. I.** *Inc.* Beata Helysabeth filia regis hungarorum. *Des.* ei in omnibus obedivit. = **Lect. II.** *Inc.* Rex tunc misericordie memor. *Des.* aut gustare. = **Lect. III.** *Inc.* Videns eam tamquam. *Des.* caritas attrahebat. = **Lect. IV.** *Inc.* O virtus in magna sunamite. *Des.* carbonibus incendebat. = **Lect. V.** *Inc.* Unde quadam die. *Des.* celeriter retrahebant. = **Lect. VI.** *Inc.* Cessante autem beata Helysabeth. *Des.* cinerem commutare. = **Lect. VII.** *Inc.* Sic laborem Dominus. *Des.* misericorditer perducatur. = **Lect. VIII.** *Inc.* Cum iam Dominus. *Des.* miraculum operari. = **Lect. IX.** *Inc.* Accidit ut quadam die. *Des.* gratiam impetraret.

15. (f. 519r-520v). [**Officium** Imm. Conceptionis].

Rubr. « In Conceptione beate Marie Virginis ». = **Lect. I.** *Inc.* Anselmus Cantuariensis archiepiscopus et pastor anglorum coepiscopis suis. = **Lect. IX.** *Inc.* Sic igitur aura velocius effugatis virgo sacrata animam ad corpus intulit et incolumem ad portum adduxit. = Desunt ant. et ℟℟. Circa hanc epistolam S. Anselmo tributam cfr. ed. PP. Maurinorum. Venetiis 1744 t. II p. V. — Passaglia, *De Imm. Concept.* p. 1116-1119.

Officium Conceptionis locum habet in hoc Brev. post festum S. Catharinae V. et M.

Finis Breviarii est in folio 562v his verbis: « Deo gratias. Amen. Tibi sit laus et gloria, Christe | Quia liber explicit iste. | Qui scripsit scribat semper cum Domino vivat. D. O. Amen. = Vivat in celis semper cum Domino felix, Manus scriptoris salvetur omnibus horis. — Explicit A B C D E F G H I K L M N Deo gloria. Deo gratias. Amen ». Verba quae praecedunt coloribus rubris et ceruleis maxime sunt exarata.

Sequitur folium non num. in quo rubeo charactere haec leguntur: « Explicit ordo sive opus Breviarii secundum ordinem et more (sic) romane curie. Anno domini M°CCCC°LXX° die XXI° de mense Martii. Amen ».

Cod. n. 297 (K. IV. 4) membr. mill. 240×165, ff. 46, nitidissime exaratus saec. XIII. Litterae initiales rubei atque cerulei sunt coloris. Continet

[**Martyrologium** per anni circulum].

In f. 20r Idus Iunii. « Beati Antonii confessoris ». — In f. 33v. « Apud Assisium natal. sanctissimi Francisci confessoris ».

(Continuabitur).

Ad Claras Aquas (Quaracchi) die 1 Mart. 1908.

P. ATHANASIUS LÓPEZ, O. F. M.

BIBLIOGRAPHIA

Holder-Egger, Oswaldus. — *Cronica Fratris* **Salimbene de Adam,** *ordinis Minorum; pars I.* [1711-1250] in: *Monumenta Germaniae Historica. Scriptor. tomi XXIII pars I.* 1 vol. in-4° 360 pp. Hannoverae: Impensis bibliopolii Hahniani MDCCCCV. [Hannover, apud Hahn].

Si quis quondam medio aevo rerum gestarum scriptor extitit, qui modo dicendi vario ac naturali, styloque pulchro et acuto insimul, res, hominesque suae aetatis descripserit, ordine illo severo parumque recto congerendi omnes eventus unius anni relicto aliquatenus et neglecto, is procul dubio fuit, cui liber hic examini subiciendus inscribitur. Frater ille Salimbene, Parmae ortus, cuius nomen etsi fortuito datum, non solo sono constat, sed quandam prae se fert nativam ingenuitatem, dotibus plurimum commendandis Chronicam suam adornavit. Ipsa rerum narratarum abundantia, modus ad minimas usque circumstantias relata depingendi, summopere librum suum commendat et ita allicit lectores, ut tot quoque auctoris ambages, immo aberrationes, sine molestia ferant, cum se illuc sequentes delectet continue. Videmur namque cum praesente scriptore, cum praesentibus quoque aliis, de quibus currit sermo, loqui atque iocari. Non est enim, cur suspiceris in illo severitatem, quam claustrum redolere aiunt quidam ac formidolant. Ridere igitur, inquies, possumus, φλύαρον aliquem habebimus, garrulumque auctorem, qui nugis fabulisque scribendis delectetur admodum ! Sed, mehercule, nec tale iudicium erroris nota carebit. Non his sane tantum occupatur Frater noster Salimbene, proclivitate quadam vitiosa proreptus, sed inter rerum gestarum, modo tristium, modo laetarum enarrationes, quamplura quoque invenies de rebus asceticis, moralibusque admonitiones indefessas atque longas disquisitiones. Aperienti tibi librum Chronicarum acies spissa, seriesque consertae allegationum e sacrae Bibliae omnibus libris, atque e Patrum Ecclesiae operibus plena manu haustarum, illico occurrent, per plures aliquando paginas protractae. Haec rerum relatarum copia pretium, utilitatemque libri eo plus adauget, quo coaevi ipsius scriptores ad res, minutiasque istius generis animum rarius intenderint. Ita sui generis rerum scriptorem Fratrem Salimbene et admiramur certe et magnopere laudamus.

Talis scriptoris liber Chronicarum dignus profecto erat, qui summa diligentia ederetur, qui elucubrationibus per annos continuos protractis acutissimisque indagationibus viri cuiusdam eruditi illustraretur, ut tersus omnino ac nativa forma in lucem prodiret. Cl. v. Oswaldus Holder-Egger, unus e doctissimis illis scriptoribus, qui merito celeberrimam collectionem Monumentorum Germaniae Historicorum optime prosequuntur, is erat, qui laborem hunc improbum aliquando, alacer assumeret. Fatum secundum, ipsum autographum fratris Salimbene, conservavit in ditissima bibliotheca Vaticana. Quo factum est re ipsa,

ut cl. Editor opus illud ipsum, prouti e manu, calamoque auctoris prosilierat, integrum, ad verbum usque accuratum ac fidele, publicae luci dandi recto iudicio consilium caperet. Proposito suo laudando assidue ac ubique stetit. Nec tamen hoc sufficere ei videbatur, sed rerum varietatem a Fr. Salimbene undique effusam notulis, animadversionibusque eruditis, hic illustrare, hic corroborare, interdum corrigere statuit. Id praeterea necessarium, modernorum doctorum virorum more est, ut fontes e quibus hauserit Salimbene, — suntque isti quam plurimi, diversorumque generum inter se distantium, — lectori indicet, ita ut genuinam partem Fratris Parmensis, primo quasi obtutu, a partibus ex auctoribus aliis transumptis, distinguere possit. Neque in hoc efficiendo cl. Editor ulli pepercit labori. Ipsos iam locos innumerabiles e sacris libris depromptos, quibus Fr. Salimbene phrases suas intertexuit aperte, vel ad quos saepius alludit solummodo, inquirere non adeo facilis fuit sed laboris indefessi res. Hoc vel eo difficilius evasit pro saeculari, qui insuper aliis versionibus bibliae, non autem Vulgatae nostrae, assuefactus fuerat. His, salebrosis obstaculis superatis, factus est liber cl. viri Holder-Egger talis ex omni parte, ut opus Fr. Salimbene quam perfectissimum coram nobis e sepulcro pulveroso tandem exurgat. Viro tam patienti laborum, Fratris Salimbene ob amorem et aestimationem, confratres illius gratias habebunt quam plurimas pro labore arduo ac diuturno tam forti animo exantlato. Iuvat utique, iuvabitque semper Fr. Salimbene narrationes, modo bellicosas, modo pacificas ac delectabiles, percurrere in iisque immorari magno aeque profectu ac gaudio.

Ipsum si legeris attente, totam auctoris epocham poteris contemplare. Ipsae eius imperfectiones a saeculi illius indole non alienae sunt, ad ipsamque illustrandam non nihil conferunt. Iam senium ferme attigerat Fr. Salimbene quando calamum agitabat chronicis his describendis. Quae ipse ubique gentium iuvenis barbatulus conspexerat, ea non senis morosi gravitate acri perstrinxit, sed iuvenili hilaritate perfusa, lectori subridens offert et coram eo explicat. Quot conventus incoluerat, quot civitates, vicosque inviserat, quot regiones cursitando perlustraverat, quot flumina transmeaverat, quot demum fratres ordinis minoritici Parmensis noster inconstans et vagabundus allocutus erat! Oh miras rerum divitias, oh variam memoriae tenacissimae abundantiam! Quemadmodum ipse iuvenili alacritate et novarum rerum visendarum studio sedem figere nullo in conventu, nullaque in provincia poterat, ita etiam senex, memoria sua abductus et seductus, res visas describens, neque uni anno neque uni facto inhaerere valebat. Unum eventum ordine debito narranti, omnes alii qui aut ad personas aut ad loca, de quibus sermo currebat quomodocumque spectabant, animum obsidebant statim ac quaquaversus divellebant. Nec tali tentationi resistendi Fratri Salimbene facultas fuit. Ita chronica eius nec iniucunda gravibus, nec inanis severis, bonis non ingrata, omnibus amoena atque rigidis tantum molesta paulisper ac ridicula videbitur.

Plures doctae societates eruditorum sibi proposuerant hanc chronicam diversicolorem in lucem edere. Qui primus ad hoc onus manus admovit, parum feliciter successerat, quanquam et ipse Parmensis fuit; civis sui minoritici opus editione sua non commendanda, saltem magis notum reddidit (1). Postea cl. Osw. Holder-Egger laborem aggressus est. Quam-

(1) (Fiaccadori) *Chronica Salimbene de Parma Ord. Min. e codice Bibliotecae Vaticanae nunc primum edita* Parmae 1857. 1 vol. in-4 XVI et 424 pp. *Monumenta historica ad provincias Parmensem et Placentinam pertinentia,* tom. III.

vis ipse aliis, quam eruditissimis et gravissimae molis elucubrationibus distenderetur (1), gradatim tamen eo devenit, ut editione sua admodum accurata et perfecta, tandem exspectationem virorum doctorum compleret. Nam interim alii quoque de eodem labore aggrediendo cogitabant tum in Gallia (2) tum in Italia (3). Editio autem cl. v. Holder-Egger, quae tomum XXXII seriei *Scriptorum* immensae collectionis Monumentorum Germaniae Historicorum efformabit, et decori ei et laudi semper erit.

Parvas quasdam observationes subiungere liceat. Quae Salimbene de generalis capituli ritu refert non amplius observantur (p. 159). Antiphona, ab ipso allegata: *Plange turba paupercula* etiam ex usu liturgico cessit. Eam invenies apud P. Hil. Felder O. M. Cap. *Die liturgischen Reimofficien auf die heiligen Franciscus und Antonius gedichtet und componiert durch Fr. Julian von Speier,* Freiburg (Schweiz) 1901 p. 125. Oratio. *Deus qui ecclesiam* etc. est illa festi S. Francisci. Secunda oratio proculdubio illa erat, quae iam saeculo XVI ex *antiquis* ordinis ritualibus desumpta dicebatur: *Omnipotens sempiterne* etc., quamque inter alia habes inter *Statuta et Constitutiones Generales*... Romae 1642... sancita, ed. Ad Claras Aquas 1890. p. 68. — Versus: *Hic est David patriarcha* etc. quos Salimbene p. 116 ad regem illum Israelis applicat, in hymno citato ad S. Franciscum revera referuntur. Cfr. hanc prosam: *Eructetur dulce melos* in libro: *Cantus varii in usu apud nostrates ab origine ordinis* [scil. Fratrum Minorum] *aliaque carmina in decursu saeculorum pie usu parta.* Romae, Tornaci, Parisiis, 1902. 1 vol. in-8° XXXIV et 377 pp. p. 243. Frater Salimbene licentia, licet non poetica usus loco: *novus* posuit: *Hic est.* Locus de S. Antonio p. 68 l. 25-31 desumptus est e *Legenda prima S. Antonii;* cf. L. de Kerval, *S. Antonii de Padua vitae duae, quarum altera hucusque inedita.* Paris 1904 p. 54.

Saltem aliqua e chronicae varietate mirabili indigitabimus. Parum quidem conferet Chronica ad quaestionem intricatissimam de fontibus genuinis S. P. N. Francisci dirimendam. Plurima econtra continet de multis fratribus minoribus saeculi XIII, quorum secus vix nomina sciremus. Ita de praedicantibus *Alleluia* p. 70 sqq., qui et Fratres Minores et Praedicatores fuerunt. Adeo concordes hi erant inter se, ut etiam concionum themata prius communi concilio stabilirent. Cum igitur quondam Fr. Gerardus, media in concione themata aliorum populo proderet, homines, praevii concilii ignari, supernam illuminationem subito proclamabant admirabundi! (p. 76). Magister Boncompagnus, ce-

(1) Horum operum quaedam viam huic editioni sternere debebant. De progressu editionis cf. notitias in prima parte periodici: *Neues Archiv der Gesellschaft für aeltere deutsche Geschichtskunde, Leipzig und Hannover* 1903, 1904, 1905 et dissertationes, quae idem cl. auctor *ibidem* divulgavit: *Italienische Prophezien des XIII. Jahrhunderts, ibidem XV,* 151-173. XXX, (1905) 323-386. *Einiges zur Quellenkritik der Chronik Sicards, ibid.* XXVI, (1899) 473-555. Videsis quoque *Monumenta German. Hist. Scriptores* t. XXXI.

(2) Cf. L. Delisle, *Sur un projet de publication de la chronique de Salimbene,* in: *Annuaire-Bulletin de la Societé de l'histoire de France* 1874 p. 45.

(3) Cf. *Bullettino dell' Istituto storico italiano.* n. 1. Roma 1886. p. 21 seqq. n. 7. 1889. p. 7 segg. n. 10 1891. p. XVII seqq. etc. De ipso Fr. Salimbene nonnisi explicite monographiam commemoramus: Emil Michael S. I. *Salimbene und seine Chronik. Eine Studie zur Geschichtschreibung des XIII. Iahrhunderts.* Innsbruck 1889. 1 vol. in-8. VI et 175 pp. Pro caeteris libris etc. de eo agentibus remandamus ad St. Lottici et G. Sitti, *Bibliografia generale per la storia Parmense.* Parma 1904. p. 140 seqq. n. 1915 seqq.

leber *dictator* satyras contra Fr. Joannem de Vicentia O. F. Praed. composuit, quorum una stropha secundum Salimbene sic sonat:

Et Johanne iohannizat Modo salta, modo salta,
Et saltando choreïzat Qui caelorum petis alta!

Quid dicam de illis « *magnis trutannis et magnis trufatoribus* » ordinis Minorum: Fratre Deus-te-salvet et Fr. Paulo Mille-musce, quorum dicta aliquando liberiora et solutiora sonant (p. 79 seqq.), non secus ac illud poema Primatis Coloniensis, epicureici nimis. En hic aliquot eiusdem versus innocentiores:

Meum est propositum in taberna mori
Ut sint vina proxima morientis ori,
Tunc occurrent citius angelorum chori!
Sit Deus propitius mihi potatori!

Longum hoc poema parum edificans Fr. Salimbene exscripsit, sed lugemus eum non eodem zelo animatum fuisse in piis poematibus confratris ac amici sui Henrici de Pisa memoriae prodendis (p. 181 seqq.) Hoc eum piguisse censendum erit, quamvis ille frater Henricus summa necessitudine ei iunctus esset. Hoc modo memorabili amicum suum describit: « Iste Frater Henricus Pisanus fuit pulcher homo, mediocris tamen staturae, largus, curialis, liberalis et alacer; cum omnibus bene conversari sciebat, condescendendo et conformando se moribus singulorum, fratrum suorum gratiam habens et saecularium, quod paucorum est. Item sciebat scribere, miniare, notare, cantus pulcherrimos... invenire... Habebat vocem grossam et sonoram, ita ut totum repleret chorum etc. ».

,Possum adhuc referre multa oblectamenta' chronicae Fratris Salimbene, plurimasque nugas ac ludibria, simul cum principiis gravissimis, sed ea ipsa quae dixi, censet esse longiora, tum ad pretium chronicae suae, tum ad auctoris eiusdem genium indicandum. Qui hanc primam partem legerint, hoc nobiscum summopere in votis habebunt, ut meritissimus editor alteram quoque partem nobis quam citissime elargiturus sit. **P. Michael Bihl**, O. F. M.

Bess. Prof. B. — *Unsere religiösen Erzieher. Eine Geschichte des Christentums in Lebensbildern.* — Leipzig, Quelle und Meyer. 1908. 2 Bde. in 8°; Tom. I. pp. 197-247: *Franz von Assisi* von KARL WENCK.

Educatores nostri religiosi! Sub hoc titulo exhibentur 16 biographiae virorum illustrium, quorum in rebus religionis christianae magna fuit auctoritas. Ipsa iam vitarum selectio, in qua praeter Mosen, Jesum, Paulum etc. etiam Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Schiller, Goethe, Bismarck inter educatores religiosos numerantur, totius operis originem rationemque protestanticam manifestat. Singulae vitae, licet alendae religionis causa scriptae, apparatui scientifico renuntiaverint, tamen etiam valorem suum habent utpote confectae ab auctoribus in sua quaque materia optime versatis. Ad nostri archivi itaque scopum pertinet indicare huius collectionis brevem vitam beati Francisci Assisiensis (vol. I. pag. 197-227), a cl. prof. Dr. Carolo Wenck exaratam. Spatium sane paucarum paginarum et finis toti operi praefixus completam rerum enarrationem non admittunt. Idcirco auctor neglecta aliquantisper historia externa praecipue intendit in vitam animi et inde opera viri sancti intelligere et explicare studet. Libenter agnoscimus animi aequitatem, qua

auctor in iudicando utitur, praesertim ubi de relatione S. Francisci ad Curiam Romanam disserit. Sed brevi praecidam: Opusculum, etsi populare et parvum, tamen utiliter legi poterit a rerum franciscalium studioso.

Liceat tamen aliquam subnectere observationem. Titulus « educatores nostri religiosi » exspectationem movere posset, quod S. Franciscus hic consideretur sub ratione educatoris, seu aliis verbis, quod vel ex actionibus vel ex verbis S. Francisci quaerantur principia paedagogica. Hoc autem est praeter intentionem operis recensiti. Optandum vero est, ut etiam in historia paedagogices S. Francisco debitus assignetur locus.

P. Ulricus Hüntemann, O. F. M.

Robinson Fr. Paschal O. F. M. — *The Golden Sayings of the Blessed Brother Giles of Assisi. Newly translated and edited together with a sketch of his life.* — Philadelphia. The Dolphin Press. 1907, LVIII et 141 pagg. 12°.

Magni sane facienda sunt aurea illa B. Aegidii verba; unde gaudio mihi est, versionem eorum Anglicam indicare. Cui quidem versioni auctor praemittit de vitae fratris Aegidii fontibus dissertationem, in qua merito asserit, *primaevam* vitae a fratre Leone conscriptae formam hucusque non esse inventam. Pauca deinde auctor ex ipsa Beati vita excerpsit. Quo loco sententia quorundam, qui dicunt, sanctum Ludovicum Aegidium visitantem fuisse episcopum illum Tolosanum, mentione certe non fuit digna. Mortem fratris Aegidii Sabbato 22. Aprilis 1262 accidisse statuitur.

Iam ad ipsa *Dicta* transiens P. Robinson, Patrum collegii S. Bonaventurae vestigiis plerumque insistens, fusius de codicibus, editionibus, versionibus *Dictorum* agit. Deinde omnia Dicta, prout in tertio tomo Bibliothecae Franciscanae Medii Aevi exstant, Anglice vertit. Bibliographiam denique operum, quae praecipue evolvit, indicemque subnectit.

Opusculum, quod, quae scientifica de Beati Aegidii vita Dictisque hucusque protulit, bene complectitur, commendo atque exopto, ut haec versio « hominis exstatici » cultorum numerum quam maxime augeat.

Monasterii Guestfalorum 10 Martii 1908.

Fr. Gisbertus Menge, O. F. M.

F. Cuthbert O. F. M. Cap. — *A Tuscan Penitent. Being the Life and Legend of St. Margaret of Cortona.* Illustrated. — London. Burns and Oates 1907.

R. Patri Cuthberto cuius contributiones praeviae ad litteras Franciscanas nomen suum reddiderunt omnibus S. Francisci amatoribus familiare de novo gratias sinceras debemus ob eius opportunam et magni momenti biographiam Magdalenae Seraphicae. Unicus fere fons historicus de vita S. Margaritae est Legenda scripta ante annum 1308 per eius confessarium, Fr. Giuntam Bevegnati ex conventu Cortonensi. In hac, sicut in legendis medii aevi generatim, ordo chronologicus eventuum non habetur. Scopus enim huiusmodi chronistae erat colligere in unum facta diversa vitae alicuius sancti prout varii eiusdem aspectus illustrabantur; hinc eventus qui ad unam periodum pertinent arbitrarie iunguntur illis alterius periodi. P. Cuthbertus, cuius liber in legenda Fr. Bevegnati fundatur, felici successu extricavit historiae substantiam S. Margaritae ex profusis narrationibus quibus onustum est opus originale, ita ut habeamus limpidam et vividam historiam Vitae tam extraordinariae S. Margaritae. Post descriptum ex ordine factorum successum usque ad

tempus conversionis eius, auctor libri praesentis legendam originalem scribit, quam ipse adaptavit, Angliceque reddidit; capitibus sexaginta octo tradidit historiam purificationis, progressusque in sanctitate a receptione S. Margaritae in Tertium Ordinem B. P. Francisci usque ad mortem eius, quae evenit anno 1297. Qui vero legent Vitam praeclarae « Poenitentis Etruscae » discent considerare in ea supplementum quoddam illius capitis tam admirabilis historiae evangelicae vitae scilicet S. Francisci et initii ordinis eius. Nam, ut ait cl. auctor, sicut legenda Franciscana est nonnisi reproductio quaedam super diverso quidem et nobis viciniore fundo depictae picturae ipsius Ministerii Galilaei ita et Margarita est nonnisi reproductio manifestius nobis apparens illius Magdalenae Galileae. Restat ut dicamus, opus P. Cuthberti esse non solum valde delectabile sed et permagni valoris et utilitatis augmentumque acceptissimum litterarum Franciscanarum. Demum et elegans forma externa voluminis non minus favorabilem quam eius materia meretur mentionem. **P. Paschalis Robinson**, O. F. M.

Fierens, A. — *Historische Kroniek,* in: *Dietsche Warande en Belfort.* — Gent, Leuven, 1907, n⁰ 3. p. 287. ff.

In laudato periodico Flandricis litteris apprime dedicato, d. A. Fierens, almae Lovaniensis Academiae alumni inter multos egregii, rebusque Franciscanis apprime versati, tractatus profertur, quo varias Belgii institutiones historicas obiter depingit, laudatque condigne. A *Seminario historico,* uti vocant, Universitatis Lovaniensis ipse deputatus fuit in Italiam, praesens, quae ad franciscanam questionem aliquando enucleandam spectant, indagaturus. Materiei, fontiumque omnium serio examine peracto, libratisque ex aequo utrinque sententiis, sensum circa quaestionis statum expendit. In praesentiarum in pauperrimum et humilem Franciscum tota, ut ita dicam, Europa oculos habet defixos, dum exurgunt undique progressuri in certamen, arripientesque calamum viri eruditissimi. Lis autem quae ventilatur tam varie et adhuc sub iudice manet, ab anno 1864 exoriebatur, dum opus. K. von Hase (*Franz von Assisi* Leipzig 1856) gallice translatum a C. Berthaud, expendere iudicio aggressus est famosissimus Renan (1), docens summarie: « S. Franciscum ordinem novum mundoque inauditum instituisse, cuius cornu unum in spiritu Regulae fideliter ambulasse, alterum vero iam ab initio intentionem Fundatoris omnimode fraudasse, ordinisque nitorem, suadente quidem ac connivente Romana curia, flebiliter deturpasse ». Dicteria huiusmodi circa Minoritici ordinis asseclas, iam in ipsum Sanctissimum Fundatorem reiicere conantur, si possint recentiores, Sabatier (2) precipue et Lempp (3). Inaudita vero D. Tomasia elucubratio, labili sane nititur hypothesi, scilicet biographiam S. Fundatoris Minorum verbotenus depromptam esse ex vetustissimo opere « *Vitae Patrum* » a fratre Thoma Celanensi, mandante quidem Gregorio IX, et novo sancto adaptatam. Nonnemini ipse Sabatier veritati magis consonari videbitur dictitans: Biographiam Divi Francisci varie a variis ipsius sequacibus intellectam, editamque esse. — Invicem se impugnantes huiusmodi sententiae, dum in trutinam publice variis e regionibus offerrentur, alma mater illa Lovaniensis opinionibus hisce librandis et suum calculum duxit adiiciendum, utique ponderosum, nul-

(1) *Nouvelles études d'histoire religieuse.* Paris, 1884. p. 323-352.
(2) *Vie de S. François d'Assise.* Paris 1894.
(3) *Frère Elie de Cortone.* Paris 1901.

laque interposita mora, Dm. Fierens, egregium laureatum in certamen deputavit singulare.

Laudatus ergo doctor, nocturna iamiam manu diurnaque variis versatis operibus, eorumque aequa lance libratis sententiis, mox quae sequuntur statuenda decrevit: — 1. Speculum Perfectionis non ambiguam compilationis notam prae se ferre, neque ab anno 1227 ortum sortiri potuisse. — 2. Materiem autem haud dubie congestam fuisse, tum ex Celani *Vita II,* cuius nonnulla capita ad litteram fere exscripta perhibentur: tum et ex variis D. Francisci sociorum scriptis seu notulis, quorum quamplura inveniri sunt in « *Speculi Perfectionis Redactione I* » (P. Lemmens) (1), tum denique ex testimoniis variae omnino originis, nullatenus vero antiquioribus saeculi XIII ultimo quadrante. Nec ipsum *Speculum* statuta epocha antiquius per se liquescere. Quam conclusionem, quatenus adhuc penitius, intimiusque percunctari valeret, haud pauca inter se conferri curavit manuscripta, quibus ipsi constare visum est *Speculum Perfectionis* triplici oriri fonte profluente ex Europa-media, ex Italia, et occidente; opus autem successive et pedetentim coaluisse ordine supradicto, ita ut nucleus omnino primarius videatur inveniendus in « *Legenda antiqua* », puta Avenionensi, quae, ipsius fatente proemio, collatisque manuscriptis, reduci perfacile posset circa annum 1300. Neque tandem omittendum duco ex supra expositis patescere: *Legendam trium sociorum,* Speculo Perfectionis genuino, nempe Compilationi Avenionensi, persimilem, ad finem iam properante saeculo XIII, vel nonnisi paululum antea, fuisse conscriptam. Quibus mantissa in mentem revocatis, cuique prorsus constabit, quaestionem historicam Franciscanam reductam ad pristinum verissimumque statum; nonnulla insuper dubia olim et ventilata iam nunc stabilibus insidere fulcris. **P. Hier. Goyens,** O. F. M.

Heimbucher Dr. Max. *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche. Zweite, grossenteils neubearbeitete Auflage. 3 Bände.* — Paderborn, Ferd. Schöningh (2) 1907. 8° I vol. pp. VIII-523, II vol. pp. VIII-629, III vol. pp. VIII-635. (Volumen venit 6 Marcis germ.).

Inter cultores historiae ordinum, congregationumque religiosarum, nemo erit, quin opus illud insigne ac doctissimum Petri (Hippolyti) HELYOT, III ord. S. Franc. regul. (†1716) *Histoire des ordres monastiques, religieux et militairs et des congrégations séculières de l'un et de l'autre sexe, qui ont été établis jusqu'à présent,* Paris 1714-19, 8° vol. in 4°, et noverit et maximi aestimaverit. Praeclarum hoc opus etiam in alias linguas versum est (3). Quoniam vero iam duo ferme saecula inde a morte auctoris effluxerunt, plurima nunc in eo desiderari necesse est. Licet Helyot plures imitatores habuerit, (quos vide ap. Heimbucher I

(1) *Doc. Antiq. Franc.* t. II, Quaracchi, 1901.

(2) Ordines (religiosi) et Congregationes ecclesiae catholicae. Edit. II maximam partem rescripta.

(3) *Italice* versum est a Fontana, *Lucca* 1737 segg. *germanice* (cum additamentis) *Leipzig* 1753-56 iterumque *Frankfurt* 1830 ff. — Eiusdem compendium infidum et infidele habes in: *Histoire du clergé séculier et régulier etc. tirée du Helyot etc.* Amsterdam 1716. 4 vols. Pro *collectione* abb. I. P. Migne famosissima L. Badiche opus Hélyot in formam Lexici redegit: *Dictionnaire des ordres religieux, ou Histoire des ordres monastiques etc. par le P. Hélyot, mis en ordre par M. L. Badiche* 4 vols. Paris, Migne 1858-59.

p. 2-5) plerumque tamen, his neglectis, ipsius opus allegatur, quasi duorum saeculorum elucubrationes et documenta in lucem prolata, tum ad ordinum origines, tum ad eorum evolutiones illustrandas nihil contulerint. Cl. Dr. Maximilianus Heimbucher, in Lyceo Bambergensi ss. litterarum professor, antiquorum operibus usus, quibus etiam modernorum investigationes perite coniunxit, novum ideo opus concinnavit, quod plurimae utilitatis erit, quia historiam ordinum antiquorum ad nostra usque tempora persequitur et novarum congregationum saeculi ultime praeterlapsi uberem segetem enumerat, earum facta breviter perstringens. Istiusmodi opus omnibus pergratum et perutile esse, nemo est qui non videat. Valor augetur eo, quod plurima, quae nostris temporibus de rebus gestis familiarum religiosarum elaborata et scripta sunt, attente examinavit doctissimus auctor, ita ut alium librum, qui tot fontes et discussiones ad ordines spectantes enumeret et adhibeat frustra requiras. Merito igitur *secundo* (1) in lucem iste liber prodit et quidem auctus ita, ut e duobus voluminibus tria facta sint, quae artificio typographico, nunc maiores, nunc minores typos suggerenti, locupletissimi tenoris sunt.

Quia nostrum non est, historiam omnium ordinum religiosorum heic discutere, caeteris breviter expeditis, ad partes, ordines S. FRANCISCI tractantes, accedimus. Principio cl. auctor de ordinibus et congregationibus in genere agit, I, 1-84; deinde de primis ascetis, eremitis, cenobitis in Oriente I, 85-162, et in Occidente ante tempora S. Benedicti I, 163-204, ita, ut ante quamlibet paragraphum opera libellos et periodica enumeret, quae de diversis rebus discusserunt, controversias nunc fusius vel acrius agitatas ibi speciali modo respiciens. Quae methodus per totum opus laudabiliter servatur, quamvis ipsi limites istiusmodi operis non minuta omnia ubique discuti sinant.

Expositis vita et regula S. Benedicti, huius ordinis gloriosi fata adumbrat I 205-400, ipsi alios ordines, qui S. Benedicti regula utuntur adiungens, I 401-476; v. gr. Camaldulenses, Grandimontenses, Cistercienses (I 420- 460), Trappistas, ord. Vallis-Umbrosae, Fontis Evraldi etc.; Benedictinis subiungit Cartusianos, I 477-96.

Tertium volumen complectitur Historiam Societatis Iesu III 1-258, cuius tres epochas distinguit doct. auctor 1534-1773; 1773-1814; 1814 ad nunc usque. Cum Iesuitas clericis regularibus accenseat, post eos perstringit, multo tamen brevius, historiam Theatinorum III 258-69, Barnabitarum, III 270-75, Camillianorum III, 270-85, Clericorum scholarum piarum III 287-96. Septimam partem totius operis *Congregationibus* consecrat, quae numerosissimae in ecclesia pullularunt ultimis saeculis. Ne nomina quidem earum omnia hic inserere licet. Haec pars, mira sua varietate, clare ostendit, quam difficilimum sit istiusmodi librum texere. Ut aliqua nominemus, Congregationem Ss. Redemptoris III 313-333, Societatem Mariae 339-43, Augustinianorum ab Assumptione 343-7; Patres Oratorii, 413-25, Soc. S. Sulpicii 442-9, SS. Cordium Iesu et Mariae 471-4, Salesianos 491-8 etc. etc. hic commemorare liceat. Plusquam centum Congregationum piarum *Virginum* historiam, modo brevius, modo fusius texit doctus Dr. M. H.: III, 525-580, ommissis hoc in tomo quae de tertio ordine vol. II° dixit. *Solas Beghinas* hic tractat III 525-30, e quibus plurimae saeculo XIV° tertio ordini S. Francisci nomen dederunt.

(1) Prima editio duorum voluminum prodierat ibidem 1896 et 1897.

Secundum volumen doctissimi operis res gestas exponit ordinum illorum quae S. Augustini regulam sequuntur II 1-306, S. Francisci Ass. 307-534 et Carmeli II 535-580. In prima serie prae ceteris de Canonicis (1-50) et Eremitis S. Aug. 177-212 sermo fit atque de *Fratribus Praedicatoribus* II 93-176; de I ordine S. P. Dominici 93-163; de II° 163-9, et III° ipsius ordine 169-177. Maximam partem secundi voluminis ordines S. P. N. Francisci occupant, 307-527. Bibliographia generalis, cui quodlibet capitulum sequens alia addit, a pag. 308-322 excurrit. Dein aggreditur *Vitam S. Francisci*, 322-336 *regulam, constitutionem* ordinis Fratrum Minorum 336-47, miram instituti *propagationem* primis decenniis 347-51, et historiam *Ministrorum generalium* ab om. 1226 usque 1313, 351-6, ubique recentissimas his de rebus controversias respiciens. Controversiam famosam de *Paupertate* almi fundatoris et ordinis speciali capite excutit 356-70, ut originem *Observantium* 370-80, *Fratrum Minorum Conventualium* definitivam separationem, novarum, uti aiunt, reformationum inter Observantes ortus, earumque an. 1897 abolitionem ob oculos ponat 380-87. Summa lineamenta historiae ordinis inde a saeculo XVI ducit 412-24, ultimo laudans et explicans, quomodo *Ordo franciscalis de s. Ecclesia, Societate civili, litteris atque scientiis* optime meritus sit, 424-475. His interserit Historiam *Fr. Min. Capucinorum* 387-412, eorumque gesta proficua et gloriosa. Quia eruditissimus Professor Bambergensis tot clarissimorum Fratrum Minorum, Sanctorum, Beatorum, Theologorum, Philosophorum, Iuristarum, Praedicatorum, Historiographorum, Missionariorum, Asceticorum, aliarumque scientiarum cultorum nomina recenset, paucis saltem eorum merita praecipua perstringens, addensque de ipsis tractantes monographias numerosissimas etc. etc., eius conspectum historiae ordinis Minorum, inter caeteros qui modo extant, quoad rerum abundantiam variam et fidelem, nostrique aevi studiis adaequatam, longe *meliorem, optimumque* censemus iure, meritoque. Non quod omnia nobis probentur, neque ullam rem deficere opinemur, attamen eruditio vastissima auctoris longe plus notitias de ordine franciscano congessit, (et hoc quidem non pro solo ordine isto), quam vix studiosi fastorum proprii ordinis attigerunt.

Neque deest secundus ordo S. P. Francisci, Clarissarum dictus, 475-89, neque tertius 489-527, Tertiariorum, cum saecularium tum regularium, quorum plures provinciae olim exstiterunt.

Tertiariis regularibus accensendi quoque sunt numerosissimae Congregationes, « *secundum regulam tertii ordinis S. Francisci* » quae ubique terrarum operibus charitatis christianae insudant, praesertim curando et medendo aegris, et iuventutem christianam edocendo. Istae actionem, uti aiunt, *socialem*, S. Francisci, amore Dei et proximi inclyto, prosequuntur multiplicatis et aevi nostri necessitatibus adaptatis viribus, 499-527, suntque partim viri (499-503) plerumque vero mulieres atque virgines (503-527).

Liber ille II 321 allegatus nondum tamen prodiit, quamvis diu promissus sit a cl. P. Sabatier. — Pag. 316 inscius lector quasi suspicaretur R. P. Ed. Alenconiensem *non* edidisse Vitam II. Thomae Cel. — P. 350 l. 12 non omnino recte ponitur annus 1260, quia aliquae custodiae iam 1223 exstiterunt cf: *Anal. Francisc.* I, 1885. 11. n. 33. — Editio *Maurina* operum D. Bonaventurae nunquam exstitit cf. 353_1. — P. 458_5 *Annales Gaudenses* ed. Fr. Funck-Brentano. Paris 1896. Marinus Mersennius non ord. Minorum sed Minimorum erat, cf. II 467, 532. II, 417, l. 10 legendum saltem esset *Kronländern* loco *Niederlanden*. II 263 v. gr. adiungendum esset opus eruditum *Torvald Höjer, Studier i Vad-*

stena klosters och birgittinordens historia intill midten af 1400-talet. Akademisk Afhandling. Upsala 1905. 8° XXXIV, 360 pp. etc. Quae minutiae nihil valori huius operis praeclarissimi detrahant.

Optandum valde foret, ut hoc opus utilissimum etiam in alia idiomata verteretur, ita ut interpres suae regionis monasteria et congregationes, pro commodo lectorum, uti ipse auctor fecit, pluribus tractaret. Tot studiosis sacrarum litterarum, et investigantibus fata diversorum ordinum, qui quandoque necessaria coniunctione inter se connectuntur, opus hoc utilitati esset quam maximae. **P. Michael Bihl**, O. F. M.

The Catholic Encyclopedia. *An international work of reference on the Constitution, Doctrine, Discipline and History of the Catholic Church edited by* Ch. G. Herbermann, Edw. A. Pace, Condé B. Pallen, Th. J. Shahan, J. J. Wynne, *assisted by numerous Collaborators, in fifteen volumes.* New York, Rob. Appleton Company. — In-8° max; I vol. [1907] XVI, 826 pp; II vol, [1907], XII, 804 pp.

Opus maximae sane molis ac grandis laboris edendum susceperunt quinque viri americani docti ac strenui. Est etenim opus Encyclopaedicum, non omnes quidem scientias, resque scibiles complectens, ast res sciendas Catholicis cuiuscumque linguae atque climatis, quoad fieri potest, comprehendens. Repertorio hoc, quod non editorum labores soli compegerunt, sed in quod conficiendum quotquot in orbe catholico, ubique ferme gentium eruditi inveniuntur, labores contulerunt, theologus quilibet, immo litteratus quisquam maximo fructu et profectu utetur. Materias diversissimas et uberrimas theologiae dogmaticae ac moralis, iuris et disciplinae ecclesiasticae ibi reperies a peritis cuiuslibet generis studiorum digne et docte pertractatas. Res historiae ecclesiasticae, cum biographicae tum geographicae dissertationes quam numerosissimae hac in Encyclopaedia, uti aiunt, internationali miranti sibi occurrent, quas aliis in libris istiusmodi frustra requisiveris. Data biographica eruditorum vel virorum aliorum insignium eo vel maiore alacritate perleges, quo semper, non secus ac in aliis capitibus, auctoritates, e quibus tamquam e fontibus hauserunt scriptores allegatas videbis, immo saepius effigiem expressam conspicies. Numerus, modusque imaginum per volumina sparsarum, ope technes modernae eleganter formatarum, et delicias et pretium operis valde augent.

Duo hucusque prodierunt tomi, quos ad Directionem *Archivi* ab editoribus liberaliter transmissos grato recepimus animo. Secundum indolem *Archivi* ea praeprimis capita perstringemus, quae ad rem franciscanam spectant, suntque dissertationes biographicae sive historicae. Praeter dissertationes historicas aut regiones, aut civitates quasdam tangentes, in quibus obiter saepius Fratres Minores tanguntur, praesertim, ubi de missionibus agitur (v. g. s. v. *Abyssinia, tomi primi* p. 76.) sequentia capita, ex officio, ad rem franciscanam facientes hic speciali mentione apponemus. — W. H. Grattan-Flood particulares dissertationes texuit de duobus operibus P. Ioh Colgan O. F. M. 1592-1668, « pretii inestimabilis », 1° *Acta Sanctorum veteris et maioris Scotiae seu Hiberniae* [AA. SS. Hib.], *Sanctorum Insulae... congesta... et... illustrata...* Lovanii 1645; unum tantum volumen menses Ian. Febr. et Mart. continens prodiit, (111), 2° *Acta Triadis Thaumaturgae seu divorum Patricii,*

Columbae et Brigidae... ed. IDEM, *ibidem* 1647; 111-2. — AEGIDIUS DE ASSISIO, 170-1: auctore P. PASCHAL ROBINSON O. F. M., qui ipse 1906 librum de hoc Beato edidit. AGNELLUS DE PISA 212, auct. P. STEPHEN M. DONOVAN O. F. M. Hic una cum *P. Pasch. Robinson* plurimis ac doctis dissertationibus Encyclopaediam locupletavit. Eidem debemus quoque AGNES DE BOHEMIA 213 (Praga), illi vero AGNES, (ST.) DE ASSISIO, ibid. — Art. AGREDA, MARIA de 229-30 scripsit *T. I. Campbell.* — ALBERT BERDINI DE SARTEANO, 261 auct. *P. Steph. M. Donovan.* Idem quoque exaravit diss. ANGELO CARLETTI DI CHIVASSO 484, ANGELO CLARENO DA CINGOLI 484-5 et « *Assisi* » 800-1, cuius *dioeceseos* historiam adumbrat. Paucis agitur de ALBERTO STADENSI 262 *(Albert of Stade* auct. *Th. J. Shahan,)* qui ex abbate O. S. B. factus est Frater Minor; de ALVA Y ASTORGA — *Iohn I. à Becket,* 372; pluribus de S. ANGELA MERICI 481-2, — *Michael Ott;* sequenti pag. de B. ANGELA DE FOLIGNO — P. PASCH. ROBINSON 482; de P. NICOLAO ARMENTIA O. F. M. ab *Ad. F. Bandelier* 740, qui cum erudito praelato diu conversabatur. In art. *eiusdem Ad F. B.:* « *America* » 409-416 exhibetur quoque inter pag. 414-5 epistula illa Alexandri VI, 25 Iunio 1493 data: *Dilecto filio Bernardo Boil fri ordinis minorum etc.,* ubi scil. erronee *ord. Minorum* fuisse dicitur ipso in documento papali! ALEXANDER V, (cum effigie pontificis), accurate describitur a *I. B. Peterson* 288-9. ALEXANDER DE HALES vero a *William Turner,* 298-9 scite illustratur. Hoc unum animadvertimus editionem Nurembergensem Summae Theologiae anni 1502 nunquam exstitisse, quamvis plurimi bibliographi eam allegent. Auctor dissert. de S. ANTONIO PATAVINO, (*Anthony of Padua* 556-8), quam etiam imago Sancti adornat, est R. P. NICOLAUS DAL-GAL O. F. M. qui huius Sancti an. 1906 (Ad Cl. Aq.) biographiam amplam publici iuris fecit. Certe nonnisi typothetae oscitanti tribuendum est, quod ad calcem pag. 557, 2 col. legitur S. Antonium *Vercellis* obiisse, dum omnes noverint *Arcellae* eum spiritum Deo reddidisse. Inter p. 270-71 habes delineatas aedes Universitatis Complutensis, (*Alcalá, University of,* auct. Ramón Ruiz Amado), quam Alexander VI, 13 Aprilis 1499 *Francisco Ximenez de Cisneros, O. F. M.* fundandam approbavit, vel ut accuratius dicam, saltem Collegium S. Ildephonsi.

Secundi voluminis dissertationes franciscanas recensentes, primo loco nominamus, quas RR. PP. PASCHALIS ROBINSON et STEPH. DONOVAN O. F. M. contribuerunt. Ille quidem scripsit BARTHOLI, FRANCESCO DELLA ROSSA 313, (ubi loco 1272, legas 1372, quo anno mortuus est), BARTHOLOMAEUS DE PISA, 316, BERNARD. DE BESSA, 498, S. BERNARDINUS DE SIENA, 505-7, et egregiam diss. de S. BONAVENTURA 648-54, eius vitam et doctrinam digerentem. — P. *St. Donovan* autem agit de Ven. P. BELL ARTHURO (alias Francisco) martyre († 1643 Londini): 410-11; BENETTIS, IEREMIA O. CAP. 477; de S. BERARDO DE CARBIO, martyre (1220) 485; de BERNARD(INO) DE BOLOGNA, bibliographo O. M. Cap. 498; de B. BERNARDINO FELTRENSI 504-5, de B. BERNARDINO DE FOSSA 505; de IOH. ANT. BIANCHI 540-1; Fr. BONAGRATIA DE BERGAMO 646; Fr. NICOLAO BONET 655, et de cardinali BRANCATI DE LAURIA 738. Doctus *Ad F. Bandelier* tractavit FRANCISC. DE AYETA 164, Fr. IOH. BAUTISTA, mexicanum 353, ALFONS. BENAVIDES, archiepiscopum Indiarum Orientalium 427, et Fr. PETRUM DE BETANZOS 530, missionarios ordinis minoritici. En aliae dissertationes biographicae Fratrum Minorum: AUGUSTIN VON ALFELD *(Alveldianus)* 79, auct. *H. A. Ganss,* AUREOLI, PETRUS 111, auct. *E. A. Pace,* cui non ommittenda erat editio *Tractatus*

de Conceptione B. M. V. an. 1904 facta; BALME *(Balma)* HENRICUS [*Beaume*] 224 auct. *I. Andr. Egan O. F. M.* qui etiam egit de IOHANNE BENEDICTI O. F. M. (saec. XVI), 441-2; BARNABAS DE TERNI († c. 1474) 301 — *Th. Plassmann* 301; BONAV. BARON († 1696) 303-4 — *I Mac Caffrey;* BARTHOLOMEUS ANGLICUS, 313 — *I. M. Lenhart;* BASSI, MATTHAEUS de, fundator O. M. Cap. 344-5 — *P. Candide O. M. Cap.;* VEN. THOMAS BELCHIAM 394 — *Beda Camm;* B. BENEDICTUS DE S. PHILADELPHIO 472-3 — *I. P. Kirsch;* BENEDICTUS POLONUS (c. 1245) 473 — *Th. J. Shahan;* BERNINI, IOS. M. O. M. Cap. 511 — *En. B. Goodwin;* BERTHOLDUS DE RATISBONA 521 — *N. Scheid;* ANT. I. BINTERIM 570-1 — *W. Devlin; Hélie de Bourdeille 719* cardinalis O. M. († 1484), — *N. A. Weber* ubi memorandum erat opus *Can. Poüan, Hélie de Bourdeille,* Neuville-sous-Montreuil 1900.

Votis ergo optimis opus hoc praeclarum, etiam ad tot res franciscanas illustrandas conferens, prosequimur, ut in dies progrediatur et scientia catholica inde debitum accipiat incrementum.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Marchi, P. Giulio, dei Min. Conv. di S. Franc.: — *La Cappella del Capitolo di San Bonaventura in Pisa:* Memorie storico-artistiche. — Firenze, tip. Bonducciana di A. Meozzi, 1906. In 8° di pag. 40. (Prezzo cent. 80).

Il giovane p. MARCHI con questa bella ed elegante monografia ha dimostrato egregiamente di avere attitudine agli studi critico-storici e animo di artista appassionato. Egli bellamente nello spazio di 40 pag. « alla luce pallida di quei pochi documenti che ogni tanto lasciarono gli scrittori pisani, e alla contemplazione dei belli affreschi i quali benchè logori dal tempo e dalle ingiurie degli uomini, rivelano tuttora le sublimi concezioni degli artisti dell'aureo trecento » (p. 7-8), ci costruisce la storia della celebre *Cappella* dall'origine ai nostri giorni, attraverso le vicende or liete ed ora tristi; ove nel maggio del 1263 fu decretato dal ministro generale dell'Ordine Francescano, Bonaventura da Bagnorea, insieme ai Padri radunati a Capitolo, la festa dell'*Immacolata Concezione* e il suono della campana al morire del giorno per ricordare il *saluto* dell'Angelo a Maria, intrecciandovi, quando gli cade il destro, utili notizie risguardanti il grande convento e la chiesa. Ma di preferenza s'indugia a descrivere con diletto e gusto artistico gli affreschi maravigliosi che Nicola di Pietro Gerini, della scuola di Giotto, vi ritrasse, raffiguranti nel loro complesso la *Passione* di G. C. fino alla sua gloriosa *Ascensione.* Termina esprimendo il voto che anche la famosa *Cappella del Capitolo* la quale contiene il capolavoro del Gerini, trovi un amante e un mecenate, come lo trovò la monumentale chiesa, e la salvi dai danni estremi, facendovi tutti i bonificamenti richiesti dal bisogno. Così sarà conservato alla gloria di Pisa uno dei suoi monumenti più belli, nel quale « sono unite per l'opera insigne d'uno dei più grandi e santi figli dell'Ordine francescano, le glorie dell'*Immacolato Concepimento* e dell'*Angelus Domini,* in una armonia sempre nuova o incessante, cogli splendori dell'arte cristiana e italiana » (pag. 40). Mi unisco al voto dell'egregio p. MARCHI, esprimendone ad un tempo un altro, che egli continui nella illustrazione dei monumenti francescani si felicemente iniziata.

B. Dei, O. F. M.

Battaglia Eliseo. — *Amor che spira (San Francesco d'Assisi). Nuova edizione illustrata.* — Firenze, tipografia Domenicana 1907. In 16° pag. XI-313, fr. 2,60. Vendibile presso la libreria editrice fiorentina.

Il prof. Battaglia ci ridona in una seconda elegante edizione il suo ben noto e fortunato « *Amor che spira* » arricchito di sei belle incisioni riproducenti alcuni mirabili affreschi di Giotto nella Basilica di Assisi e di Tiberio di Assisi nella Cappella delle Rose in S. Maria degli Angeli. L'egregio autore ha pensato bene di ritoccarlo lievemente più in qua e più in là e di farvi brevi aggiunte. Si sa poi che il prof. Battaglia, come egli stesso ci fa sapere, non ha inteso di compiere uno studio critico sul Santo nè di tesserne una Vita in tutti i suoi più minuti particolari (p. 16), sibbene ha voluto animare in una prosa alata e smagliante alcuni quadri della *mirabil vita* ed illustrarne alcuni lati psicologici più spiccati, attenendosi fondamentalmente ai risultati scientifici più certi, per avvincere viepiù i cuori degli Italiani all'amore e all'ammirazione di San Francesco. Nessuno negherà che al prof. Battaglia manchi l'arte a ciò fare, dopo aver letto « *Amor che spira* ». **B. Dei**, O. F. M.

Marinelli, G.: — *Venezia nella storia della geografia, cartografica ed esploratrice.* — Firenze, M. Ricci, 1907, in 8° di pp. 61.

È questo un estratto del vol. I delle *Opere minori* del ch. cosmografo G. Marinelli che sono in corso di stampa, e testè presentato al *VI Congresso geografico italiano* tenuto a Venezia ai 26-31 maggio 1907. Più che uno studio severamente critico, sono brevi ma precisi cenni sul merito de' viaggiatori e geografi Veneti, con relative noterelle bibliografiche assai importanti, nelle quali facciamo consistere il principale merito di questo bel lavoro, alquanto però vecchino e mancante, poichè fu compilato e pubblicato per la prima volta nel 1889 (negli *Atti del R. Istit. Ven.* ser. VI t. VII p. 933-1000), ed oggi riappare con alcune giunte di più recenti note bibliografiche per cura del ch. G. Bruzzo. Lo abbiamo percorso con vero diletto per simili studi, e con molto profitto.

Il Marinelli riconosce che il nostro *Raimondo Lullo* († 1315) « è un singolare ingegno » (p. 14), a cui dobbiamo se si sa oggi di preciso che al suo tempo i marinai nella navigazione si servivano di carte geografiche e marine, dell'ago calamitato, e della rosa dei venti: « Marinari quomodo mensurant miliaria in mari?... Ad hoc habent chartam, compassum, acum et stellam maris » (Raym. Lulli, *Arbor scientiae*, Lyon 1515, fol. CXCI). — Acccennando ai meriti del B. fr. *Odorico da Pordenone* (1286-1341 †), suo « ingenuo e modesto compatriota », il Marinelli dice che gli mancava forse la scienza, che nè l'abito nè la vocazione bastano a dare, ma che non gli mancava sicuramente un certo spirito d'osservazione, un raro coraggio e un grandissimo desiderio di girar il mondo e di veder cose nuove (p. 28). E poteva aggiungere il dotto cosmografo, che da un altro desiderio ben maggiore era mosso l'Odorico nel percorrere il mondo: da quello cioè comune a tutti gli apostoli della verità e civiltà cristiana. In quanto poi all' « ingenuità » di Odorico, questa non sarà crediamo attribuita a lui soltanto, perchè monaco, quando non minore ingenuità scorgiamo in tutti i viaggiatori che lo precedettero e lo seguirono, principiando dal lodatissimo Marco Polo. - Ai noti lavori del

Yule, del P. Domenichelli, e del Cordier, l'ed. G. Bruzzo cita anche due altri recenti autori che trattano di Odorico: G. PENNESI, *Sulla storia della geografia in Italia con particolare riguardo alle Missioni cattoliche e all' istituto di Propaganda fide* » in « Annuario dell' Istit. cartografico ital. » Roma 1889; e C. ERRERA, *L'epoca delle grandi scoperte geografiche,* Milano Hoepli 1902, cap. VI p. 121 e seg.

Il Marinelli rende il dovuto omaggio anche a tre altri illustri religiosi del sec. XVII, appartenenti alle tre grandi famiglie francescane: al notissimo P. Vincenzo Mª *Coronelli* di Ravenna Min. Conventuale, al P. Antonio *Zucchelli* di Gradisca Min. Cappuccino, e al nostro P. Basilio *Brollo* Minorita di Gemona.

Al **Coronelli** magnifico cosmografo della Serenissima, si deve, se, verso la fine del sec. XVII, Venezia poteva produrre quei colossali lavori cartografici e le carte assai numerose del suo tesoro geografico. L'ampia coltura, la prodigiosa operosità e la fama del valente Minorita conventuale, non eran solamente italiane; e lo provano i due grandiosi globi da lui costruiti per ordine del card. d'Estrée a conto della biblioteca di Francia, ed illustrati dal celebre Lahire. Per opera di lui, Venezia vide sorgere, prima in Italia e nel mondo, una vera società geografica nell' *Accademia degli Argonauti,* di un secolo anteriore alla famosa *Società Africana* di Londra, sebbene nei meriti inferiore a questa. (Ivi p. 49-50, con abbondanti indicazioni bibliografiche in nota).

Il P. **Zucchelli** Min. Capp. (1698-1704), che tratta lungamente de' regni di Benguela, d'Angola, del Congo, d'Angoi ecc., concorse assai a darci completa idea d'una parte dell'Africa fin allora incognita. — (La *Relazione* del P. Zucchelli fu impressa a Venezia, Giavarina 1712. Di lui vedi il GAROLLO in *Atti Acc. Udine, 1881-84,* Udine, Doretti 1884, p. 25; PENNESI in *Boll. soc. geog. ital.* 1881 p. 444; cfr. OCC. BONAFFONS, *Bibl. stor. Friul.* vol. II n. 1157).

cinnatensi cantato, et concioni Vicarii Generalis Dioeceseos astitit, Moderatorum Provinciarum coeto stipatus. Missa Pontificali peracta et ipse Archidioeceseos Praesul alio sermone confirmavit, quaeque Vicarius Generalis in laudem Fratrum edixerat. Inde Rmus P. Generalis Conventum a fundamentis recenter exstructum iuxta Rituale solemniter initiavit; vespere vero Minister Provincialis e suggestu Rmum invitavit, ut aliqua verba coram parochianis et Tertiariis faceret, post quae omnibus benedixit. Die 5 Octobris in residentiam l. Batesville se contulit e qua die Dominica 6 Octobris, plaudente populo solemnem introitum in oppidum Oldenburg, locum Studii theologici huius Provinciae, instituit ac Missa ab A. R. P. Provinciali cantata, ad populum Ordini Franciscali devotissimum, concionatus est. Antequam Conventum reliquit permagnum Institutum Sororum Franciscalium a Tertiariis Vienna in Austria oriundis fundatum invisit, Cincinnatum rediit et mane diei 7 Octobris A. R. P. Ex-Ministrum Raphael Hesse in oppido Hamilton tunc iam gravissime aegrotantem, sua benedictione confortavit. Provinciam Cincinnatensem eadem die reliquit ac 8 Octobris apud Franciscales in Jersey City devertit, eodem vespere vero, Vigilia S. Dionysii receptioni uti aiunt, Tertiariorum Patersonii adfuit, quorum moderator olim fuit. Sequentibus diebus diversas domus Franciscanas utriusque sexus Neoeboraci sitas adivit. Praedilectionem specialem pro Collegiis Seraphicis monstravit, quando comitatus ab A. R. P. Eduardo Blecke, Prov. Ss. Nominis Ministro in Collegium Callecoon, amoeno in colle super ripas fluminis exstructum, pervenit, cuius magistri et studentes sensus gratitudinis et summae reverentiae affectus in academia litterario-musicali exhibuerunt. Omnes vero familias Franciscales quoad ornatum atque apparatum externum illud Doctori Seraphico sacrum oppidi Allegany Seminarium longe superabat, ubi plus quam 200 iuvenes saeculares litterarum, Philosophiae ac Theologiae studentes sub directione Patrum Nostrorum educantur, quibus Rmis Academia in aula Collegii, varietate litterarum atque linguarum excellenti, habita, gratias dixit ac mane die 17 Octobris S. Communionem omnibus distribuit ac Benedictionem Apostolicam impertitus est, ad alumnos Tertiarios binam allocutionem habita.

Institutum quoque Sororum Franciscalium sibi occasionem tulit reverenter salutandi Ministrum Generalem. Liceat hic notare nullam esse mundi plagam, in qua Tertius Ordo regularis ita floret ut in Statibus Foederatis, numero et laboribus enim prae ceteris institutis et Congregationibus Tertiariae Franciscanae eminent, neque opus apostolatus vel caritatis christianae est, cui vires suas non applicent. Quasi omnes Congregationes Tertiariae in Ordinem Fratrum Minorum cooptatae sunt, et vota exprimebant reverendi in earum domibus Ministrum Glem in quo S. Francisci Vicarium venerantur. Attamen votis minoris tantum partis Sororum Neoeboraci, Brooklyn, Philadelphiae, Baltimore, Glea Riddle, Reading, Buffalo, Peekskill etc. habitantium obsecundare potuit, nihilominus numerus domorum tam Fratrum quam Sororum, quos infra duos menses visitavit, fuit sexaginta.

Tempore pro mansione in America stabilito ad finem vergente, iterum Rmo Delegato Apostolico Washington reverentiam exhibuit. Die 4 et 6 Novembris ultima vice Tertiarios solemniter congregatos Neoeboraci in Ecclesia Italica S. Antonii ac S. P. N. Francisci excepit eosque verbis atque duplici Benedictione invocatione Franciscana confirmavit. Tandem die 11 Novembris Conventum Patersonii, maxime sibi familiarem, relinquens e portu Hoboken die 12 Novembris in Europam redire

coepit. Minister Provinciae Ss. Nominis, Custos Custodiae Immac. Conceptionis, Superiores Conventuum Neoeboraci Patersonii aliique Fratres et Sacerdotes discedentem salutabant, donec navis in altum ducta eum Fratrum conspectui abstulit.

In festo S. Elisabethae Bremam advenit ac in medio Decembri Romam rediit, ut Summo Pontifici de visitatione referret.

Summatim tantum visitationem descripsimus, ne limites Chronici excedantur. Faxit Deus, ut omnia cedant ad Dei honorem atque maius bonum Seraphici Ordinis.

⁂ Die 9 Martii 1908 **P. Otto Keicher,** O. F. M. Provinciae Bavaricae alumnus, in universitate Monacensi *lauream philosophicam* adeptus est, examine summa cum laude superato. In dissertatione ostenditur systema philosophicum B. Raymundi Lulli tamquam philosophiae Arabum, praesertim « Averroistarum » oppositum.

Die 7 Maii 1908.

Directio Periodici.

LIBRI RECENTER AD NOS MISSI,

Quorum praecipui in *Bibliographia* huius Periodici accurate discutientur.

Historia Franciscana.

Alenconiensis, EDUARDUS O. M. Cap. — *Spicilegium Franciscanum. Epistolam Sancti Francisci ad Ministrum Generalem* in sua forma authentica nunc primum edidit, cum appendice de Fr. Petro Catanii. Romae, Typis F. Kleinbub, 1899. In-16°, pp. 35.

» » — *Legenda brevis Sancti Francisci* nunc primum edita. Romae, Typis F. Kleinbub, 1899. In-16°, pp. 15.

» » — *De Legenda Sancti Francisci* a Fr. Iuliano de Spira conscripta. Brevis dissertatio critica. Romae, Typis F. Kleinbub, 1900. In-16°, pp. 19.

» » — *Miscellanea Antoniana seu de S. Antonio Paduano monumenta inedita* vel ad meliorem formam restituta. Romae, Typis F. Kleinbub, 1902. In-16°, pp. 64.

» » — *Sacrum commercium B. Francisci cum domina paupertate.* Romae, Typis F. Kleinbub, 1900. In-8°, pp. 51.

» » — *La Venerabile Serva di Dio Maria Lorenza Longo.* Cenno biografico inedito. Stabilimento Tip. Librario Andrea e Salv. Festa, Napoli, S. Biagio dei librai 39. Roma, Fontanella Borghese 61-62, 1896. In-16°, pp. 30.

» » — *La Légende de Saint François dite des Trois Compagnons.* A propos d'une nouvelle traduction de cette Légende. (Extrait des *Études Franciscaines,* tome VII page 461 et tome VIII page 29). Paris, Œuvre de Saint-François d'Assise, Rue de la Santé 5, 1902. In-16°, pp. 41.

» » — *La Bénédiction de Saint François.* Histoire et authenticité de la relique d'Assise. (Extrait des *Annales Franciscaines*). Paris, J. Mersch Imprimeur, Avenue de Chatillon 4bis, 1896. In-16°, pp. 15.

» » — *Le Speculum perfectionis.* Étude critique. (Extrait des *Annales Franciscaines* de Juillet et Août 1898). In-16°, pp. 16.

» » — *Des origines de l'église de la Portioncule et de ses diverses dénominations.* (Extrait des *Études Franciscaines,* tome XI, pp. 585-606). In-16°, pp. 22.

» » — *Un goutteux content de l'être.* Le Père Balthazar de Bellême, Capucin. (Extrait du *Bulletin de la Societé Historique et Archéologique de l'Orne*). In-8°, pp. 7.

Anonymus, O. F. M. — *Tercera Orden Franciscana.* Rectificación Histórica, por un padre Franciscano. Con las licencias necesarias. Buenos Aires, Establec. Gráfico, Robles & Cia., Defensa 257, 1907. In-8°, pp. 20.

» » — *Il Reverendissimo Padre* BERNARDINO DA PORTOGRUARO, *Ministro Generale dei Frati Minori ed Arcivescovo tit. di Sardica (1822-1895).* Ricordo dell'erezione del suo monumento nel chiostro superiore del Convento di San in Isola di Venezia. 7 Maggio 1907. Quaracchi (presso Firenze), Tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1907. In-8°, p. 40.

Atti *della Società Ligure di Storia Patria.* Volume XLI. Genova, nella sede della Società Ligure di Storia Patria Palazzo Bianco, 1908. In-8°, pp. 250.

Causa *della Diocesi di Pavia o dell' Ordine dei Frati Minori.* Articoli che il P. FRANCESCO MARIA PAOLINI, Postulatore Generale delle Cause dell' Ord. dei Frati Minori presenta alla Rma Curia di Pavia per far la prova canonica nel processo per la conferma del culto da tempo immemorabile prestato al Servo di Dio BALDASSARE RAVASCHIERI DA CHIAVARI, Sacerdote professo del medesimo Ordine dei Frati Minori chiamato « Beato ». Roma, Tip. Pontif. dell' Istituto Pio IX (Artigianelli S. Giuseppe, 1908. In-16°, pp. 17.

Chevalier, U. — *La Santa Casa de Lorette* et la maison de la Sainte Famille à Nazareth. Réponse à l'*Ami du Clergé.* (Extrait de l'*Ami du Clergé*). Langres, Imprimerie Maitrier et Courtot, 1908. In-16°, pp. 72.

Dal-Gal, P. NICOLÒ O. F. M. — *Di una Lauda inedita del Quattrocento sul responsorio di Sant'Antonio di Padova.* Studio, 3ª edizione. Stampato in Roma nella Tipografia degli Artigianelli S. Giuseppe nell'anno 1906. In-16°, pp. 15.

» » — *La Vergine del Dolore nelle rime di un Francescano.* Conferenza letta nel Teatro del Collegio « C. Arici » di Brescia del VI centenario della morte del B. Jacopone da Todi (1306-1906). Roma Tip. Artigianelli 1906.

» » — *S. Francesco d'Assisi e Paolo Sabatier.* Conferenza letta nel Teatro del Collegio « Carlo Arici » di Brescia il 4 Marzo 1906. Roma, Tip. Artigianelli S. Giuseppe 1906. In-16°, pp. 80.

Domenichelli, TEOFILO O. F. M. — *La Famiglia di S. Francesco.* (Estratto dal Periodico *Luce e Amore* anno IV, N. 2-3. Firenze, Tip. Barbèra Alfani e Venturi proprietari, 1907. In-8°, pp. 16.

Dubois, LEO, L. S. M. — *Saint Francis of Assisi, social reformer.* A Dissertation, submitted to the faculty of Philosophy of the Catholic University of America. Washington, D. C., 1904. In-12°, pp. 250.

Fierens, M. A. — Université Catholique de Louvain. *Les origines du Speculum perfectionis.* Extrait du rapport sur les travaux du Séminaire Historique, pendant l'année académique 1905-1906. Louvain, Typ. et Lit. de Joseph van Linthout, Imprimeur de l'Université Catholique, 1907. In-16°, pp. 39.

» » — *Les Problèmes de la Legenda Trium Sociorum.* Extrait etc. pendant l'année acad. 1906-1907. Annuaire etc. 1908, 300-19. *Ibidem* 1908. In-12°, pp. 24.

» » — *La Question Franciscaine.* Les écrits des zélateurs de la Règle aux premiers temps de l'histoire franciscaine d'après les récentes controverses. (Extrait de la *Revue d'histoire ecclésiastique,* VII, N. 2). Louvain, Bureaux de la Revue, Rue de Namur 20, 1906. In-16°, pp. 26.

» » — *Brokken uit de Geschiedenis der Kerk.* Overdruk uit Dietsche Warande en Belfort. MCMVII. In-12°, pp. 14.

Geroni, GIOVACCHINO O. F. M. ex-Cappellano militare in Cina. — *Nella Terra del Mikado.* Milano, Stabilimento d' Arti Grafiche A. Bertarelli et C., 1908. In-16°, pp. XII-334.

Heimbucher, MAX. DR. — *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche.* Paderborn, Ferd. Schöningh, 1907. In-8°, 3 voll., I vol. pp. VIII-523; II vol. pp. VIII-629; III vol. pp. VIII-635. — *M. 18,00,* cum ligat.

Huyskens, Dr. ALB. — *Quellenstudien zur Geschichte der hl. Elisabeth, Landgräfin von Thüringen,* Marburg, N. G. Elwert, 1908. In-8°, pp. VIII-268. *M. 5,00.*

Joergensen, IOH. — *Das Pilgerbuch. Aus dem franziskanischen Italien.* Autorisirte Uebersetzung aus dem Dänischen von Henriette Gräfin Holstein Ledreborg, 3. Auflage. Kempten und München, Ios. Kösel, 1908. In-12°, pp. XVI-351.

Krogh-Tonning, Dr. K. — *Die hl. Birgitta von Schweden.* Kempten und München, Jos. Kösel, 1907. In-8° gr., pp. X-142. — *M. 4,00.* (*Sammlung Illustrierter Heiligenleben.* Band V).

Lismont, P. ALBERT O. F. M. — *Godsdienstige en Maatschappelijke invloed der Derde-Orden. van St. Franciscus, bij haren Oorsprong en op onze dagen.* Met eene voorrede van M.r E. Vliebergh. Turnhout, Brepols & Dierckx zoon. In-8° (1908) pp. 240.

Menge, P. GISBERT O. F. M. — *Haben die Legendenschreiber des Mittelalters Kritik geübt.* Ein Beitrag zur Geschichte der Hagiographie. Münster, Aschendorff, 1908. In-8° gr., pp. IV-59.

Numero Unico. — *A Monsignor Anselmo Sansoni O. F. M. Vescovo di Cefalù, la Provincia Toscana delle SS. Stimate* nel giorno dell'ingresso solenne in Diocesi, 2 Febbraio 1908. Rocca S. Casciano, Premiato Stabilimento Tipografico Cappelli, 1908. In-4°, pp. 16.

Pèlerinage *du Grand Duc de Toscane Cosme III et de son fils Jean-Gaston suivi de la lettre d'un anonyme sur la Santa Casa.* Rome, Imprimerie A. Befani, Rue Celsa 6-7, 1907. In-8°, pp. XV-114.

Porrentruy, (Fr. LOUIS-ANT. de) O. M. Cap. — *La Santa Casa: La Lettre d'indulgences de la Chapelle de Notre-Dame de Lorette à Gandino.* Monographie par le R. P. Louis-Antoine de Porrentruy, Définiteur-Général des Frères-Mineurs Capucins. Roma, Imprimerie Labicana, Rue de' Delfini 1, 1907. In-8°, pp. 26.

» » — *La Santa Casa: Nazareth et Lorette.* Donation faite aux Franciscains de Terre-Sainte du Sanctuaire de Nazareth. Récit du Père Thomas de Novare Gardien du Mont-Sion (1620). Rome, Imp. A. Befani, 1907. In-8°, pp. VII-63.

René de Nantes, O. M. Cap. — *Le T. R. P. Timothée de Puyloubier, Ex-Provincial des Frères Mineurs Capucins de Paris.* Couvin, Œuvre de St. François d'Assise, 1908. In-8°, pp. 96.

Rosati, NAZARIO O. F. M. — *Serie dei Ministri Provinciali della Riforma in Toscana (1639-1897).* Gerusalemme, Tip. dei PP. Francescani, 1907. In-8°, pp. 41.

Secundo Congreso, *Terciario Franciscano Catequistico Argentino-Uraguayo.* Antecedentes, sesiones publicas y privadas, conclusiones-ecos Julio á Noviembre de 1906. Buenos Aires 1907. Imprenta y Casa Editora de Adolfo Grau, Moreno 960. In-8° gr., pp. 535.

Thyrion, P. FULGENCE O. F. M. — *Les Frères Mineurs à Namur* ou quelques pages d'histoire Franciscaine, à l'occasion du Jubilé Cinquantenaire de la fondation de Couvent des Frères Mineurs à Salzinnes. Namur, Imprimerie Picard-Balon, Successeur de Balon-Vincent, Rue de Fer 12, 1903. In-8°, pp. VIII-119.

Tronchi, Fr. ALBERTO Franciscano Conventual. — *El Santo de los Milagros. San Antonio de Padua presentado á sus devotos.* Barcelona, Tip. Católica, 1907. In-24°, pp. 331.

Vita, *del venerabile Francesco Gonzaga*, Ministro Generale dell' Ordine dei Frati Minori Vescovo di Mantova. Roma, Tip. Artigianelli S. Giuseppe 1906. In-8°, pp. IX-209, con ritratto.

Wenck, KARL, Prof. Dr. — *Franz von Assisi*. Leipzig, Quelle und Meyer, 1907. In-8°, Separatim prodiit ex collectione: *Unsere religiösen Erzieher*, pp. 197-227.

Schola Franciscana.

Cuche, PAUL JOSEPH O. F. M. — *Étude sur le Monisme*. Extrait de la Revue de Philosophie. Montligeon, impr.-librairie. 1907. In-8°, pp. 40. — *Fr. 1,00.*

Dal-Gal, P. NICCOLÒ O. F. M. — *L'Immacolata e i Francescani attraverso i secoli.* Dissertazione storico-critica. Quaracchi, Tip. del Collegio di S. Bonav. 1905.

Hoyeri, P. MICHAELIS Ord. FF. Erem. S. Aug. — Oratio Encomiastica de sanctitate vitae et divina sapientia, ven. IOANNIS DUNS SCOTI doct. Mariani et subtilis quondam Duaci typis Viduae Petri Auroy sub pelicano aureo anno MDCXL divulgata, denuo anno MDCCVII Coloniae Agrippinae apud Ioannem Everhardum Promart, cura cuiusdam patris Augustiniani et hoc anno MCMVI ad Claras Aquas in Periodico « *Acta Ordinis Fratrum Minorum* » quartam hanc editionem accurate edidit P. FRANCISCUS M. PAOLINI Postulator Generalis O. F. M. Romae ex Typ. Pont. Instit. Pii IX, Via S. Prisca N. 8-9 *(Aventino)* 1906. In-8°, pp. 52.

Maestri, THEODOSIO O. F. M. — *Breve Exercitium devotionis erga SS. Cor Jesu Christi, Domini Nostri, mense Junii peragendum a sacerdotibus Missionariis.* Romae, ex typ. Pontificia Instituti Pii X, 1908. In-24°, pp. IV-183.

Mariotti, P. CANDIDO O. F. M. — *La Passione di G. Cristo, ed i Francescani.* S. M. degli Angeli, Tip. della Porziuncola, 1907. In-8°, pp. 301. — *Fr. 3.*

Minges, PARTHENIUS P. Dr. Theol. et Phil. O. F. M. — *Das Verhältnis zwischen Glauben und Wissen, Theologie und Philosophie nach Duns Scotus.* — Paderborn, Ferd. Schöningh, 1908. In-8°, pp. XII-204. (*Forschungen zur Christlichen Literatur- und Dogmengeschichte* herausgegeben von Dr. A. Ehrhard und Dr. I. P. Kirsch, VII Band; 4 und 5 Heft). — *M. 5,40 resp. 6,60.*

Schlager, PATRITIUS O. F. M. — *Blütenlese aus den Werken rheinischer Franziskaner.* Lesungen und Betrachtungen übersetzt und zusammengestellt. Aachen, Alb. Iacobi und Cie 1907. In-16°, pp. X-289. — *M. 1,20.*

Sevesi, P. PAOLO Mª O. F. M. — *I frati Minori e l'Immacolata,* conferenza. [Dalla *Voce di S. Antonio* di Roma, anno X-XI]. Quaracchi (presso Firenze) Tip. del Coll. di S. Bonav. 1907. In-16°, pp. 82.

Ziesché, K. — *Die Naturlehre* BONAVENTURAS. *Nach den Quellen dargestellt.* Promotionsschrift (von der hohen Philosophischen Fakultät der Kaiser Wilhelm-Universität zu Strassburg i E. genehmigt). Fulda, Actiendruckerei, 1908. In-8°, pp. 99.

Ascetica.

Beaufays, IGNACE, P. O. F. M. — *Exposé historique et pratique de la dévotion du Chemin de la Croix.* Ouvrage illustré de 41 similigravures et plans. Bruges, Vve Verbeke-Loys et fils, imprimeurs-éditeurs, 1908. In-12°, pp. VI-129.

Benvenuti, STANISLAO O. F. M. Ministro Provinciale. — *L'azione Apostolica.* Per la Quaresima del 1908. Firenze, Tip. Bodoniana, 1907. In-8°, pp. 16.

Bierbaum, ATHANASIUS, O. F. M. — *Maria Hardenberg. Geschichte des Wallfahrtsortes Hardenberg (Neviges) im bergischen Lande,* mit Belehrungen, Wallfahrts, Bruderschafts und Kreuzweg-Gebeten. Essen-Ruhr, Fredebeul und Koenen, 1996. In 16°, pp. VIII-384. — *M. 1,00.*

» » — *Bornhofener Wallfahrtsbuch* mit Geschichte, Belehrung, Gebeten, Andachten und Liedern, Ahrweiler, Ad. Kirfel, 1906. In 16°, pp. 228. — *M. 0,80.*

» » — *Apollinarisberg enthaltend die Geschichte, Wallfahrts-, Bruderschaft-Andachten und Lieder des Apollinarisberges.* Dülmen, i. W. Laumann 1906. In 16°, pp. 444. — *M. 1,00.*

Brandis MAXIMILIAN O. F. M. — *Die neuesten Rescripte und Indulte des apostolischen Stuhles zu Gunsten der religiösen Genossenschaften vom dritten Orden des hl. Vaters Franziskus.* Fulda, Kloster Frauenberg, 1905. In 16. pp. II-48.

» » — *Der Rosenkranz von den sieben Freuden Mariens* und seine Ablässe. Fulda, Kloster Frauenberg, 1906. In 16°, pp. IV-80. — *M. 0,30.*

Coletti, P. C., O. F. M. — *La Vita di Maria compendiata nei misteri del Rosario.* Napoli, 1908. In-16°, pp. 26.

Dal-Gal, P. NICCOLO O. F. M. — *Florilegio Mariano di Preghiere ed Esercizi di Pietà.* Approvato dalla Sacra Congregazione delle Indulgenze e SS. Reliquie. Quaracchi, Tip. del Collegio di S. Bonaventura, 1906. In-16°, pp. 366.

Fontaine, D. Abate. — *Novena en honor de S. José de Cupertino* de la Orden de Frailes Menores Conventuales, para alcanzar un feliz examen escrita en francés por el Abate D. Fontaine. Versión del italiano por un devoto del Santo. Barcelona, Tip. Católica, 1907. In-32°, pp. 72.

[Freudenreich] IGNACE-MARIE O. F. M. — *Le Calvaire et l'Autel Élévations sur le Chemin de la Croix.* Avec 14 gravures d'après M. Feuerstein. Québec, Couvent des Frères Mineurs, 1907. In 12°, pp. 134.

Lettera Pastorale al clero e popolo latino del Vicariato Apost. d'Aleppo, per la Quaresima dell'anno 1908. *Sul Papa.* Beyrouth, Imprimerie Catholique. In-4°, pp. 28. — La stessa tradotta in *francese* e in *arabo* impr. ibidem.

Predica *di S. Giuseppe da Leonessa* (inedita). In-8°, pp. 18.

Rett, P. HONORIUS O. F. M. — *Die gute Drittordensgemeinde.* Pflichten, Organisation, gewöhnlicher Ordensgottesdienst (hl. Messe, Konferenz usw. usw.). In-16°, pp. 32.

» » — *Der Rosenkranz und die Erzbruderschaft vom kostbaren Blut Iesu Christi.* Der Rosenkranz von den neun Chören der heiligen Engel. Wien, Selbstverlag (Franziskanerkloster) O. I. In 12°, pp. 12.

» » — *Terziaren-Spiegel.* Anleitung zur Erforschung über die hl. Regel des *dritten Ordens.* Innsbruck, Felic. Rauch, 1907. In 24°, pp. 48.

» » — *Geistliches Schatzkästlein.* Belehrung über die Andachtsgegenstände (Medaillen, Rosenkränze, Kruzifixe) mit Ablässen zur Vermeidung von Irrtümern beim Gebrauche mit einem Anhange. Wien, Fr. Dall, Sonnenfelsgasse, 1, 1907. In 16°, pp. 45.

Schmid, FRANZ O. F. M. — *Pilgerbuch für Wallfahrer ins Heilige Land.* Einsiedeln, Benziger und Co. 1906. In 16°, pp. 368. — *M. 1,00.*

Teodosio, P. DI S. DETOLE, O. F. M. — *La modernità e i doveri dei giovani.* (Estratto dal Periodico *La Verna* Anno IV e V). Rocca S. Casciano. Stab. Tip. Cappelli, 1908. In-16°, pp. 159. — *Fr. 2.* Si vende a beneficio dell'erigenda Chiesa di Montepaolo.

Valeriano, P. Cappuccino. — *Diario Sacro del Terziario Francescano.* 2ª edizione migliorata. Castel S. Pietro (Emilia), Tip. A. Conti, 1908. In-32°, pp. 38.

Varia.

Andreani, LUIGI. — *Serie degli Abati della Badia di Razzolo (Mugello).* Saggio. Firenze, Scuola Tip. Salesiana, 1907. In-8°, pp. 52.

Catalogus *Codicorum Graecorum* qui in Bibliothecam D. Marci Venetiarum inde ab anno MDCCXL ad haec usque tempora inlati sunt. Sub auspiciis supremi studiorum ministerii recensuit et digessit C. Castellani eiusdem Bibliothecae Praefectus. Venetiis sumptibus Ferd. Ongania et F. M. Visentini fratrum, 1895. In-8°, pp. VIII-166. — *Fr. 15.*

Maccioni, ATTO O. F. M. — *L' Osservatorio Sismico dell' Osservanza.* Cenni sulla collocazione e sulla natura degli apparati. Siena, Prem. Tip. Nuova, 1908. In-16°, pp. 17.

Mostre *ordinate in occasione del VI Congresso Geografico Italiano, Venezia 26-31 Maggio 1907.* Catalogo. Venezia, Premiate Officine Grafiche di C. Ferrari, 1907. In-16°, pp. 106.

De licentia Ecclesiastica et Superiorum Ordinis.

DISCUSSIONES

DE ANTIQUITATE PROVINCIAE SCLAVONIAE, O. F. M. NUNC DALMATIAE.

Certo certius est, S. Patriarcham Franciscum, anno 1212 in Syriam profecturum, ad oras Sclavoniae appulisse; scriptores omnes nostrates hoc aperte narrant. Celanus scribit: « ventis contrariis flantibus in partibus *Sclavoniae* cum coeteris navigantibus se invenit (1) ». Fr. Iulianus de Spira haec habet: « Igitur ad eundum quidem in Syriam iter arripuit, sed ventis contrariis flantibus, in *Sclavoniae* partibus navis, in qua ducebatur applicuit (2) ». S. Bonaventura (3) idem innuit: « ventis contrariis flantibus compulsus est in *Sclavoniae* partibus applicare. Cum igitur moram *aliquamdiu* contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem etc.... ». — Fr. Bartholomaeus de Pisis ait: « ventis non secundis flantibus, compulsus est partes *Sclavoniae* arripere. Et cum ad partes Anconitanas redire vellet et navim quamdam latenter intrasset etc. (4) ». Eodem modo historiographi ac annalistae ordinis Fratrum Minorum ac Dalmatiae (5) idem asserunt. Rmus Octavius Spader O. F. M., decus Dalmatae S. Hieronymi Provinciae, Episcopus Assisiensis, haec scriptis mandavit: « Dalmatiae Provinciam fundavit sanctus noster Pater Franciscus anno 1212, quando solvens littore asculano, felicibus auris appulsus est *Iaderam*... De hoc adventu satis superque, nullum enim dubium Franciscum Patrem non arripuisse *Sclavoniae* oras ».

Sed quid sub *Sclavoniae* nomine venit? — Omnes conveniunt Sclavoniam aeque audire ac Dalmatiam. Liceat commemorare P. D. Fabianich dicentem (6): « Nei brevi e nelle lettere dei Pontefici riscontriamo intitolazioni: *archiepiscopo Iadrensi, episcopo Traguriensi in Sclavonia* — intitolazione ai provinciali della Dalmazia: Ministro provinciali *Sclavoniae* etc. etc. ». — Farlati (7) haec praeter alia quoad Scla-

(1) Vita I. p. I. c. 20, n. 55. ed. Ed. Alenconiensis O. M. Cap. Romae 1906, p. 57.
(2) *Anal. Boll.*, t. XXII, p. 179-180. Bruxelles 1902.
(3) *Legend. mai.* c. IX, n. 5 ed. Ad Cl. Aquas 1898, p. 98,
(4) *Analecta Franciscana* IV. Ad Cl. Aquas 1906, p. 480.
(5) Cf. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa* I, 86. Ad Cl. Aquas 1906.
(6) *Storia dei Frati Minori in Dalmazia e Bosnia* (t. I. c. I. nota 13).
(7) *Illyricum Sacrum* t. I. p. 129.

voniam observat: « Uterque liber Taxarum, Dalmatiae quidem *supra mare* Aquileiensem, Istriae vero *supra mare* Gradensem Patriarchatum adscripsit; at universam Dalmatiam Illyricam Sclavoniae vocabulo et provinciis ecclesiasticis omnino quatuor, videlicet: *Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi* donavit ». A Farlati relata optime conveniunt cum tabulis Provinciarum et Costodiarum, in quibus sub *Sclavoniae* nomine nonnisi Dalmatia assumitur (1). Bartholomaeus Pisanus haec habet: « Provincia Sclavoniae; Provincia Sclavoniae habet costodias 4 ». Tunc enumerat *loca* Fratrum Minorum illorum tractuum mari adiacentium. Ita in aliis tabulis. — Hic adde verba Salimbene (2); « Socius fratris Ioannis de Parma Ministri Generalis [c. a. 1248] fuit fr. Iacobus de Axandris de Mantua, qui Minister aliquando in *Sclavonia* fuit, quae *Dalmatia* appellatur ». — Gonzaga (3) etiam sub *Sclavonia* non intelligit nisi Dalmatiam. Historici etiam recentiores rerum Dalmaticarum hoc in sensu loquuntur, inter quos fas sit recensere eximium Canonicum S. Hieronymi de Urbe, Ioannem Dr. Cernčić qui in suis scriptis (4) declarat Dalmatiam prae coeteris terris slavicis dictam fuisse *Sclavoniam*.

At praeclarum documentum citare iuvat ad rem, scilicet litteras Bonifacii Pp. IX, Romae datas IV Id. Aprilis Pontific. a. IX, (10 Aprilis 1398) (5). « Ad petitionem (dicit Summus Pontifex), Henrici ministri generalis et fratrum ordinis, (qui) ob nonnullas causas rationabiles statuerunt, quod Provincia *Sclavoniae* iuxta morem dicti ordinis de coetero provincia *Dalmatiae* nuncuparetur, ac priores et alii fratres dicti ordinis, qui sigillo seu sculptura aut imagine *Seraphim* in illa provincia utebantur, ex tunc sigillo seu sculptura aut imagine sancti *Hieronimi* uterentur, ut omnibus privilegiis et indulgentiis quibus sub huiusmodi provincia *Sclavoniae* utuntur sub Provincia *Dalmatiae* praedicta uti et gaudere valeant, concedere de benignitate apostolica dignaremur ». — Quod et factum est, Sclavoniae nomine in Dalmatiae mutato et sigillo Seraphim in S. Hieronymi, ut hodiedum etiam obtinet (6). — Etsi Bonifacii diploma mentionem faciat Capituli generalis in civitate Coloniae celebrati (1393) an. III Pontific. Bonifacii IX, et tantum post quinque annos diploma datum fuerit (7), tamen hoc certum,

---

(1) *Analect. franc.* t. IV. p. 528.

(2) *Chronica* ed. Parmae 1857, p. 219, ed. Holder-Egger, *M. G. SS.* 32, 552.

(3) *De origine Seraph. Religionis*, p. 500 seqq. Venetiis 1603.

(4) *Starine u Zagrebu* p. 13, 36, 48 etc.

(5) Eubel *Bullar. Francisc.* VII. Romae 1904, p. 82. n. 249.

(6) Ex collatione facta tabularum in hoc periodico an. I p. 18 nuper edito, et nonnullis aliis visis et consideratis, facile censeo Bonaventurianam seriem (tab. II) in Generali Capitulo Pisis 1272 redactam, revera uti nunc se habet, aliquantulum immutatam esse. Provincia enim Dalmatiae usque ad an. 1397-8 semper sub nomine Sclavoniae recurrit; acta, litterae pontificiae etc. hoc dilucide patefaciunt. At in serie Bonaventuriana a. 1272, non Sclavonia sed Dalmatia recensetur. Quae nominis mutatio facile tribui potest amanuensi.

(7) Forsan cum haec tituli mutatio invenisset nonnullas contrarietates pro aliquo tempore, postea ad S. Sedem fratres recursum habuerunt, ut illa « robur apostolice confirmationis adiicere » dignaretur.

indubitatumque est Provinciam Dalmatiae venisse sub nomine Sclavoniae semper et ubicumque, quam denominationem retinuit usque ad annum 1398.

Attamen ubinam terrarum, rectius locorum Sclavoniae, S. Patriarcha cum coeteris navigantibus se invenit?

Ni fallor, Iadera (Zara) locus iste est, et esse debet. Doctissimus Octavius Spader hoc asserit (1). — Idemque alii huius regionis scriptores asserunt, quin tamen ullum documentum afferre queant, quod hoc *factum* revera demonstret, sed traditionem tantumodo adstruunt. Et sunt in primis nostrates omnes scriptores rerum Dalmaticarum, uno ore proclamantes Iaderam anno 1212 S. Patriarcham nostrum applicuisse. Praeter alios, libet nominare Albertum Fortis in « memoriis itineris Dalmatiae »; Valerium Ponte, archidiaconum Ecclesiae Iadertinae, in Historia huius Ecclesiae; Ioannem Tanzlingher in *Dama Zaratina,* Stratico, Vignali, Bommam, Catich « Memoriae Dalmatae Fratrum Minorum » relatos a citato Fabianich, Zlatović etc. (2). — Eminet in hoc asserendo Farlati in « Illyrico Sacro » (t. V. p. 72) et P. Colleti in *Martyrologium Sanctorum Dalmatiae* p. 71.

Traditio porro haec non apud Iadertinos (Zaratini) tantum, sed et apud omnes Dalmatas est, S. Franciscum a. 1212 Iaderae constitisse. Narratur quoque, absque coaeva tamen auctoritate, B. Patrem Iaderae primo sistentem orasse in sacello S. Hieromymi, quod nunc Ssmi Crucifixi dictitatur, prope quod dein Basilica in honorem eiusdem S. Patris, etiam nunc existens, et anno 1280 ab Archiepiscopo Periandro consecrata, erecta est. — Gonzaga noster (3) hoc modo luculenter loquitur: « Hanc civitatem (Iaderam) beatissimus pater Franciscus, Hierosolymam coeteraque sancta loca petens, in propria persona visitavit, praesensque monasterium, quod sibi temporis successu sacratum evasit, pro primaevae illius paupertatis exigentia, ex Iadrensium facultatibus fundavit. Quod tamen cum in famosum atque augustum monasterium pluribus fratribus continendis aptum evasisset etc. ». — Iaderae est quoque alia traditio de S. Francisco sanitatem subito restituente Abbatissae monasterii S. Nicolai Iadrensis O. S. Benedicti; quae cum tribus abhinc annis aegrotasset, Francisco de rebus coelestibus cum coeteris monasterii monialibus colloquente, et de Abbatissa petente, illa, omnibus admirantibus, pristinae sanitati restituta, cubile reliquit, descendit, et Francisci sermonibus interfuit. Tradunt, sorores S. Nicolai in gratiarum actionem obtulisse Francisco patri hortum apud sacellum, in quo oraverat, ad coenobium fratribus aedificandum, necnon et promisisse se professuras regulam S. Francisci, dummodo Sedes apostolica id permitteret. — Quidquid sit de huiusmodi traditionibus, instrumenta extant de dona-

(1) S. P. N. Franciscum felicibus auris appulsum *Iaderam* asserit in quadam tabula cui titulus *S. Hieronymus Dalmata* edita Bononiae 1688.

(2) Zlatović inspexit mss. P. Vignali (habentur enim in Archivo Provinciae Ssmi Redemptoris in Dalmatia); Vignali vero, sicut ipse fatetur, multa excerpsit ex mss. Archivi Reipublicae Venetiarum.

(3) *De origine Seraphicae Religionis* p. 500. Venetiis 1603.

tione horti deque monialium O. S. Benedicti ad S. Clarae institutum transitu. Donatio horti revera, ut videre est in istrumento in Archivo Conventus S. Francisci Iaderae facta est an. 1249. (Hoc idem instrumentum recentissimo tempore inserviit ad reclamandam proprietatem cuiusdam horti portionis). Benedictinae vero ad ordinem S. Clarae (S. Damiani) transierunt iam ante annum 1244; Innocentius enim IV eas dicto anno uti addictas memorat *Ordini S. Clarae* (1).

Coniiciam tandem cum allegatis auctoribus, S. Franciscum Iaderam de facto appulisse, et in Sclavonia moram *aliquandiu* traxisse, (ut ex testimonio Celani et Bonaventurae constat), et ita saltem fundationem conventuum huius provinciae preparasse.

Quae cum ita pro certo sint, nemo non videt hanc quoque Divi Hieronymi Provinciam Dalmatiae quodamodo originem trahere immediate a S. P. N. Francisco et non ab alia provincia ortum habuisse (2). — Hic meminisse iuvabit, me non quidem ad aemulationem, zelotypiam aut vanam gloriam, sed ad historiae veritatem adstruendam, quoad possibile est, hoc addere.

Iam vero ad probandam huiusmodi antiquitatem Dalmatae S. Hieronymi provinciae, ne in longum abeam, sequentia facta et documenta subnecto, quae demonstrant ante annum 1222 in Dalmatia fratres Minores extitisse, ipsamque Provinciae titulo ornatam fuisse, et suos habuisse ministros iam ante an. 1235.

1221-2. Acconcius, legatus Honorii Pp IV, in Bosniam proficiscitur ad extirpandos haereticos Patarenos (Bogomilos) et arcersivit ad hoc in Dalmatiam aliquos religiosos Dominicanos et Franciscanos recenter institutos, ut mitteret eos in Bosniam, Serbiam et Bulgariam, ut zelo suo se opponerent haereticis. (Cfr. Zlatović, *Franovci,* cap. 1, et Farlati, *op. cit.,* t. III, p. 253).

1225. Fratres minores vocati fuerunt, ut cum Gunullio archiepiscopo Spalatensi et Episcopo Nonensi litem inter Templarios et Benedictinos Albae maioris (Biograd-Zaravecchia) definirent (3).

---

(1) Ex Innocentli diplomate argumentari debet Moniales S. Nicolai ante 1244 in S. Clarae ordinem intrasse, annus tamen non facile definiri potest; sed annus 1244 indubius est. Cfr. Smičiklas *Codex Diplomaticus* (Zagabriae 1906) t. IV p. 219 n. 198. Animadvertere hoc iuvat, quia Farlati (*Illyr. Sac.* V. 79), fretus litteris Laurentii archiepiscopi Iadrens. et Alex. IV, III Id. iunii 1260, affirmat a. 1260 moniales S. Nicolai Iadren. O. S. B. institutum S. Clarae amplexatas fuisse. Sed si inspiciantur litterae (Smičiklas) Innocentii IV 1244 et 1246, necnon ipsius Archiep. Laurentii a. 1250 et inter se conferantur, apparebit Moniales ab Innocentio IV et Laurentio ipso dici Ordinis S. Clarae (1244-1246-1250); dum per actum Laurentii a. 1260 illae eximuntur « ab omni iurisdictione seu subiectione.... nihil omnino iuris nobis in eodem monasterio reservantes »; et per Alexandri IV litteris moniales, quae secundum Deum et B. Benedicti regulam atque *imitatione monalium inclusarum S. Damiani Assisinaten.* vivunt, iubentur eodem modo vitam ducere, et adprobatur exemptio eis concessa a Laurentio. Wadding t. IV pag. 162 et 500. Cf. infra pag. 510-11.

(2) *Arch. franc. hist.*, I. ad n. 54.

(3) P. Vignali, *Comp. stor. mss.* in Conventu Vissovatii et Farlati, *Illyr. Sac.* t, III. pag.

(1228). « *Comitissa quaedam in Sclavonia* » liberata e periculo partus S. P. Francisci intercessione, in honorem eiusdem Ecclesiam quamdam construere fecit (1).

1228. Gregorius Pp IX Bullam « Sicut phialae » Canonizationis Seraphici Patris, etiam ad *Conventum Iaderae* mittit = Episcopis Istriae, Dalmatiae et Sclavoniae = sub dat: Perusii Id. Iulii Pont. a. II.; prima in ordine chronologico, iuxta aliam relatam a P. Golubovich (2). Papales istae litterae, quamvis antiquitatem et dignitatem quoque Iadertini conventus declarare possent, uti principis Dalmatiae, demonstrant tamen, ut scribit P. D. Fabianich, « lo sviluppo monastico di quei primi anni, il prosperamento delle singole famiglie.... e quello supratutto della Capitale » (3). Pergamena quae in conventu S. Francisci Iaderae asservatur, est originalis, habetque intestationem « *Ad Conventum Iaderae* ».

C. 1230. In Provincia Brebiriensi, monasterium S. Francisci fundatum fuit *non multis annis post obitum S. Francisci* (4).

1234. « Praesidente summo Pontifice Gregorio IX, Andrea tertio (II) regnatore Hungariae gubernante, Treguano episcopo, Stephano comite, iudicibus ser Casoto et Saladino Tragurii existentibus, *Dessa* Lucae quondam filius, assensu *Stanae* uxoris suae, disposuit testamentum, quod post obitum suum vult irrefragabiliter observari, operae pretium ducens Domino inservientibus universa quae possidet largiendi, adoptans loco carnalium filiorum, quibus caret, spirituales filios, immo patres, fratres scilicet Minores, ad quorum receptaculum ecclesiam B. M. V. cum murorum ambitu et domibus fabricavit prope Tragurium » (5).

1235. In catalogo Ministrorum Provincialium Dalmatiae primus minister ponitur frater Xystus Brixiensis (6). De Xysto Brixiensi, qua ministro Dalmatiae, testimonium luculentum invenitur in Archivo Reipublicae Ragusinae. Kukulieviċ (7) exscribit actum vicecomitis Ragusini, ubi praeter nomen Xysti recurrit etiam officium eius « praesentibus fratre Xysto tunc temporis *in Dalmatia fratrum minorum ministro,* fratre Andrea diacono, qui sunt de Venetiis, fratre Ioanne, qui fuit de episcopatu Brixiae, scilicet de Minervo... ». Decretum vero, de quo sermo, hisce incipit verbis: « Anno incarnationis Domini *millesimo ducentesimo trigesimo quinto,* mensis Aprilis tertio decimo intrante » (8). Sebastianus autem Dolci O. F. M. (9) cum his convenit. Hoc decretum maioris et

---

(1) Thomas Cel. *Tract. de Miraculis,* XII, n. 95, p. 393 seq. ed. Ed. Alencon: « Erga S. Franciscum devotione flagrabat, erga fratres vero sedula pietate ». Annus tamen definiri non potest. Waddingus vero factum sub an. 1228 refert (*Annal.*, t. I, p. 192).

(2) *Biblioteca bio-bibliografica della T. S.* t. I. p. 154.

(3) *Convento il più antico dei frati minori in Dalmazia,* Prato 1882.

(4) Farlati, *Illyr. sacr.*, IV, 14.

(5) Kukulieviċ, Regestum in *Starine* Knjiga XXII, p. 226 u Zagrebu 1890. — Farlati, IV, 338. Cfr. etiam Fabianich, *Convento il più antico* cit. p. 28, et eiusdem, *Storia de'frati Minori* cit. t. I, p. 36, n. 23.

(6) Fabianich *Storia* cit t. II p. 377. Cfr. Miloševiċ in *Arch. franc. hist.* I 236-37.

(7) Regestum, *Starine,* Knjiga XXII, p. 232, u Zagrebu 1890.

(8) Farlati, *Illyr. Sac.* t. VI. p. 96.

(9) *Monumenta historica Provinciae Rhacusinae O. F. M. S. P. N. Francisci* Neapoli, 1746 p. 14.

minoris Consilii Reipublicae Ragusinae anni 1235 loquitur de quadam excomunicatione lata ab Archiepiscopo Arengerio «praesentibus etc.». Sed quia in Decreto dicitur «praesentibus fratre Xysto.... TUNC TEMPORIS in Dalmatia etc.» liçet concludere, Xystum fuisse Ministrum non modico tempore ante 1235: *tunc temporis,* duobus, tribus aut pluribus ante annis; Arengerius autem extitit Archiepiscopus Ragusinus iam ab anno 1217 (Farlati *Ecclesia Ragusina,* Smičklas *Codex diplomaticus*) (1).

1236. Gregorius IX bulla «Sperabamus quod» Archiepiscopum Iadrensem arguit et corripit, quod non permisisset praedicationem Fratribus Minoribus contra haereticam pravitatem, et ianuas ecclesiae claudere fecisset, ne ad praedicationem *ministri provincialis eiusdem ordinis* populus conveniret (2).

1241. «In Provincia Sclavoniae. In Pola frater Otho caecos et alios infirmos mirabiliter curavit post mortem» (3). — In «*Dialogo de vitis Sanctorum Fratrum Minorum*», scripto circa an. 1245 (4), item habetur de B. Othone (pag. 94): «De beato Othone qui requiescit Polae» (in Istria), et narrantur per latum novem miracula. Idem de eodem in Codice Oxoniensi (Miscel. 525, qui Codex in conventu Traguri 1384 et 1385, conscriptus fuit).

1242. Bartolomaeus, episcopus Scardonensis, postquam episcopatum cum instituto franciscano commutasset, pallium Hugrino Archiepiscopo Spalatensi imposuit (5).

1243. Fratres minores vocati fuerunt, ut interessent electioni Archiepiscopi Spalatensis (6).

1243. 11 Septembris, Comunitas Traguriensis promittit se submissuram esse iudicio «fr. Gherardi de Mutina et confratrum eius de ordine fratrum minorum» ad omnia, quae ipsi inter illos et Spalatenses duxerint statuenda (7).

1249. 6 augusti. Moniales S. Nicolai O. S. Cl. concedunt fratribus Min. hortum quemdam. «In nomine dei aeterni amen. Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo nono mensis augusti die sexto intrante, indictione septima, Jadrae. In praesentia et testimonio illorum quorum nomina inferius scripta sunt.

---

(1) P. Seraphinus M. Cerva Ord. Praed. in mss. *Sacra Metropolis Ragusina* T. I. p. 163, in vita Arch. Arengherii sub n. XX referens decretum Consilii parvi et magni, hac prosequitur notula: «Addam quod observatione et memoratu indignum minime mihi videtur. Sigilla nempe ex hac membrana pendent omnium, qui suo pro potestate calculo rem affirmarunt. Haec inter sigillum pendet fratris Xysti Veneti Minorum per Dalmatiam Ministri, quod Minoritanum Coenobitam refert cum capitis integumento rotundo, eo fere modo, quo hac aetate Minoritae qui Observantes et Reformati audiunt, utuntur».

(2) Farlati, Fabianich, Kukulievič et in Archivo Conventus Iadrensis.

(3) *Catalogus sanctorum,* circa 1335 conscriptus, edidit P. L. Lemmens Romae 1903, pag. 23.

(4) Edito a cl. P. Lemmens Romae 1902, pag. 94-5.

(5) Farlati *Illyr. Sac.* VII, 14.

(6) Thomas Arch. Spalat. apud Tarlati *op. cit.* t. III p. 265.

(7) Originale in Arch. Capituli Spalatensis. Cfr. Smičiklas, *Codex Diplomaticus,* ad 1243, t. IV, p. 197. Farlati, *op. cit.,* t. IV, p. 341.

Dabriza Abbatissa monasterii S. Nicolai de Jadra cum suis successoribus de voluntate et assensu sororum suarum ibidem praesencium venerabilis patris domini *Laurentii,* dei gratia jadrensis electi, expresso consensu pariter accedente et ibidem praesente, sponte, libere, et absolute dedit, contulit, fratribus minoribus S. Francisci de Iadra quemdam ortum iuxta ipsum monasterium, habentem per longitudinem passus viginti duos, per latitudinem vero tredecim passus. Ob cuius piam donacionem seu collacionem praefatae Abbatissa et sorores alium ortum juxta ipsum monasterium positum a comuni Jadrae in concambium receperunt, sicut ipsaemet publice fatebantur. Ad maiorem firmitatem omne ius, quod eis competebat vel in futurum competere possit libere resignantes. Ad cuius rei perpetuam firmitatem praefatus electus mandavit praesens instrumentum sigilli sui munimine roborari. Actum est hoc et confirmatum coram his vocatis et rogatis testibus silicet *Homobono*, priori s. Michaelis de Scopulo, et *Martinussio* filio quondam comitis Volcigne et *Marco* Acontano.

(Signum notarii). Ego *Petrus* Scandolarius praesbyter sancti Apollinaris Jadrae notarius iis praedictis interfui rogatus et de mandato dicti domini electi scripsi, complevi, roboravi et signo consueto signavi » (1).

Sufficiant haec, ut dignoscamus, iam aevo S. Francisci et multo ante an. 1248, fratres minores in Dalmatia extitisse, quippe qui ad magna munera, officia, opera, et dignitates fuerint vocati. — Et cum ista satis sint, nolo verba facere de diplomatibus usque ad an. 1248 quamplurimis Romanorum Pontificum universum Ordinem spectantibus et quae transmissa fuerunt ad Provincialem quoque Dalmatiae (Sclavoniae) et quorum nonnulla asservantur in Archivo Conventus Iadrensis, et quae non possunt non affirmare Provinciae antiquitatem.

Ad complementum nihilominus huius qualiscumque scripti, vellem hic adnotare praeterea : si ex eo quod Summus Pontifex inveniatur suas Papales litteras aut diplomata misisse alicui provinciali ministro, probatur eo ipso existentia provinciae, cui praeest, concludi non potest econtra, quod quotiescumque similes papales litterae desiderantur, provincia vel provincialis minister non extitissent in antecessum. Causae quam multae huius deficientiae adesse possunt, uti bene omnes novimus: deperditae nonnullae, incensae, aliae in lucem non editae, vel absconditae adhuc in scriniis latentes. — Praeterea nos non latent, quae in saepe citato opere (2) P. Golubovich observat, ad 1212 de capitulo apud S. Mariam Angelorum habito — « Non capitolo propriamente generale, per la semplice ragione, che allora pochi erano i discepoli del Santo e le *provincie* e i *provinciali* non erano ancora istituiti prima del 1217 ». — Adde quod optime innuit Cl. Schnürer (3), scilicet S. Patriarcham non fuisse, ut aiunt *organizatorem*, sed ordinem sensim ordinatum fuisse consiliis, impulsu, auxilio, ope Cardinalis Hugolini, magni vereque summi viri. — Quidquid sit, si provinciae et provinciales anno 1217 instituti fuerunt, numquid ali-

(1) Originale in Archivio Conventus Jaderae.
(2) *Biblioteca bio-bibliografica* etc, t. I. p. 86.
(3) S. Francesco d'Ass. p. 157.

cuius saltem provincialis nomen deperditum aut oblivioni cedere non debuisset, et hoc in primis incuria, ut saepe apud nos, proh dolor! accidere fertur, nec adnotandi, nec conservandi digna notae et memoriae? Praeterquam quod concedere oportet, nonnullos in ministeriatu diuturniore tempore quam trium annorum ministrasse; hoc absonum non est, immo plurimorum comprobatur exemplo. Istis de causis, catalogi provinciarum non raro deficientes evadunt; quod et fere semper accidit in omnibus catalogis episcoporum ecclesiarum, qui quo sunt antiquiores eo sunt lacunis uberiores. Ita in Dalmatiae quoque serie ministrorum provincialium desiderantur nomina ministrorum ab an. 1235 ad 1246 (1), ab an. 1246 ad 1270, ab anno 1276-88 et ita porro. Attamen hisce quoque annis ministros exitisse nobis datum est eruere e bullis Pontificum ad Sclavoniae ministros, aut e litteris Cardinalium, qui specialem ministri Sclavoniae mentionem faciunt. — Inter has libet commemorare a) bullam Innocentii IV dat: Lugduni VI Kal. Aprilis Pontificatus an. 5 (1248), Episcopo Segniensi et ministro Fratrum Minorum Spalatensis dioecesis, ut inquirant de vita Ninoslavi — b) Eiusdem « dilectis filiis ministro, custodibus, eorum vicariis Fratrum Minorum administrationi Dalmatiae = Tunc potissime conditori = ut contra haereticos praedicent verbum crucis. Laterani X Kal. Ap. Pont. an. 11. — c) Alexandri IV, Anagniae, IV Kal. Aug. Pontif. an. 2. = Nimis iniqua = Archiepiscopis etc. etc. per Dalmatiam, Istriam ac Sclavoniam constitutis, qua eosdem contundit, quia ab eorum (Fratrum Minorum) ministris, custodibus et guardianis exigunt fidelitatem iuramento firmatam. — d) Eiusdem, Viterbii, VIII Id. Febr. Pontif. an. 4. « Ministro Provinciali et fratribus universis Fratrum Minorum in Sclavonia constitutis », concedentem indulgentiam aliquibus diebus eorum ecclesias visitantibus. — e) Item Eiusdem, Anagniae, VII Kal. Iulii, Pontif. an. 5. « Dilectis filiis ministro et.... Vicario Sclavoniae ac Guardiano ordinis minorum Iadrensi » ut monialibus monasterii S. Nicolai, ordinis S. Damiani, quatuor fratres ad divina officia celebranda concedant. — f) Cardinalis diaconi Iohannis, titulo sancti Nicolai, anno domini 1263, pontificatus domini pp. Urbani IV an. 3, « Religioso et provido viro, in Christo dilecto Ministro Fratrum Ordinis Minorum in administratione Sclavoniae » commendantis sorores et eorum curae committentis ordinem S. Clarae infra limites suae provinciae. — g) Clementis IV, Viterbii, II. Kal. Aprilis, Pontif. an. 4, « Dilectis filiis Cosae Saladini Iadrensi... Azonis Iustinopolitano et Thomae Basilii Catharensi civibus », qui instituuntur procuratores ministri et fratrum, administrationis provinciae Sclavoniae. — h) Martini IV, apud Urbem Veterem, X Kal. Maii, Pontif. an. 2, « Archiepiscopo Iadrensi », quatenus

(1) Cum *aliquando* Fr. Iacobus de Axandris de Mantua (Salimbene, Chron. p. 319) fuerit minister in Dalmatia et circa an 1248 dicatur socius Ministri generalis Ioannis de Parma, haud incongruum foret admittere vel interserere inter 1235 et 1246 hunc Iacobum, cum per undecim annos desit aliquod nomen provincialium et absonum non erit asserere illum ante annum 1248 tenuisse regimen Provinciae Sclavoniae sive Dalmatiae.

praesidio efficacis defensionis non permittat ab aliquibus molestari, contra indulta privilegiorum, ministrum et fratres ordinis minorum administrationis provinciae Sclavoniae. — Et aliae quae me hic et nunc fugiunt, quaeque omnes in suo originali forma asservantur in Archivo provinciali conventus Iaderae.

Praetereundum silentio mihi non est, quod pleraque ex documentis, a me citatis, inveniuntur in « *Storia dei Frati Minori* » etc. *P. Donati Fabianich,* quae de caetero omnia, superius et hic allata, cum multis aliis, ut iam praedixi, asservantur in originali pergamena in dicto Archivo, quorum nonnulla etiam Rmus P. Gonzaga recenset in « *De origine* etc. » et alia inveniri possunt apud Farlati « *Illyr. Sacrum* », apud Theiner « *Monumenta Slavorum meridionalium* » apud Kukulievié « *Regestum* » et apud Smičiklas « *Codex diplomaticus* » etc. — Unde cur aliquae, immo maior pars, quae hos annos respiciunt, et apud Waddingum nostrum et Sbaraleam desint, nescio quo fato acciderit. — Verum enim vero, nihil mirum, cum et ipse Waddingus, princeps noster Annalista, facta tantum mentione adventus S. P. Francisci in partibus Sclavoniae, dein usque ad an. 1241 de hac Dalmata Provincia vix loquatur. Ad an. 1241 haec scribit: In Provincia Sclavoniae sive Dalmatiae claruit frater Otho, virtute et miraculis .... iacet Polae (III. p. 62). Ad an. autem 1260 (t. IV p. 13). in serie Provinciarum ponit n° XXIX Provinciam *Dalmatiae*, quae haberet custodias quatuor. Primam Ragusinam, secundam Iadrensem, tertiam Arbensen, quartam Istriae. — Ad hunc annum meminit etiam litterarum Alex. IV ad ministrum et vicarium Sclavoniae et guardianum Iadrensem de quatuor fratribus dandis ad obsequia sanctimonialium mon. S. Nicolai Iadrensis (t. IV p. 162). — Ad istum quoque annum narrat sanctimoniales dicti monasterii fuisse O. S. B. et se sponte Clarissas declarasse (t. IV, p. 162. Regestum 500-501). — Aliorum Conventuum nec nomen usque ad an. 1290, quo anno mentionem facit Ecclesiae Veglensis, Custodiae Arbensis (t. V p. 246), et ad an. 1291 Iadrensis Conventus (t. V, 275-6); et tamen ex seriebus Provinciarum (Cfr. *Archivi* Tabulas II, V-VII-VIII) et ex ipso Waddingo luculenter rescimus Provinciam Sclavoniae 4 habuisse Custodias et duodeviginti (an. 1284) vel viginti et duos (1316) conventus etc. (1)! — Hae profecto quatuor Custodiae Sclavoniae sive Dalmatiae et duodeviginti Conventus antiquitatem huius provinciae satis et liquido suadent.

Nam, inopinato haec provincia coalescere non potuit et conventus iam ante dictos annos extiterunt. Hoc et tabulae et ipse rerum processus ostendunt: et non paucis admodum annis (ut alibi vidimus) nec ultimis hi conventus exurgere potuerunt, sed iam a primaevis annis nostrae Seraphicae Religionis initium et originem repetere debent.

Caeterum, etsi in tabulis « nulla series seu ordo nobilitatis aut praecedentiae vel antiquitatis Provinciarum stricte observetur » (2), con-

(1) Cfr. *Archiv. franc. hist.* an. I p. 17-22, et *Anal. franciscana* IV. 528.
(2) Cfr. *Archivum* cit. p. 18.

(1) Il carattere corsivo indica sempre le parole rubricate nel ms.; anche il titolo è rubricato.

(2) Gli altri capitoli nel ms. non sono numerati, perciò ad ogni rubrica dei capitoli si è preposto un numero progressivo.

III. — *Capitulum de conventione ultime dominice mensis.*

Volumus et ordinamus quod omnes fratres congregationis habeant convenire ad locum fratrum minorum ultima dominica cuiuslibet mensis (*a*), ubi, audita missa, si fieri poterit habeant fratrem unum de conventu illorum qui proponat eis verbum divinum. Post hec minister legi faciat suas ordinationes in totum vel in parte, sicut videtur melius expedire, et si quis contra ordinationes fecerit, teneatur se accusare coram ministro.

IV. — *Capitulum de horis dicendis* (*b*).

[f. 4r]. Ordinamus quod omnes fratres congregationis teneantur dicere septem horas diei, scilicet pro matutino X pater noster et totidem ave maria, et pro prima, tertia, sexta, nona, vesperis et completorio quinque pater noster et totidem ave maria pro qualibet hora. Et qui horas has suo tempore dicere non poterit, alio tempore, scilicet in quo dominus ei inspiraverit, eas dicat. Qui vero dicens officium diei seu beate virginis marie, alias horas non voluerit dicere, minime teneatur.

V. — *Capitulum de confessione bis in anno* (*c*).

Ordinamus quod omnes fratres congregationis nostre bis in anno debeant confiteri cum fratribus minoribus, scilicet in quadragesima sancti martini (1), et in quadragesima maiori, et nichilominus die precedente diem comunionis debeant confiteri pro maiori utilitate anime sue et pro reverentia tanti sacramenti, et communicentur omnes in nativitate domini a dictis fratribus, et nullus remaneat qui non communicetur, nisi de licentia ministri cum conscientia confessoris sui.

VI. — *Capitulum de ieiuniis servandis* (*d*).

[fol. 4v]. Ieiunia omnia per ecclesiam instituta, scilicet quadragesimam maiorem et quattuor tempora et vigilias, scilicet assumptionis beate virginis marie et beati francisci, iohannis baptiste, et beatorum apostolorum petri et pauli, iacobi maioris, bartholomei, matthei, symonis et iude, andree, thome, mathie, beati laurentii et omnium sanctorum, servabunt, etiam omnes dies veneris a sancto michaele usque ad pascha maius, et adventum domini, nisi propter laborem et evidentem necessitatem, abstinentes omnibus hiis ieiuniis a carnibus, ovis et caseo in nostris pulmentis.

VII. — *Capitulum quod infamis non recipiatur* (*e*).

Ordinamus quod nullus infamis, aut hereticus, aut lusor publicus, aut fatuus (?), aut ebriosus, aut maleficus, aut usurarius recipiatur, nisi vita diu fuisset coram domino et hominibus rationabiliter commendata.

(*a*) B. I. — (*b*) C. IV; N. VIII. — (*c*) C. VI, 1. *ter.* XIII 3. N. VI. *ter.* — (*d*) C. II et III; N. V. — (*e*) C. IX, 1. N. 1, 2.

(1) *Quaresima di S. Martino* è ancora il nome popolare usato per indicare l' Avvento.

VIII. — *Capitulum de datione* (1) *recipiendorum* (*a*).

Si voluerit ydoneus aliquis in sotium confratrem recipi, debeat personaliter comparere coram ministro et congregatione in capitulo fratrum minorum. Antea vero quam recipiatur aliquis, nomen [f. 3r] eius primo scribatur in libro nominum, et usque ad unum mensem an sit ydoneus per ministrum fraternitatis diligentius exquiretur; minister vero nomen publicet in congregatione, et si displicet rationabiliter alicui ex fratribus, dicat ille secrete ministro, et tunc audita tali voluntate fratris, minister teneatur dicere et explanare toti consilio, et si videtur consilio quod sit recipiendus, postea in congregatione dicatur, et si videbitur maiori parti congregationis quod sit recipiendus recipiatur, si vero videbitur consilio quod recipiendus non sit, nullo modo recipiatur. Post receptionem vero teneatur quilibet pro elymosina facienda XII imperiales (2) et unam libram cere fideliter assignare ministro. Et istud ordinamentum de receptione sit precisum, ita quod minister nec aliquis loco eius possit aliquem recipere nisi secundum predictam formam, nec permittatur aliquis dę caritate proponere de aliquo nec consulere in recipiendo nisi secundum predictam formam.

IX. — *Capitulum de ingressu istius congregationis* (*b*).

[f. 3v]. Ordinamus quod quicumque voluerit istam intrare congregationem prius restituat omnia male ablata ante quam intret, et prius confiteatur alicui de fratribus minoribus conventus brixiensis et stet mandatis eius, et tunc ille, qui in hiis omnibus fuit probatus, personaliter interveniet ad locum ubi fratres conveniunt, et ibi prius a ministro confotus (3) recipietur ad osculum pacis.

X. — *Capitulum de pace reformanda inter discordes* (*c*).

Si discordia aliqua orta esset vel oriretur quacumque de causa inter fratres congregationis pro pecunia, vel aliqua alia occasione, primus frater qui haec audierit, vel illi inter quos esset orta, teneantur nunciare ministro congregationis, et minister dabit operam pro posse cum sociis suis eos pacificare, et si necesse fuerit nunciabunt guardiano et lectori fratrum minorum, cum quibus pacem restituent inter fratres.

XI. — *Capitulum de auditu infamie alicuius fratris* (*d*).

Si aliquis fratrum congregationis audierit aliquid de alio fratre, quod ad infamiam congregationis [f. 4r] pertineat, statim teneatur nuntiare ministro, ut per ministrum possit in casu isto provideri congregationi et fratri.

(*a*) Cf. C. VIII, 5-11; XIII, 11-2; N. II. — (*b*) LL. cc. — (*c*) C. X 2, N. X, 2; XVII. (*d*) C. XII, 4. XIII, 9, cf. N. XIX, 1.

---

(1) *Datio*, da *datum* (dado) significa *votazione, ballottazione* ecc.

(2) Soldi e lire imperiali, e lire *planet* erano monete comuni a Brescia nel medio-evo, delle quali però sarebbe ora assai difficile precisare il valore; cfr. *C. Doneda* Notizie della zecca e delle monete di Brescia, (Brescia, Rizzardi MDCCLV).

(3) Da *confovere*, abbracciare.

XII. — *Capitulum de honestate servanda a ludis* (1) (*a*).

Volumus ab omnibus de congregatione firmiter observari propter multam honestatem et utilitatem fratrum congregationis, et ne inter eos aliqua discordia oriatur, quod de fratribus predictis nullus ludat ad taxillos, guvolas, et offas, et salterellum, vel ad siccum, per se nec per alium, cum talis ludus sit reprobatus ab ecclesia, neque permittat in domo sua ludi, et abstineat quilibet quantumcumque poterit ab ingressu tabernarum modo bono, nec etiam portet arma prohibita per civitatem, nisi coactus a comuni brixie.

XIII. — *Capitulum de locutione ministri* (*b*).

In capitulo minister proponat ea que ad honestatem et utilitatem congregationis viderit expedire, et accusentur omnes et corrigantur qui contra ordinationes fecisse fuerint deprehensi. Volumus enim quod minister possit omnibus fratribus de congregatione inordinate et sine causa in [f. 4v] capitulo loquentibus vel alios offendentibus, in capitulo sive extra capitulum iniungere aliquot *pater noster*, vel eos in aliquibus denariis punire, prout discretio sua secundum exigentiam offense iudicaverit expedire.

XIV. — *Capitulum de ammonitione ministri contra contemptorem* (*c*).

Si vero, suadente diabolo, is qui frater nominatur, fornicator, aut tabernis serviens, aut maledicus, aut lusorum studiosus, aut ebriosus, aut rapax, quod deus avertat, repertus fuerit, et se post trinam amonitionem ministri corrigere contempserit, etiam si sponte non discessit, de nostra tamen societate proiciatur, ne contagione pestifera plurimos perdat, et modicum fermentum totam massam corrumpat.

XV. — *Capitulum de scandalo et inhonestate alicuius.*

Si aliquis aliquid fecerit quod nostram congregationem dehonestet, vel proximum scandalizet, vel ministro fuerit inobediens in hiis que in nostris (2) constitutionibus continetur, si ad amonitionem ministris non cessaverit, et se non [f. 5r] emendaverit, de nostra societate removeatur, si ministro videbitur cum consilio XII, approbato a maiori parte congregationis.

(*a*) Cf. C. I, 7. N. IV. f B, 36. — (*b*) P. 6. C. VII, 3-4; XIII 8-9; N. 3-4. — (*c*) C. XII, 1-2; XIII 9; N. XIX; cf. B. XIII.

---

(1) In questa severa ordinazione contro i giuochi pubblici di bisca, azzardo, carte, ecc. troviamo un'eco degli Statuti comunali di Brescia, i quali contengono pure delle severe prescrizioni sulle *Bischatia* o *Buschatia* (bische, giuochi d'azzardo), ch'erano ordinariamente causa delle usure e della rovina materiale e morale delle famiglie. I vari nomi dei giuochi qui ricordati hanno riscontro nella seguente glossa degli Statuti di Brescia: « *Buscatia vero intelligitur et dicitur quando aliquis ludit cum taxillis ad naretam, vel ad nigrum, vel ad album, vel ad pariandum, vel ad guvolam, vel ad aliquem ludum taxillorum.* Alcuni di tali giuochi sono ancora in uso (p. es. il bianco ed il nero, le *guvole* o giuoco del cuco), altri invece andarono in disuso, oppure hanno ora un altro nome. Per i vari nomi dei giuochi cfr. *Ducange* Glossarium e *Muratori* Antiquitates Italicae M. Aevi II. 1158; per la legislazione comunale bresciana cfr. *Odorici* Storie Bresciane VIII. 21-29 e *A. Valentini* Gli Statuti di Brescia (Venezia 1898) pag. 48.

(2) Cod. quasi legendus videtur *innumeris*.

XVI. — *Capitulum de reverentia ministri in capitulo* (*a*).

Ordinamus quod nullus frater congregationis surgat in capitulo coram ministro ad loquendum, nec aliquid novum proponendum sine speciali licentia ministri, et etiam non audeat loqui ultra voluntatem ministri, pena et banno ad voluntatem ministri.

XVII. — *Capitulum de electione ministri et offitialium* (*b*).

Ordinamus quod in die sancti stephani quolibet anno fratres omnes in domo minorum conveniant, et ibidem ante quam discedant unum ministrum et duos offitiales qui assistant ministro, quorum unus est minister precedentis anni, et alius eligatur ut minister, eligentur. Primo minister iniungat duobus fratribus de congregatione quod vadant seorsim ab aliis, et ibi cum uno fratre, quem assignabit eis guardianus, audient voces omnium et [f. 5v] propuncta conscribent, et ille qui plures voces habuerit pro ministro habeatur, et ei offitium a ministro precedentis anni in remissionem omnium peccatorum iniungatur, et nullius excusatio recipiatur, nisi fuerit evidens et manifestum impedimentum quod, priusquam fiat electio, allegatum (1) fuerit, et per fratres rationabile iudicatum, et per ministrum cum sociis eligantur duo consiliarii, qui assistant ministro in negotiis caritatis.

XVIII. — *Capitulum de laude virginis et electione ministri.*

Attendant omnes diligenter quod ad laudem dei et ad honorem virginis marie et ad bonum statum congregationis, nec non ad consolationem fratrum, minister eligatur sapiens et discretus, de cuius vita et moribus laudabile testimonium habeatur.

XIX. — *Capitulum de executione offitii ministri.*

Minister congregationis postquam fuerit electus et confirmatus, circa offitium suum ita sit solicitus et attentus quod de aministratione sibi commissa sciat et possit in die iuditii bonam reddere domino [f. 6r] rationem.

XX. — *Capitulum de obedientia ministro.*

Ministro tam offitiales quam alii obediant omnes in his que congregatio fratrum agenda et disponenda decreverit.

XXI. — *Capitulum de assignatione rerum.*

Minister, post octo dies ab amministratione sua, teneatur assignare res et bona congregationis ministro sequenti et offitialibus eisdem cum duobus antiquis de congregatione, et consilio XII debitam reddere rationem de omnibus, que ad suas manus pervenerint, bona fide sine fraude.

XXII. — *Capitulum de visitatione* (*c*).

Ordinamus quod tota congregatio visitetur ter in anno a guardiano fratrum minorum, vel ab aliquo fratre loco eius posito, videlizet in ultima dominica februarii et ultima dominica augusti et ultima novembris.

(*a*) Cf. B. 13. — (*b*) Cf. C. XII 6; N. XV. Cf. Mandonnet, *L'Ordo de Paenit.* p. 184ss. 198ss. — (*c*) Sabatier, *Antiq. Reg.* p. 19. Mandonnet. l. c. 180ss. — N. XVI 1-3; cf. C. XIII 4-5.

---

(1) Cod. *elegatum.*

XXIII. — *Capitulum de electione consiliatorum* (*a*).

Ordinamus quod per ministrum et consiliatores eligantur XII idonei consiliarii apud ministrum, qui sedeant in bancho in quo sedet minister, quorum [f. 6v] consilio fiant ea que in iam dicta congregatione fuerint peragenda.

XXIV. — *Capitulum de oblatione misse assumptionis beate Marie virginis* (1).

Ordinamus ad honorem virginis gloriose, quod omnes fratres congregationis insimul debeant convenire ad ecclesiam beati francisci in festo ipsius (2), summo mane, ad missam, et quilibet frater congregationis debeat offerre unum cereum secundum discretionem ministri et consiliariorum XII. Et volumus quod tali die fiat refectio congrua, et hec omnia sic volumus fieri et observari omni anno, et nullus recuset venire ad dictam refectionem nec per se aliquem alium mittat. Salvo quod si quis iusta de causa remanserit, pro se possit mittere patrem, filium, fratrem, patruum, habiaticum, nepotem seu consanguineum germanum, et non aliquam aliam personam, neque aliquem secum ducat. Et siquis recusaverit venire nichilominus solvat partem ad se pertinentem de expensis et cereo.

XXV. — *Capitulum de custodia infirmorum* (*b*).

[f. 7r]. Statuimus ut si aliquis fratrum infirmatus fuerit, si ei placuerit per fratres custodiatur, et lumen ei ministretur et maxime in extremis.

XXVI. — *Capitulum de conductione fratris infirmi ad brixiam.*

Et si frater aliquis fuerit infirmatus longe a civitate per decem miliaria, minister et consilium teneantur ipsum facere conduci usque ad hanc civitatem ad expensas congregationis, si voluerit et per se conduci non potuerit.

XXVII. — *Capitulum de custodia fratris mortui.*

Si aliquis frater tali hora decesserit quod de die honeste sepeliri non possit, in nocte per fratres, quos minister elegerit, custodiatur, et in orationibus ceterisque spiritualibus mortuorum nocturnis obsequiis ei provideatur.

(*a*) Cf. C. XII, 6; N. XVI 2. — (*b*) C. VIII; N. XIV 1.

---

(1) Quella dell' Assunta (15 Agosto) era a Brescia, nel Medio-evo, la principale e più solenne festa dell' anno, e dava occasione ad una serie non breve di svariati divertimenti popolari e religiosi, che perdurano ancora in minima parte per quasi tutto il mese di agosto, coll' antico nome di *fiera d' agosto* (*ferragosto*). Il più antico statuto comunale che riguarda questa festa è quello di Guglielmo Brunello, vicario in Brescia per Roberto d' Anjou, del 4 agosto 1273; è certo però che la festa era già in uso da molto tempo, e ricordava forse la dedicazione o la consacrazione dell' antichissima basilica cattedrale di S. Maria (Duomo vecchio). Cfr. *A. Zanelli* La festa dell' Assunta in Brescia nel Medio-Evo — in *Archivio storico italiano* serie V tomo IX (1892) pag. 1-30.

(2) Cioè nella festa dell' Assunta, non di S. Francesco, come potrebbe sembrare dalla prima lettura.

XXVIII. — *Capitulum de iudicato pro anima sua* (a).

Quando frater aliquis ad mortem pervenerit, V solidos imperiales ad minus pro anima sua dimittere teneatur, de quibus fatiemus cantari XXV missas in loco fratrum minorum, et si non fecerit, benefitio [f. 7v] illarum XXV missarum privetur, si dare potens fuerit secundum inditium ministri et consiliatorum, et teneatur quilibet frater congregationis pro anima fratris sic defuncti dicere XXV *pater noster* cum: *requiem eternam*, pro anima vero ministri congregationis quinquaginta: *pater noster*.

XXIX. — *Capitulum de imperiali pro candela fratris mortui.*

Quilibet de congregatione det unum imperialem ministro congregationis in morte fratris, et ipse minister teneatur ordinare, quod frater quilibet habeat unam candelam, quam accensam portet quum frater portatur ad sepulcrum, et reportet post sepulturam et offerat in ecclesia ubi fuerit sepultus ad altare (1), vel det sacerdoti illius ecclesie, praeter quam minister et consiliarii eius teneantur dicere parentibus fratris mortui si pro sua anima candelas vellent solvere aut dare, et si dederint non teneantur fratres solvere imperialem, teneantur autem omnes fratres congregationis ad funus fideliter convenire quum debet sepeliri [f. 8r], et si quis remanserit iniusta causa, solvat VI imperiales pro quolibet et qualibet vice.

XXX. — *Capitulum de cereis virginis.*

Ordinamus [quod] cerei de duobus libris pro quolibet laxantur ab ipsa congregatione, qui cerei ante altare virginis gloriose die congregationis eius, et ante altare sancti .... (2) in congregatione mortuorum accendantur.

XXXI. — *Capitulum de provisione festi beati francisci* (b).

Ordinamus quod omnes fratres congregationis omni anno in festo sancti francisci ad eius locum debeant convenire, et tunc consilio ministri et consiliatorum provideatur de festo.

XXXII. — *Capitulum de servitore congregationis.*

Ordinamus quod congregatio habeat unum servitorem, qui vadat et veniat verbo ministri, et ipsi servitori detur omni anno a quolibet fratre unum imperiale et nullas expensas faciat in congregatione.

XXXIII. — *Capitulum de ratione.*

Ordinamus quod minister congregationis teneatur facere rationem cuilibet de congrega [f. 8v] tione usque ad summam XX sold. imperialium: similiter debentes alteri dare et ipsi teneantur conquerere mini-

(a) C. IX; N. XIV 4. — (b) Cf. B. 24.

(1) Questa prescrizione ha riscontro in altra degli antichi statuti funerari di Brescia: *Odorici* Storie Bresciane VII-127-128.

(2) Il nome fu lasciato in bianco, ma probabilmente è quello di S. Niccolò, al quale era dedicato un oratorio nelle vicinanze di S. Francesco ed una cappella nella stessa chiesa conventuale.

stro congregationis et non ad comune brixie, et si post tertium preceptum eis factum evitarent, minister habeat licentiam cum consilio depellere eum de congregatione.

XXXIV. — *Capitulum de minutione et addictione* [statutorum] (*a*).

Ordinamus et firmiter volumus quod minister per se nec per consiliarios nec per congregationem totam vel partem, possit facere aliquid ordinamentum novum, nec mutare ordinamenta facta congregationis nostrae, nec addere, nisi in capite anni, quum scilicet fit electio ministri et tunc si videbitur ministro et maiori parti congregationis addant vel minuant, vel de novo fatiant, secundum quod eius caritati melius videbitur expedire. Et si aliter sit factum, irritum sit et cassum, et ad illum nullus de congregatione, nisi velit sponte, minime obligetur (1).

XXXV. — [f. 9r] *Capitulum de dicendo* pater noster *quando fit processio, donec obtulerint candelam presbitero.*

Provisum est per guardianum et consiliarios congregationis quod quilibet frater de congregatione tantum quantum portaverit candelam et habuerit in manu pro processione fatienda, dicat *pater noster* et *ave maria*, donec eam obtulerit presbitero ad altare.

XXXVI. — *Capitulum de ludo buscatie et de pena ludentium* (*b*).

Item provisum et ordinatum est quod si quis luserit ad ludum buscatie solvat pro prima vice XII imperiales, pro secunda vice II solidos imperiales, et pro tertia vice V solidos imperiales. Et si postea luserit amplius eximatur et expellatur de congregatione. Si vero iterum post eiectionem de congregatione recipiatur iterum et misericordia fiat ei, et iterum pro qualibet vice solvat X solidos imperiales, nisi ministro et consiliariis aliud rationabiliter videatur (2).

XXXVII. — *Capitulum de visitatione* (*c*).

Item provisum est, quod quilibet de congregatione teneatur venire ad quamlibet visitationem [f. 9v], et quod minister congregationis tunc non possit dare licentiam alicui de non venire, et ille qui non venerit scribatur, ita quod nichilominus debeat visitare alia die dominica, et qui contrafecerit solvat VI imperiales pro qualibet vice si non fuerit iusto impedimento, quod debeat decerni per ministrum et socios.

XXXVIII. — *De offerta fienda quum fit processio* (*d*).

Item provisum est quod quilibet de congregatione debeat offerre 1 imperialem ad minus coram ministro in capitulo, omni die veneris, quum fit processio, qui denarii debeant dari pauperibus ad reverentiam beate

(*a*) C. XIII 10. — (*b*) Cf. B. 12. — (*c*) Cf. B. 22 et 40. — (*d*) C. VII 1-2. N. XIII 2.

(1) Suppongo che qui *finiscano gli statuti più antichi* compilati da fra Bonincontro; le seguenti sono ordinazioni posteriori, aggiunte in vari tempi; vedi il caso simile per la regola di Capestrano cf. Mandonnet, *L'Ordo*, p. 158 ss 176 ss.

(2) La severità di queste prescrizioni contro i giuochi di bisca sono concordi con le prescrizioni pure severissime degli statuti comunali già ricordati, i quali enumerano anche alcune delle principali bische del territorio bresciano nel secolo XIII.

virginis, et qui denarii debeant dispensari per illos, quos voluerint minister et consiliarii sui, per civitatem brixie, et summa quorum denariorum legatur in congregatione quolibet mense sequente.

XXXIX. — *Quod fratres congregationis conveniant in capitulo ad sonum campanelle.*

Item provisum est quod minister qui debet cum fratribus convenire in capitulo, debeat facere pul- [f. 10r] sari campanellam, et tunc quilibet frater statim sine mora veniat in capitulum pena et banno Imperialis, que pena inferatur cuilibet contrafacienti statim.

XL. — *De pena non venientium ad visitationem* (*a*).

Concordes fuerunt omnes de dicta congregatione congregati in capitulo fratrum minorum secundum formam et constitutionem dicte congregationis, quod illi de dicta congregatione, qui non fuerint ad primam visitationem solvant pro banno sive emendatione VI imperiales, et ad secundum XII imperiales, et qui non fuerint ad tertiam XVIII imperiales, nisi remanserint iusta de causa egritudinis, vel cura rei publice, vel quod fuerint absentes extra civitatem brixie. Que visitationes constitute sunt fiende ter in quolibet anno.

XLI. — *Qualiter minister vetus supplere debeat vices ministri novi* (*b*).

Item concordes fuerunt quod si minister fuerit absens ita quod non possit interesse dicte congregationi, quod minister vetus propter absen- [f. 10v] tiam dicti ministri possit et debeat exercere tamquam minister offitium ministratus loco dicti ministri, et quod loco ipsius in omnibus obediatur ut minister absens.

XLII. — *Quod banna, que auferentur, distribuantur in elymosinis* (*c*).

Concordes fuerunt omnes de dicta congregatione, congregati in capitulo fratrum minorum secundum formam et constitutionem dicte congregationis, quod de cetero omnes pene et banna que auferentur alicui dicte congregationis dari debeant et distribui in elymosinis, et denarii elymosinarum que fiunt quolibet mense ad salutem cuiuslibet de congregatione.

XLIII. — *Capitulum de veniendo ad electionem ministri et offitialium* (*d*).

Item quod quilibet teneatur venire quolibet die sancti stephani ad congregationem pro ministro eligendo, ut quilibet sit presens electioni ipsius ministri et aliorum offitialium eligendorum pro utilitate ipsius congregationis, pena VI imperialium nisi fuerit iusta causa.

XLIV. — *Capitulum de luminaria solvenda.*

[f. 11r]. Statutum et ordinatum est per fratres congregationis, quod si aliquis fratrum de dicta congregatione cessaverit solvere ministro luminariam prefate congregationis stabilitam per eosdem fratres in die secundo mensis februarii, quo celebratur festum virginis gloriose marie, debeat, teneatur et possit eam luminariam solvere dicto ministro per totum mensem februarii, pena et banno ei auferendi III imperialium.

(*a*) Cf. B. 22 et 87. — (*b*) Cf. C. XIII, 4-5. — (*c*) Cf. B 88. — (*d*) Cf. B 84.

XLV. — *Capitulum de refectionibus solvendis* (*a*).

Item siquis fratrum cessaverit solvere id, quod tenebitur pro refectionibus sive conviviis, que fiunt in festivitatibus virginis gloriose marie de mensibus martii et augusti, et beati francisci de mense octubris, eidem ministro debeat, teneatur et possit solvere illud dicto ministro ad unum mensem tunc proxime completum, quo facte [sunt] eedem refectiones sive convivia, banno et pena auferendi III imperiales. Et quo[d] mense transacto si non solverit, ut supra scriptum est, suprascriptis [f. 11v] luminarie et refectionibus sive conviviis, tunc dictus minister cum consilio sotiorum suorum possit ei inobedienti assignare unum terminum peremptorium, ut solvat sub illa pena, que ei ministro et sociis eius videbitur; et transacto dicto termino peremptorio, minister teneatur illum inobedientem canzellare, et solvere pro predictis causis recusantem, ne amplius sit de dicta congregatione. Et si minister recusaverit hoc facere teneatur solvere et dare de suo proprio *avere* congregationi id quod solvere ipse inobediens tenetur. Et suprascripta banna sive pene que exigentur de predictis et singulis, deveniant in elymosinas congregationis.

XLVI. — *Capitulum qualiter congregationes sanctorum francisci et dominici debeant semel in anno insimul convenire.*

Provisum est quod ministri congregationum beatissime sancte marie et beatissimi sancti francisci et beatissimi sancti dominici semel in anno ad minus conveniant in locis et loco et die, ut eisdem [f. 12r] ministris videbitur convenire cum suis consiliariis et aliis dictarum congregationum, quos secum habere voluerint, ad tentandum, deliberandum et examinandum utilia et necessaria predictis congregationibus in augmentum dictarum congregationum.

XLVII. — *Capitulum de observantia omnium capitulorum.*

Ordinamus quod nullus frater congregationis ad supradicta observanda obligetur ad culpam, sed tantum ad penam (*b*). — Item quod minister, qui preest et pro tempore preerit teneatur et debeat tempore cuiuslibet visitationis rogare guardianum ordinis fratrum minorum qui preest et pro tempore preerit, quod imponat omnibus fratribus dicti ordinis ..... (1) celebraturis divinum officium ac cunctis fratribus ipsius ordinis quod in tercia die veneris cuiuslibet mensis secundum bonam consuetudinem congregationis nostre (*c*) faciant et facere debeant specialem orationem pro animabus defunctorum [f. 12v] predicte nostre congregationis, et ut christus vivos ad suum conservet honorem, ac ipsos a peccatis omnibus liberet et defendat. Et deinde statutum legatur semper tempore electionis ministri.

(*a*) B. 24 et 31. — (*b*) Questo è il passo che si accorda più verbalmente colla regola di Capestrano; è insomma la sola concordanza verbale un po' estesa. C. XII 7 cioè la fine della prima redazione: In supradictis omnibus nemo obligetur ad culpam, sed ad paenam etc. Bisogna osservare però che la concordanza consiste in sole *formole*. (N. XX Caeterum in praemissis omnibus... nullum... ad mortalem culpam volumus obligari etc.). — (*c*) Cf. B. cap. 1.

(1) Lacuna nel MS.

A. — [Additiones ordinationum factae an. 1342].

1. [f. 15r] (1). In Xpti nomine. Infrascripte ordinationes facte et confirmate fuerunt iterum [per] confratres prescripte congregationis beate et gloriose virginis marie et beati confessoris francisci, congregatos more solito in capitulo fratrum minorum de Brixia pro faciendo ellectionem novi ministri dicte congregationis, die XXVI mensis decembris M·CCC.XLIJ°, indictione decima, in qua congregatione erant duo patres et plures omnium confratrum dicte congregationis, unanimes et concordes, nemine discrepante, prius inter eos factis partitis de qualibet istarum ordinationum.

2. In primis, ne fraus committi possit per legatarios nec alios, ordinando, quod quilibet minister dicte congregationis, cuius tempore aprehensa fuerit aliqua hereditas nomine ipsius congregationis teneatur et debeat scribere seu scribi facere in registro congregationis prefate testum testationis et subsequenter sine aliquo intervallo omnia bona immobilia ipsius testationis, et si contigerit facere aliquam solutionem alicui legatario, facta ipsa solutione, minister, cuius tempore facta fuerit ipsa solutio, teneatur et debeat scribere seu scribi facere penes capitulum continens: *illud tale legatum solutum est infrascripto tali legatario,* apponendo nomen legatarii de infrascripta quantitate pecunie tempore talis ministri ipsius congregationis, scribendo et apponendo nomen ipsius ministri, ut continetur in charta facta per talem notarium die tali et millesimo tali, nominando et scribendo nomen dicti notarii et diem et millesimum. Et si contingeret quod venderetur aliquod de dictis [f. 15v] bonis immobilibus, tunc scribatur penes rem venditam scriptam et contentam in dicto registro: *vendita est ista res,* specificando rem venditam tali, nominando ipsum emptorem, precio tali, tempore talis ministri, ut continetur in charta rogata per talem notarium die tali et millesimo tali, nominando et specificando omnia suprascripta; et si fuerit factum aliquod legatum alicui per testatorem, cui legato ipse testator fecerit substitutionem, tunc in eo casu dictus minister teneatur et debeat scribere seu scribi facere penes ipsum legatum: *ista res habet substitutionem,* nominando rem legatam et in margine ipsius registri, ut publice videri possit, et spirata ipsa substitutione fiat executio de re legata secundum voluntatem testatoris, scribendo ut supra.

3. Et quod quotiescumque quilibet minister suam reddet rationem de receptis et expensis per eum factis, rationatores constituendi ad ipsas rationes fiendas, ex debito iuramenti teneantur et debeant inter alia videre et examinare super dicto registro si fiat mencio quando fuerit vendita aliqua res, tempore ipsius ministri, cuius ratio tunc fieret, examinando si quantitas pecunie, habita de ipsa re vendita, est descripta in receptis ipsius ministri.

4. Item quod quilibet minister, cuius tempore facta fuerit solutio alicui legatario, teneatur et debeat facere unum instrumentum solutionis facte ipsi legatario in forma publica, et ipsum ponere in uno sacco, deputando ad ipsas solutiones fiendas de cetero, qui saccus perpetuo conservetur in ipsa et per ipsam congregationem, ne iterum legatarius nec ipsorum heredes nec successores legata sic facta petere possint.

---

(1) Le seguenti ordinazioni sono scritte in piccolo carattere notarile del sec. XIV.

5. [f. 16r]. Item quod minister, cuius tempore permissum fuerit possidere aliquem legatarium, rem sic legatam substitutionem habentem, teneatur et debeat procurare et facere, quod legatarius confiteatur se possidere nomine ipsius congregationis rem sic legatam, de qua confessione appareat per instrumentum publicum, quod reponatur in dicto sacho et conservetur, ne aliquis succedens ipsi legatario pretendat in graciam possessionis dicti legatarii. Et si fuerit domus legata, ipse minister, si obtinere poterit et si permissum fuerit, faciat depingere extra ipsam domum ymaginem beati francisci et super sium (1) seu ipsam ymaginem verba hec: Ista domus est congregationis sancti francisci propter mortem talis legatarii, nominando nomen ipsius legatarii.

6. Item quod quilibet minister tempore sui officii teneatur et debeat diligenter inquirere et scire, si legata habencia substitutionem spiraverint, et si invenerit aliqua eorum spirasse executionem faciat, secundum voluntatem et formam testamenti testationis.

7. Item quod minister dicte congregationis, nec aliquis tenens locum eius, de cetero non possit nec debeat dare, concedere, dimittere, nec relaxare, expendere nec distribuere alicui persone, comuni, collegio vel universitati, cuiuscumque conditionis et status existat, aliquid de bonis dicte congregationis, nec de bonis legatis dicte congregationi seu domui misericordie, nec de ipsis bonis nec aliquo eorum, nec occasione ipsorum bonorum, nec alicuius eorum facere, nec si factum fuerit non consentire, nec [f. 16v] permittere aliquem sindicum, nec per aliquem sindicum dicte congregationis, aliquod compromissum nec aliquam compositionem, nec aliquod pactum, finem, remissionem et satisfactionem nec cessionem, nec aliquem contractum, nec aliquid aliud propter quod in aliquo auferatur, vel diminuatur, vel perdatur aliquid de bonis dicte congregationis, et de bonis legatis ipsi congregationi, vel propter quod in aliquo derogetur iuri dicte congregationis, vel propter quod dicte congregationi fiat aliquod preiudicium cum aliqua persona, comuni, collegio vel universitate cuiuscumque condictionis vel status existat, nisi prius de predictis et super predictis et quolibet predictorum ipse minister seu eius locum tenens proposuerit et consilium petierit in consilio et consiliariis dicte congregationis, in quo sint ad minus XII ex dictis consiliariis, et non prius in dicto consilio saltem due partes consiliariorum ibi existentium fuerint firmi, voluntarii et concordes de predictis et quolibet predictorum super quibus proposuerit et petierit consilium.

8. Et quicquid factum fuerit contra predictam formam non valeat nec teneat ipso iure, nec videatur nec approbetur ministro in ratione sui ministerii, et consiliarii et rationatores dicte congregationis qui erunt ad videndam, examinandam et faciendam rationem receptorum et expensorum ministri dicte congregationis propter exitum sui officii, teneantur et debeant super eorum animas et conscientias diligenter videre et examinare si quid datum, expeditum vel factum fuerit contra predictam formam, quod si viderint et invenerint, non possint nec debeant illud ponere, nec computare, nec aprobare in ratione dicti ministri, et illud teneantur et debeant dicere et manifestare in dicta congregatione, prima vice qua se congregaverit postquam invenerint, et [f. 17r] cognoverint illud tale datum, expenditum vel factum contra formam predictam, et ille minister seu eius locum tenens, qui hoc fecerit et commiserit, seu

(1) *Sium* o *colum* = *sommità* (cfr. *Ducange* Glossarium).

fieri et committi permiserit et consenserit, teneatur et debeat illud corrigere et emendare, ac supplere, refficere et satisfacere ad suum posse, et ad voluntatem et beneplacitum dicte congregationis et confratrum eiusdem, alioquin super se et super eius animam existat, de quo rationem reddat omnium cognitorum; salvo quod in predictis non intelgantur elimosine et distributiones, que fuerint per dictam congregationem, et scilicet quod ordinatum fuerit in dicta congregatione vel in consilio ipsius congregationis pauperibus, et egenis, et personis, et sponsabus pauperibus vigonzosis, de denariis, vel de pannis, vel blado, vel aliis rebus, quas facere possit quilibet minister usque ad valorem et summam XL sold. planet pro quolibet, prius habita fide et conscientia et testimonio ab aliquo fratrum congregationis, vel ab aliqua alia ydonea persona et fide digna, vel si sciverit a se, de necessitate et paupertate persone, cui fieri debuerit elimosina et distributio, si ascenderit a quinque sol. planet supra dicto modo quelibet elimosina et distributio sic fienda non ascendat ultra summam et valorem XL sol. planet, et salvo quod in predictis non intelligantur expense que fuerint de denariis, que expenduntur de voluntate et scientia consiliariorum dicte congregationis in litibus et questionibus et aliis utilibus et necessariis dicte congregationis et domus misericordie, et pro ipsis congregatione et domo misericordie.

9. Item eodem modo minister dicte congregationis nec aliquis tenens [f. 17v] locum eius de cetero non possit nec debeat vendere nec alienare, nec vendi, nec alienari facere, nec consentire, nec permittere sindico dicte congregationis aliquam rem de bonis dicte congregationis vel de bonis legatis dicte congregationi, que sit valoris a quinque libris planet supra, nisi prius predixerit in dicta congregatione saltem per tres vices, quibus congregata fuerit more solito de dicta re vendenda, et in quo precio posita sit si preciata fuerit, et hoc nec prima vel secunda vice, qua dictam rem predixerit, deliberaretur et firmaretur in dicta congregatione, quam dicta res dari et vendi deberet pro eo precio in quo posita esset, vel non aliter de ipsa re firmatum esset, deberet fieri in dicta congregatione vel in consilio dicte congregationis.

10. Item quod aliquis confrater dicte congregationis per se nec per interpositam personam de cetero non audeat nec presumat litigare cum dicta congregatione, nec contra ipsam congregationem aliquam questionem nec litem movere, nec advocare, nec procurare, nec advocationem nec procurationem facere pro aliquo litigante cum ipsa congregatione, nec aliqua iura cedere nec acquirere contra ipsam congregationem pro aliqua hereditate, seu pro aliquibus bonis legatis ipsi congregationi, nec contra ipsam hereditatem vel bona, nec in ipsis bonis et hereditate, nec aliqua alia dicta, nec aliquod aliud facere nec committere contra dictam congregationem, propter quod ipsa congregatio paciatur aliquod dispendium seu dampnum, vel propter quod aliqualiter impediatur vel differatur quin voluntas testatoris et legatarii, et legata per eum dicte congregationi integraliter compleantur et executioni mandentur. Si vero [f. 18r] aliquis confrater dicte congregationis voluerit dicere se aliquod ius habere, vel habendum aliquod petere in aliqua hereditate seu in aliquibus bonis legatis dicte congregationi vel domui misericordie, tunc debeat hoc notificare ministro dicte congregationis seu eius locum tenenti, si minister abesset, et sic declarare et ostendere ius suum, et de hoc teneatur et debeat ipse et sindicus dicte congregationis constitutus ad hoc se compromittere in ipsum ministrum seu eius locum tenentem,

et in unum vel duos de dicta congregatione eligendos per ipsum ministrum seu eius locum tenentem, et in totidem eligendos per ipsum petentem, seu in unum vel plures alios, de quibus ipse minister vel eius locum tenens et ipse petens fuerint concordes, tanquam in arbitros et arbitratores et comunes amicos, qui possint et valeant ac teneantur ac debeant super hoc cognoscere, laudare et arbitrari et deffinire inter ipsas partes dę iure et de facto, per se vel cum consilio sapientis, si eis videbitur, et sicut eis videbitur fore iustum et equum et consonum rationi pro utraque parte, super eorum animas et consciencias. Si vero aliquis confrater dicte congregationis fecerit et facere presumpserit contra predictam formam, et aliter quam secundum est [expositum], eximatur et cancelletur de dicta congregatione et de libris ipsius congregationis, in qua amplius non possit nec debeat restitui nec admitti, nisi prius reffecerit in duplum omne dampnum, et dampnis, que dicta congregatio inde habuerit et passa fuerit.

11. Item quod dictum est in prescriptis novis ordinationibus de ministro dicte congregationis et de dicta congregatione, et de hereditate et bonis sic legatis, idem intelligatur ac servetur et fiat in omnibus et per omnia de ministro domus misericordie et de ipsa domo, et de hereditate et bonis legatis dicte domui, que est supposita dicte congregationi et sub eius cura et protectione.

12. [f. 18 v] Item quod quilibet minister dicte congregationis teneatur et debeat tempore dicti sui officii facere legere et publicare clare et distincte dictas novas ordinationes et quamlibet earum in dicta congregatione, et maxime in die festi sancti stephani, XXVI mensis decembris quolibet anno, quo die fit ellectio novi ministri dicte congregationis, ad hoc ut ipse novus minister et quilibet de dicta congregatione de eis habeant noticiam pleniorem nec causam habeant ignorandi.

B. — [Aliae additiones ordinationum factae an. 1343].

1. (1) Item infrascripte ordinationes facte et firmate fuerunt inter confratres et per confratres dicte congregationis congregatos more solito in suprascripto capitulo pro faciendo ellectionem novi ministri dicte congregationis et domus misericordie, die XXVI mensis decembris, in die festi sancti stephani, currente anno domini a nativitate ipsius M.° CCC.° XLIII°, indictione XI^{a}, in qua quidem congregatione erant due partes et plures omnium confratrum dicte congregationis, qui omnes concordes de omnibus et singulis infrascriptis, factis partitis inter eos de levando et sedendo, more solito.

2. In primis quod quilibet qui de cetero fuerit minister dicte congregationis teneatur et debeat saltem quolibet mense dicti sui officii, ire personaliter ad domum misericordie, ordinatam et constructam per olim bone memorie fratrem Gotinum, et subiectam et suppositam dicte congregationi et in eius cura et protectione, ad visitandum servitores [f. 19r] et infirmos dicte domus, et ad videndum et examinandum regimen et gubernationem ipsius domus, et que sint fienda et procuranda et utilia et necessaria pro dicta domo, et pro usu et alimento infirmorum et pauperum dicte domus, et servitorum eiusdem, et ea curare et facere toto suo posse, et super eis, si opus fuerit, proponere in consilio

(1) Le seguenti ordinazioni sono scritte in altro carattere notarile del sec. XIV.

dicte congregationis, et secundum voluntatem dicti consilii facere et complere et exequtioni mandare.

3. Item quod quolibet anno in dicto die festi sancti stephani, XXVI mensis decembris, eligatur per confratres dicte congregationis unus minister dicte domus misericordie, per illum modum et formam pro quibus eligitur minister dicte congregationis, qui minister debeat preesse negociis dicte domus misericordie, et procurare negocia, utilitates et commoda ipsius domus,, et infirmorum et servitorum ipsius, et quod teneatur et debeat scire, videre et examinare introitus, et exitus, et recepta, et expensas dicte domus, et ea omnia et singula ordinate et distincte in scriptis reducere, ac bonam et debitam rationem ostendere facere ministro et consiliariis dicte congregationis, tempore quo fiet similiter ratio ministri dicte congregationis.

4. Item quod quilibet, qui hinc retro fuerit minister dicte congregationis vel dicte domus misericordie, et illi qui nunc fuerunt ministri de anno nunc finito, et illi qui modo et de cetero eligentur et exercebunt alterum dictorum ministeriorum, debeant cessare [f. 19v] ab illo et eodem officio ministerii, quod exercuerunt, per quatuor annos completos, et ellectio que fieret contra suprascriptam formam, non valeat nec teneat, et penitus sit cassa et irrita; et quod quolibet anno, tempore dictarum ellectionum debeant legi et nominari illi, qui cessare debent et qui non possunt elligi ad dicta officia seu ad alterum eorum.

5. Item quod ille XIII some frumenti ficti, quod olim reddebant quondam fratri Bonaventure de herbuscho, cuius fuit et est heres dicta congregatio, videlizet IIII some per filios et heredes ser iacobi et stephani de nichesis, et III some per martinum et iohannem fratres et filios quondam bonazoli civolini de la costa, sive per filios et heredes eorum qui dicuntur illi de cerethanis, et sex some per petrum, qui dicitur contus stancharii, et per filios et heredes quondam iacobi, qui dicebatur cerutus stancharii, omnes de herbusco, sive pecie terre et res et omnia et pro parte de quibus reddi consueverant dicta ficta, non vendantur, nec alienentur ullo modo, sed perpetuo permaneant in dicta congregatione quantum ad dominium et pro parte, et quantum ad usum et usufructum sint deputate suprascripte domui misericordie et pauperibus et infirmis existentibus ibi, et quod de cetero ibi erunt, quousque aliud provideretur super predictis per confratres et consiliarios dicte congregationis; et quod quilibet qui erit de cetero minister dicte domus misericordie teneatur et debeat pro dicto beneficio facere celebrare quolibet anno tempore sui officii, expensis dicte domus, per fratres et in ecclesia sancti francisci de brixia, XL missas in remedio anime quondam dicti fratris bonaventure et successive in remedio animarum confratrum dicte congregationis mortuorum et vivorum, presencium et futurorum, et, ut dictum est de predictis somis frumenti, sit et esse debeat de domo que fuit quondam dicti fratris Bonaventure, iacenti in burgo de herbusco.

[f. 20r] *Volve istam chartam et tres sequentes et invenies unam ordinationem dicte congregationis, que debet legi cum antescriptis.*

C. — [Litterae recommendationis Congregationis Brixianae].

Littera recommendationis omnium fratrum de congregatione, quam habuerunt a ministro generali in capitulo generali celebrato apud lugdunum.

1. Dilectis in Xpto ministro et fratribus congregationis beate virginis in civitate brixiensi, frater bonaventura ordinis fratrum minorum

generalis minister et servus salutem et pacem dei que exuberat omnem sensum. Divini muneris donativa sacre comunionis participatione proficiunt, et eo copiosius inter possessorum mentes exuberant, quo liberalius in proximorum subsidia diffunduntur. Hinc est quod vestram devotionem attendentes, quam ob dei reverentiam ad nostrum ordinem geritis, etiam benefitiorum inditiis comprobatam dum fratrum nostrorum inopiam sub obtenta praemiorum celestium per continuae pietatis subsidia misericorditer relevatis, Xptoque non immerito acceptabile fore piis ipsam benefitiorum vicissitudinibus compensari, vos ad universa et singula nostre religio- [f. 20v] nis suffragia tam in morte recipio, quam in vita, plenam vobis participationem bonorum omnium, tenore presentium, concedendo, que per fratres nostros, ubicumque terrarum morentur, operari dignabitur clementia salvatoris.

Data Lugduni, anno domini M°CC°LIJ° (1), tempore generalis capituli.

2. Dilectis in Xpto fratribus et dominabus in congregatione beati francisci degentibus, universis, frater Clemens (2) fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini generalis indignus salutem in domino sempiternam. Cum vestra congregatio ad honorem virginis gloriose sit ad mulctarum animarum salutem salubriter instituta, et ad eternam vitam videamus vos, oculata fide, totis precordiorum modulis, signo multiplici anelare, iustum et rationabile est ut tanta devotio constructa in templo dei, multorum servorum Xpti orationibus [f. 21 r] fulciatur, et sic de bono in melius, deo propitio, cotidie in sancta ecclesia valeat virtutibus augmentari. Hinc est quod pro pie devotionis affectu, quam ad ordinem nostrum habetis, vos omnes singulos et singulas in congregatione beati francisci existentes omnium missarum, vigiliarum, orationum, necnon aliorum bonorum que gratia salvatoris in nostro ordine sint et in posterum fient, tam in vita quam in morte, facimus participes et consortes. Et qui deinceps gratia sancti spiritus inspirati eamdem congregationem introiverint, et in ea ad laudem beate marie esse voluerint, et nichilominus predicte congregationi dantes consilium et iuvamen, eodem suffragio ac benefitio spirituali volumus congaudere. Addentes insuper, ut cum obitus uniuscuiusque vestrum nostro generali capitulo fuerit nuntiatus, id pro vobis devote fiet quod pro nostris fratribus in comuni fieri consuevit. In cuius rei signum sigillum nostrum duximus apponendum. Anno domini [f. 21 v] nostri millesimo ducentesimo septuagesimo quarto.

(1) La data 1252 è certamente sbagliata: il copista avrà voluto scrivere 1274, ma ha dimenticato nella penna non solamente i due X dopo il L, ma anche i due I alla fine del millesimo. Il capitolo generale di Lione ha avuto luogo nel 1274. In quel capitolo « Fr. Hieronymus... [ab Asculo] ad generale regimen ordinis, nondum a legatione [ad Graecos] reversus, concorditer est electus ». *Chron. 24 Gen.* ap. *An. Franc.* III (1897.) 358. I Greci arrivarono a Lione il 24 di giugno 1274.: Cf. Mansi, *Collectio Conciliorum* XXIV, 64; Labbe, *Concil.* XI, I, 957. Potthast, *Regesta Pont. Rom.* p. 1680. (20852a). Questa lettera è stata pubblicata da questo stesso codice in *S. Bonaventurae Opera Omnia X.* Ad Claras Aq. 1902 p. 65 nota 3. (dove leggasi *Brixiae* invece di *Cremonae*). — Gli editori aggiungono questa nota: « Subiungimus hic [in nota] quandam epistolam S. Bonaventurae adscriptam, quam non posuimus neque in editione nostra, neque hic in textu, cum eius authentia non videatur omnino certa, ut liquet ex subscripto anno 1274 etc. ». — La 2ª lettera però nella stessa collezione, essendo anche essa del 1274, parla in favore dell'autentia di quella di S. Bonaventura.

(2) Il B. Clemente da S. Elpidio o di Osimo, generale degli Agostiniani, morto in Orvieto il giorno 8 aprile 1291; cfr. *Acta S. S.* aprile I. 804-805.

Ich nannte diese Schrift ein Meisterwerk von Pragmatismus. Die Inhaltsangabe wird dies des näheren zeigen. Die Schrift ist folgendermassen disponirt: Einleitung, Fragestellung, Argumenta contra et pro, nach scholastischer Methode, Lösung und Ansicht des Autors in 13 Konklusionen und Schluss. Einleitung und Schluss verzeichnen Veranlassung und Situation in derselben Weise, als ich vorhin dieselbe angegeben habe. Die Gesandten der Pariser Universität kommen 1395 nach England: universitas videlicet Parisiensis... poterit conqueri domino nostro regi Anglie et Franciae Rycardo, sibi dicendo: Dic sorori mee, universitati scilicet Oxoniensi... ut me adiuvet et mecum laboret. Die Oxforder Universität scheint teilnahmslos um das, durch das Papstschisma angerichtete Unheil der Kirche sich nicht zu kümmern; sie rührt sich nicht, während die Pariser Universität sich abmüht, Mittel und Wege der Union zu finden; sie scheint sogar aus nationaler Abneigung über das Missgeschick der Franzosen mit ihrem Papst sich zu freuen und zu sagen: « Sehet selbst zu, wie ihr aus der Sackgasse herauskommt! ». Der König Richard sieht diese Haltung der Universität von Oxford ungern. Auch dem Oxforder Magister Nikolaus Fakenhan gefällt diese schroffe Ablehnung nicht. Der König wünscht, dass er seine Meinung sage. Der Minorit tut es. Reverendi magistri et domini, rührt euch! Immerhin sei es Ehrensache für die Universität zu Oxford, der wenn auch schismatischen Pariser Universität zu helfen ad Christi Ecclesie unionem et pacis reformacionem. Hört mich an! Entsprechend der Geistesverfassung der Engländer gegenüber den Franzosen tritt der Magister sehr bescheiden und klug auf, nicht mit fixen Aufstellungen und Forderungen, um nicht ihre Empfindsamkeit zu reizen und die sofortige Ablehnung zu provozieren, sondern kühl und mit indifferenter Besprechung der beregten Fragen, non tanquam diffinitor seu finalis determinator, sed pocius velut familiaris concionator, loquens in persona plurium, quandoque videlicet per modum persone adherentis, quandoque per modum adversantis, et quandoque per modum indifferentis, unter Wahrung und Anerkennuag des urbanistischen Standpunktes, um nicht in den Verdacht eines geheimen Anhängers und Freundes der Franzosen und ihres Papstes zu kommen.

Nach dieser Vorbereitung stellt Fakenham nicht minder klug das Thema möglichst allgemein: Was ist mit dem Schisma? Sollen

wir ihm teilnahmlos und tatenlos gegenüberstehen? Gibt es ein vernünftiges Hilfsmittel? Utrum Christi ecclesia per presens schisma multipliciter desolata per viam aliquam racionabilem ad unionem pristinam esse poterit reformata? Nach damals gebräuchlicher Methode lässt Fakenham zuerst die Gegner zum Worte kommen, loquens in persona adversantis: wozu sollen wir uns den Kopf zerbrechen wegen eines Hilfsmittels; denn der Zustand der Kirche is ja noch nicht so zum Verzweifeln schlecht; die am meisten gerühmte Zession wird vom Gegenpapste verworfen; die Sache ist bei einem Papstschisma sehr verwickelt; endlich kann das Schisma nicht so ohne weiteres weggeräumt werden, ohne dass die schuldigen, die Wähler des Gegenpapstes die verdiente Strafe erhalten. Das ist der Standpunkt der Engländer! Zu gunsten der These aber wird geltend gemacht, dass die Kirche Christi stark genug sei, sich selbst zu helfen, wenn eine Unordnung in ihr entstanden ist.

Nun geht der Verfasser daran, seine eigene Meinung zur Frage vorzulegen, in 14 Konklusionen. In der ersten Konklusion konstatiert er, dass es jedenfals eine unerträgliche Unordnung bedeute, wenn in der Kirche zugleich zwei den Papat für sich beanspruchen, wenn auch einer von ihnen unrechtmässig und unberechtigt sein muss. Dies hält Fakenhan aufrecht im Kampfe der widerstreitenden Argumente. Die zweite Konklusion konstatiert, dass dieses gegenwärtige Papstschisma das gefährlichste von allen neunzehn Schismen sei, welche da gewesen sind, wegen seiner eigentümlichen Beschaffenheit; denn beide Teile berufen sich scheinbar mit gutem Rechte auf den Bericht der Kardinäle, daher die feste Ueberzeugung beider Teile und die so lange Dauer der Spaltung. Aus diesen Prämissen konnte die dritte Konklusion konsequent folgen: es muss eine zweckmäzige Abhilfe gefunden werden. Die jetzt vorgeschlagenen zwei Mittel: veritatis occulte declaracio und apostolice dignitatis renunciacio, haben unstreitig vieles für sich.

Das erstere war die Idee des Papstes in Avignon, Benedikts XIII; das zweite wurde von Frankreich ausgedacht, um mit heiler Haut aus der Klemme zu kommen. Nikolaus will ein indifferenter Beurteiler sein, darum geht er auch in der vierten Konklusion in das Denken der Engländer ein. Da Bonifaz IX. der rechtmässige Papst ist, muss er zu seinem Rechte kommen; der Gegenpapst soll einfach mit Gewalt von den Fürsten, welche die Beschützer der Kircke sind, entfernt werden: so hat man in den Schismen früherer Zeiten verfahren. Man müsse Bonifaz IX. schon deshalb in papatu belassen, weil er sich bereit erklärt, um des Friedens willen abzudanken, während der Gegenpapst um jeden Preis bleiben will. Daraus folgt die fünfte Konklusion, dass vor der Zession nach einem anderen Mittel gesucht werden

müsse, um nicht ohne notwendigen Grund Bonifaz IX. um sein Recht zu bringen.

Das gibt also Fakenham zu. Aber was ist, wenn diese Notwendigkeit herantritt? So geht nun Fakenhan zur Besprechung der Zession über. Zuerst in der sechsten Konklusion die rechtliche Zulässigkeit der Zession. In der siebenten handelt er von der moralischen Pflicht des wahren Papstes zu verzichten; in der achten von der zwangsweisen Entfernung der beiden Päpste auf Grund des Gebotes der Vernunft (Epikie). Gehst du nicht freiwillig, brauch ich Gewalt. Diese zwei Thesen sind die Hauptsache für den Verfasser und seine Aufgabe; daher sucht er sie in ausführlichstem Beweisverfahren zu erhärten. Wie ist aber die Remedur zu exequieren? Davon in der zehnten und elften Konklusion: Rechtlich kommt dies zu in erster Linie der Kirche selbst, die sich zu diesem Zwecke zu einem unter den obwaltenden Umständen mehr empfehlenswerten Partikularkonzil oder auch zu einem Generalkonzil versammeln wird; erst in zweiter Linie aber ist das brachium seculare anzurufen. Fakenham rückt dem Ziele immer näher; seine vom König übernommene Aufgabe war ja, die Engländer für die Franzosen milder und freundlicher zu stimmen. Daher stellte er die zwölfte Konklusion auf, dass vor allem ein Zusammengehen des Königs von England und des « Herrn Karl des rex gallicus » sich empfehle. Wie er die nationale Empfindlichkeit schont! Den Engländern ist der König von England der berechtigte « König von Frankreich »; die in Frankreich regierenden Fürsten sind bloss gallische Könige. Allen rechtlichen Bedenken über die Herbeirufung der weltlichen Fürsten setzt er die dreizehnte Konklusion entgegen: das Gesetz der Notwendigkeit der Rettung der Kirche. Mit diesen 13 Konklusionen hätte Fakenham die ersten drei gegensätzlichen Argumente gegen das Hauptthema gelöst; das vierte Argument von der Notwendigkeit der Bestrafung der schuldigen Kardinäle wird in der vierzehnten und letzten Konklusion zugestanden. Ein Prügelknabe musste ja sein. Fakenham schliesst mit einem warmen Appell an die Universität von Oxford, aus der Teilnahmslosigkeit herauszutreten und eifrig an den Unionsbestrebungen sich zu beteiligen. Was war der Erfolg der langen Arbeit des Minoritenprovinzials? König Richard bekam zwar die Hand der Tochter des « Rex gallicus ». Aber die Stimmung in England erfuhr deswegen keinen Wandel. Wir wissen in Gegenteil, dass die schärfere Tonart, die Abneigung gegen die Franzosen, die Oberhand behielt. Derartige litterarische Produkte, welche diese Stimmung wiedergeben, sind vorhanden (1). So blieb es

(1) Bliemetzrieder, Fr. Das Generalkonzil im grossen abendländischen Schisma. Paderborn 1904. p. 137 seq.

in der Hauptsache bis zum Pisaner Konzil. Richard II. stürzte unterdessen selbst vom englischen Throne. Die Gedanken des Minoritenprovinzials Nikolaus Fakenham akzeptierten die Engländer erst mit der Beschickung des Konzils von Pisa im Jahre 1409 (1).

Determinacio fratris Nicolai Fakenheyn Fratrum Minorum Anglie provincialis, pro Urbano seu Bonifacio (a).

Reverendi magistri et domini. Cum ex lege nature pariter et scripturis manifeste poterit elici, quod filia suam matrem erumpnis et calumpnis videns desolatam, non condolens nec compaciens sue matri, ingrata merito debet reputari, dicente scriptura: *Generatio que non benedicit matri sue non est lota a sordibus,* Prov. XXX (2), sed quia sacrosancta Romana ecclesia mater nostra ac Christi sponsa iam plena angustiis et calamitatibus innumeris (*b*) existit molestata, presertim quia cum Thamar, filia David, a fratre suo, dudum cardinali et antipapa, videlicet Ruperto Gypponensi (*c*) (3), erat violenter oppressa ac simulata veritate fraudulenter et dolose violata, cum Thamar (4) insuper sedente in bivio dupliciter erat partu meroris fecundata et cum geminis duobus, scilicet filiis contencionis et discordie, onerose gravidata, cum Rebecca (5) insuper enixa est filios rixantes ventrem matris Ecclesie per eorum pugnam secantes, ut iam sit quasi totaliter dilacerata, et tandem cum Rachele (6) filios suos lamentabiliter plorans inconsolabiliter quasi existit contristata, nec ex omnibus caris eius est, qui consoletur eam, nisi unica olim filia sua, universitas videlicet Parysien[sis], que iam quasi per biennium sollerter et efficaciter laboravit, studiose querendo et investigando, ad inveniendum medicinas salubres sive (*d*) vias ydoneas, per quas contra morbum pestiferum scismatis remedium salutiferum poterit adhiberi, et quia in predictis laboribus illa sola adhuc portavit pondus diei et estus, racionabiliter, ut videtur, de sorore sua, scilicet universitate ista et matre nostra, poterit conqueri domino nostro Regi Anglie et Francie Ryc[ardo], (*e*) sibi dicendo: Dic sorori mee, universitati scilicet Oxonie, filie matris Ecclesie, ut me adiuvet et mecum laboret, quia per adiutorium sororis mee, universitatis Oxonie, de onere a domino Karolo rege Gallico michi imposito ero paululum alleviata. Ne igitur in no-

(*a*) Determinacio-Bonifacio] *add alia manus.* — Sigla codicum: *Pa* = Cod. Pal. Vien 5067. — *V*1 = Cod. lat. Vat. 5608. — *V*2 = Cod. lat. Vat. 4000. — (*b*) innumeris] *add V*1 *V*2. — (*c*) Gypponensi] Gibbonensi *V*1 Gobonen[si] *V*2. — (*d*) sive] *Pa correct* s[cilicet] *V*1 *V*2. — (*e*) Rycardo] Ricardo *V*1 Ricio! *V*2.

(1) L. c. 273 seqq.

(2) v. 11. 12.

(3) d. 1. Roberto Gebenensi = Cardinal Robertus de Geneva (i. e. Clemens VII). Historiam Thamar cf. II. Reg. 13.

(4) Cf. I Par. 2, 4.

(5) Gen. 25, 21.

(6) Ierem. 31, 15; Math. 2, 18.

strum opprobrium et vituperium nobis dicatur id II. Regum XIX(1): *Usquequo siletis? Loquimini ad maiores natu,* videtur nobis honorificum, ut cum olim sorore nostra, universitate scilicet Parysien[si], fideliter laboremus, scilicet ad Christi ecclesie unionem et pacis reformacionem.

Sed quia verba sine effectu videntur invalida, ego igitur filius universitatis istius et frater vester indignus, ad gradum magisterii, licet indigne, promotus, propter zelum religionis Christi et occasione (*a*) Dei ac iussione domini nostri regis materias (*b*) aliquas ad propositum pertinentes per modum questionis propono movere (*c*) non tamquam diffinitor seu finalis determinator, sed pocius velut familiaris concionator, loquens in persona plurium, quandoque videlicet per modum adherentis, quandoque per modum adversantis, et quandoque per modum persone indifferentis, protestando in hiis scriptis quod qualitercumque verba sonent, pro vel contra, quod illa solummodo profero per modum concionatoris et non aliter; insuper protestor in hiis scriptis quod neque in hoc actu neque in aliquo alio intendo aliqua asserere seu assertive dicere contra Ecclesiam Katholicam aut bonos mores aut quod preiudiciale foret domino nostro pape Bonifacio seu sedi apostolice, et si, quod absit, aliqua talia dixero, submitto me correccioni domini cancelarii istius universitatis matris nostre et aliorum, ad quos pertinet errantes ad viam veritatis reducere.

Unde pro materia tangente Ecclesie desolate reformacionem, quero istam questionem: Utrum Christi ecclesia, per presens scisma multipliciter desolate, per viam aliquam racionabilem ad unionem pristinam esse poterit reformata.

Pro parte negativa istius questionis arguitur primo sic. Christi ecclesia non est modo multipliciter desolata; ergo suppositum questionis falsum. Antecedens probatur sic. Tota desolacio Ecclesie per presens scisma desolate, oritur ex occasione duorum summorum pontificum simul et semel in Ecclesia presidencium, quorum quilibet dicit se ipsum esse unum caput Ecclesie. Sed tales simul et semel esse in Ecclesia non arguit desolacionem, cum frequenter tam in antiqua lege quam nova huiusmodi summi pontifices simul et semel in ecclesia Dei fuerunt sine desolacione aliqua, sed pocius cum parte bona. Ergo Dei ecclesia non debet per hoc censeri desolata. Ergo suppositum questionis falsum.

Secundo (*d*) pro parte negativa quesiti arguitur sic. Nulla est via per quam Christi ecclesia ad unionem pristinam poterit reformari. Ergo quesitum falsum. Antecedens probatur sic. Si aliqua foret via per quam Christi ecclesia ad unionem pristinam possit reformari, maxime esset cessio utriusque spontanea vel coacta. Sed antipapa cedere non vult, ut patet in bulla sua que sic incipit: *Benedictus* et

(*a*) occasione] *Pa V*2 ecclesie *V*1. — (*b*) propono movere] *V*1 propono *om Pa V*2. — (*c*) movere] nove! *Pa*. — (*d*) secundo] *V*2, *om Pa V*1.

(1) v. 10, 11.

cetera. *Cum dudum* (1), nec cogi potest cedere nisi propter heresim. Ergo cum non sit alia via, sequitur, oppositum questionis.

Tertio principaliter sic. Si Christi ecclesia per presens scisma desolata ad pristinam unionem posset reformari, tunc hoc foret vel per papam vel per suum superiorem vel eo inferiorem. Non primo modo; quia talem non habet, ut patet extra de elec. *Licet*; nec ab equali, nec ab inferiori, quia non habet imperium par in parem, nec inferior in suum superiorem: ergo per nullum poterit ecclesia Christi per presens scisma desolata ad unionem pristinam esse reformata.

Quarto et ultimo sic. Non potest fieri debita reformacio ecclesie Christi ad pristinam unionem, nisi illorum fiat iusta correccio, qui talem Ecclesie intulerunt desolacionem; cum igitur anticardinales prefatam desolacionem Ecclesie intulerunt (*a*), qui durante scismate corrigi nequeunt, ergo non potest fieri reformacio Ecclesie Christi per presens scisma desolate ad pristinam unionem. Ergo questio falsa.

Pro affirmativa parte questionis primo sic arguitur (*b*). In ecclesia Christi sponsa non est aliquid tam deordinatum, quin contra id contingit inveniri remedium. Sed ecclesia Christi sponsa per presens est multipliciter deordinata. Cum igitur reformacio sit via ad remedium contra ipsius deordinacionem, sequitur quod Christi ecclesia, multipliciter desolata, per viam aliquam racionabilem ad unionem pristinam esse poterit reformata.

Unde pro responsione ad istud dubium et eius argumenta pono aliquas conclusiones, quarum prima hec est (*c*).

Repugnat recto regimini sancte matris Ecclesie, quod plures supremi forent pontifices simul et semel equalis preeminencie.

Probatur conclusio sic. Tota communitas fidelium uni capiti et uni iudici supremo debet esse subiecta, quantum ad omnes causas salutem animarum tangentes, quia aliter non esset bene ordinata, eo quod vel haberet plura capita vel omnino capite careret; quorum utrumque foret monstruosum. Sed si in regimine sancte matris Ecclesie duo simul forent supremi pontifices equalis preeminencie, tunc communitas in spiritualibus subiecta foret equaliter duobus capitibus: quod tamen est monstruosum et regimini (*d*) Ecclesie repugnans. Ergo, et cetera.

Confirmatur ista racio sic. Si duo tales essent in Dei ecclesia eidem precipientes contradictoria, talis esset obligatus ad impossibilia. Sed hoc repugnat regimini sancte matris Ecclesie. Ergo conclusio vera. Preterea. Mathei VI.: *Nemo potest duobus dominis servire* (2), hoc est, quando sunt disparati et non subalternatim positi. Sed qui sunt eiusdem preeminencie, sunt disparati et non subalternatim positi. Ergo repugnat regimini sancte matris Ecclesie quod duo sunt supremi pontifices simul et semel eiusdem preeminencie. Preterea. Regimen militantis Ecclesie figuratum est per regimen legis antique.

(*a*) intulerunt] *Pa V*1, *in* || ! *V*2. — (*b*) arguitur] *add manus corrigens.* — (*c*) hec est] *Pa* est hec *V*1 *V*2. — (*d*) regimini] regimine bis *ms.*

(1) Editur ap.: *Spicilegium L. d'Acherii*, ed. de la Barre, I, Parisiis 1723, 790.
(2) *V*. 24.

Sed repugnans erat regimini (*a*) legis antique quod duo fuissent simul supremi pontifices eiusdem preeminencie, ut patet Levit. VIII., ubi habetur quod Deus ordinavit, ut unus solus pontifex summus foret institutus, ut patet de Aron et eius successoribus. Ergo quod sint plures nunc supremi pontifices eiusdem preeminencie repugnat regimini sancte matris Ecclesie. Preterea. Regimen sancte matris Ecclesie confirmari debet ordinacione Christi sui sponsi. Sed Christus suam Ecclesiam fundavit supra unam petram dicente Christo Petro: *Tu es Petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam* (1), et alibi: *Tibi dabo claves regni celorum.* Ergo cum huic ordinacioni repugnat quod duo fuissent simul et semel supremi pontifices equalis preemimencie, sequitur quod repugnat regimini sancte matris Ecclesie, quod iam sunt duo simul supremi pontifices equalis preeminencie.

Ex istis sequitur correlarie quod iam, ex quo sunt duo, qui dicunt se habere papatum et per consequens esse eiusdem gradus et preeminencie, quod alter istorum esset intrusus sancte Romane ecclesie.

Sed contra conclusionem, videlicet quod possunt esse duo, supremi pontifices equalis preeminencie, arguitur sic. In antiqua lege erant multi simul summi pontifices. Ergo regimini nove legis hoc non repugnat. Antecedens sic probatur. Super istud Luce primo (2): *Factum est cum fungeretur sacerdocio* Zacharias, dicit glo[sa] Ambrosii et Bede quod ad ampliacionem cultus Dei a David constituti erant XXIIII pontifices, qui ministrarent in templo Dei, ergo in eodem gradu dignitatis plures summi sacerdotes a David in antiqua lege erant ordinati. Ergo sic esse non repugnat regimini ecclesie Christi. Item Luce III° (3): *Sub principibus sacerdotum Anna et Caypha factum est verbum Domini super Ioh[annem]*, et c[etera]; ergo duo simul fuerunt principes sacerdotum, ergo supremi. Item. In nova lege omnes apostoli erant equalis dignitatis et preminencie cum Petro; cum ergo Petrus erat summus pontifex, ergo plures erant simul summi pontifices. Antecedens probatur sic. Potestas seu dignitas collata apostolis elicitur sufficienter ex auctoritatibus Ioannis XX (4) et Mathei XVIII (5) dicente Christo: *Accipite Spiritum sanctum — quecumque ligaveritis,* et c[etera]. Sed ista verba equaliter et eque efficaciter fuerunt dicta omnibus apostolis sicut Petro. Ergo cuilibet eorum equaliter data est potestas plenaria: ergo quilibet apostolus cum Petro integram Ecclesie potestatem habuit et completam, et per consequens in potestate integra Ecclesie erant omnes pares. Sed Petrus erat summus pontifex, ergo et alii, et per consequens plures simul.

(*a*) regimini] reginime bis *ms.*

(1) Math. 16, 18, 19.
(2) v. 8.
(3) v. 2.
(4) v. 23.
(5) v. 18.

Item Actuum XV habetur (*a*) [quod] questione mota de legalibus veteris [testamenti] esse imponendum fidelibus iugum legis (1), facto autem silencio Iacobus (2), Iherosolimorum episcopus, auctoritate pontificali protulit sentenciam et dixit: *Viri fratres, audite me; Symon* autem *narravit,* et cetera. *Ego autem iudico non inquietare eos, sed scribere* eis *ut abstineant se a fornicacione et a sanguine.* Sed Iacobus in presencia Petri non dedisset sentenciam diffinitivam in causa legis nostre et fidei, si ille cum Christo parem habuisset potestatem. Ergo ipse cum Petro parem habuit potestatem, et per consequens omnis alius apostolus. Item. Idem patet in canone XXIIII q. I. *Loquitur* et in c. *Audivimus* (3), et d. XXI. *In novo testamento* (4). Item. Clemens, Linus et Cletus erant summi pontifices. Ergo conclusio falsa. Antecedens probatur sic. Nam Clemens, qui immediate successit Petro in papatu, est IIIus in cathalogo summorum pontificum, ergo simul rexit cum aliis duobus, scilicet Lyno et Cleto. Ultimo sic. Duo possunt esse iudices delegati, et hoc in eodem gradu dignitatis. Ergo conclusio falsa. Istis tamen motivis non obstan[tibus] teneo conclusionem et respondeo ad argumenta.

Ad primum cum arguebatur sic: quod in antiqua lege erant simul XXIIII summi pontifices: ergo hoc non repugnat in nova lege; ad hoc datur duplex responsio. Una est quod illi XXIIII pontifices equales erant in ordine et dignitate, non tamen simul, sed successive, quia ille in cuius ebdomada festum expiacionis (*b*), erat summus pontifex toto illo anno, quemadmodum dicitur Io[hannis] II (5), quod *Cayphas erat pontifex anni illius.* Alia datur responsio, quod XXIIII pontifices erant in antiqua lege simul quantum ad ministerium cultus templi, sed tantum unus erat, qui preerat super alios in auctoritate iudicii, quemadmodum legitur Deut[eronomi]o XVII (6): *Venies ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem qui fuerit pro illo tempore.*

Ad secundum quod dicitur (*c*) de Anna et Caypha, dico quod non simul preerant, sed unus preerat in principio predicacionis Iohannis et alius successit, ita quod olim (*d*) ambobus (*e*) terminabatur tempus predicacionis Iohannis (*f*). Quare patet responsio ad argumenta de antiqua lege.

(*a*) Actuum XV. habetur — legis] act. 17 habetur quod questione mota de legalibus veteris testamenti observandis cum fide Christi Petrus surgens racionando dixit non esse imponendum fidelibus iugum legis *V*1 actuum XV habetur conclusione mota de legalibus veteris testamenti observandis cum fide Christi Petrus surgens rasocionando (!) dixit non est imponendum fidelibus iugum legis *V*2. — (*b*) expiacianis] cede? *V*1 *V*2. — (*c*) *ms correct.* — (*d*) olim] *Pa* *V*2 sub *V*1. — (*e*) ambabus! *V*2. — (*f*) Iohannis] *add.*

---

(1) v. 10.
(2) v. 13.
(3) c. 18; eod., c. 4.
(4) c. 2.
(5) Ioh., 11, 49.
(6) v. 9.

Ad 3^m argumentum, cuius difficultas stat in hoc, quod omnes apostoli erant equalis potestatis et Petrus erat summus pontifex, ergo plures erant simul supremi iudices, neganda est maior. Pro cuius intellectu est notandum, quod quantum ad propositum pertinet, duplex est potestas, scilicet ordinis et regiminis. Potestas ordinis habet conficere, predicare, confessiones audire, et similia, cuiusmodi potestas ordinis a Christo per apostolos aut Christi discipulos aut utrosque derivatur propagacione spirituali in posteros, que potest appellari potestas sacramentalis, quia per eam omnes actus sacramentales possunt ab habente eam licite tempore oportuno exerceri; quantum ad istam potestatem omnes apostoli erant pares. Potestas regiminis est (*a*) potestas gubernandi subditos, licenciandi, suspendendi execucionem potestatis ordinis sacerdotalis quantum ad personas et loca, secundum quod sibi videbitur expedire ad salutem animarum. Sed quoad istam potestatem regiminis Petrus precellebat ceteros apostolos. Quod ostendi potest Io[hannis] primo (1) Christo sibi dicente: *Tu vocaberis cephas;* cephas vero, ut dicunt periti lingwarum interpretatores, idem est quod capud; unde ex ista nominis interpretacione videtur, quod Christus ipsum in capud Ecclesie prefigere intendebat. Insuper per hoc quod promisit sibi curam regiminis ante passionem suam dicendo sibi: *Tibi dabo claves regni celorum,* post resurrexionem suam et passionem suam confirmavit dicendo sibi: *Pasce oves, pasce agnos meos* (2). Quod nulli alteri apostolorum legitur talia dixisse, ut patet expresse di. XII (*b*). *In novo testamento* (3). In cuius signum, quod capud erat omnium apostolorum, officium principatus post Christi ascensionem statim exercuit, ut patet Actuum primo (4) de eleccione Mathie, qui tunc exurgens in medio fratrum dixit: *Viri fratres,* et cetera. Quod eciam patet in canone di. XXII. *Sacrosancta* (5), et de verbis Anacleti sic dicentis: *Inter* vestros (*c*) *apostolos* magna *fuit discrecio potestatis, et licet* erant (*d*) *apostoli, Petro tamen concessum est a Domino* (ut (*e*) *ipsi inter se voluerunt idipsum*), *ut reliquis omnibus preesset apostolis.* Ad auctoritates ergo in contrarium Io[hannis] XX., Mathei XVIII: *Accipite Spiritum sanctum,* et *quecumque ligaveritis,* et cetera, videtur breviter, quod per auctoritates predictas datur intelligi, quod collata est illis equalis potestas ordinis, non iurisdiccionis.

Ad aliud argumentum, cuius difficultas stat in hoc quod Iacobus in presencia Petri protulit sentenciam diffinitivam in questione mota de legalibus; respondet ibidem doctor Nicolaus (*f*) de Lyra quod

(*a*) est] *V1* et! *Pa V1.* — (*b*) XII] *sic, recte XXI.* — (*c*) vestros] *Pa V2* beatos *Vi et recte.* — (*d*) erant] *sic mss.* — (*e*) ut] *Pa V2* et *V1.* — (*f*) Nicolaus] *add.*

(1) v. 42.
(2) c. 21, 15-18.
(3) c. 2.
(4) v. 16.
(5) c. 2.

Iacobus episcopus erat Iherosolimitanus, et ideo, licet Petrus erat principalis inter apostolos, tamen detulit ei, ut in sua dyocesi determinacionem dubii proferret.

Ad aliud argumentum cuius difficultas stat in hoc, quod Clemens immediate successit Petro in papatu, et erat tercius in cathalogo summorum pontificum, ergo simul rexit cum aliis duobus: negatur argumentum, quia VIII. q. I. *Si Petrus* (1) dicit glo[sa], quod beatus Petrus Clementem successorem suum immediatum instituit, quod sine eleccione licite potuit; cuius causa fuit, ut habetur in Rosario (2), quia tunc pauci erant clerici, quia ausi non erant metu gentilium comparere, ideo oportebat, quod Petrus absque eleccione aliorum Clementem institueret, quod iam fieri non debet, quia tunc licitum erat propter necessitatem, sed iam non; nam antea propter necessitatem factum fuit, ut frater sororem duceret, sed cessante necessitate cessat provisio, XXXV. qu. I. capitulis I. et II. Sed quia Clemens videns, quod hoc esset perniciosum exemplum et quod alii occasione huius facti instituerent sibi successores, libere renunciavit papatui, et tunc electus erat Linus; quo mortuo erat Cletus electus (*a*) et post mortem ipsius electus erat Clemens, et sic erat tercius post Petrum, et sic non sequitur, quod Clemens rexit Ecclesiam cum aliquo alio.

Ad ultimum, cuius difficultas stat in hoc, quod possunt esse duo iudices delegati, ergo et a pari duo pontifices summi: dic quod non est simile, nam cum plures delegantur ab uno ordinario, ambo gerunt vicem unius ordinarii; quod non reperitur in ordinariis. Et sic patet responsio ad omnia argumenta contra conclusionem istam adducta.

Secunda conclusio principalis est hec. Inter omnia scismata preterita presens divisio Ecclesie est valde periculosa. Unde pro declaracione istius conclusionis notandum quod ab incarnacione Christi usque ad presens, preter scisma Grecorum, XVI fuerunt scismata, ut colligi poterit ex gestis et cronicis summorum pontificum et imperatorum.

Primum enim scisma fuit circa annum Domini CCCLIIII. tempore Liberii pape, de quo in cronicis (*b*) Martini sic scribitur (3): Liberius papa primo est exulatus quia non (*c*) volebat Arriane heresi consentire, et tunc loco ipsius ordinatus est Felix papa, qui Felix fecit (*d*) consilium, in quo invenit duos presbyteros Arriana heresi infectos, necnon Constancii imperatoris familiares, et illos eiecit de consilio. At illi provocati rogaverunt Constancium, ut Liberium revocaret et Felicem deponeret. Et sic factum est, quia tam illi presbyteri quam Liberius et Constantinus fuerunt Arriana heresi infecti.

(*a*) electus] *add.* — (*b*) coronicis *bis ms.* — (*c*) non] *add.* — (*d*) fecit] *add.*

---

(1) c. 1.
(2) Glossae Guidonis de Baysio in Decretum.
(3) Chronicon pontificum et imperatorum (ed. L. Weiland, Mon. Germ. SS. 22, p. 416); Allegatio non ad verbum.

Secundum scisma fuit circa annum Domini CCCCCI. tempore Symachi, de quo in cronicis Martini sic scribitur (1): Tempore Anastasii augusti Symachus papa floruit. Hic cum contencione invidie ordinatus est una die cum Laurencio, Symachus in ecclesia Constantineana, Laurencius in ecclesia sancte Marie Maioris. In qua causa separatus est clerus et divisus est senatus, alii cum Symacho, alii cum Laurencio. Et facta contencione hoc statuerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad iudicium regis Teodorici; qui cum ambo Ravennam intrassent, facto iudicio, factus est Symachus et confirmatus. Qui, convocato sinodo, ex misericordia constituit predictum Laurencium in Nucerinum (*a*) episcopum. Post annos paucos incriminatur ex invidia per falsos testes Symachus et occulte revocatur Laurencius et iterato divisus est clerus, quidam adherentes Symacho, alii autem Laurencio. Tunc Festus et Probinus miserunt ad regem, ut sectatorem daret rex sedis apostolice. Qui dedit Petrum Altine (*b*) civitatis episcopum. Tunc Symachus congregato sinodo expurgatur a crimine falso ac cum gloria restituitur. Petrus vero Altinensis episcopus invasor sedis apostolice et Laurencius cum suis dampnatur.

Tercium scisma fuit circa annum Domini CCCCCCCLXVIII. tempore Constantini secundi. Patet in speculo historiali (2) li° XXIII [c.] CLXI (*c*), ubi sic scribitur: Anno Constantini imperatoris secundi *XXVI. Romae Paulo* papa mortuo (*d*) *Constantinus quidam subito ordinatus sacerdos ex laico, et tyrannica ambicione papatu invaso, ecclesie Dei magnum fit scandalum. Contra tunc Philippus* a civibus *Romanorum papa constituitur,* sed *non multo post deponitur,* et infra e. li. c. CLXVII (*e*) Sigibertus. Denique anno imperatoris prefato dictus pseudopapa Constantinus per zelum fidelium ab Ecclesia detrudebatur et oculis privatur, et Stephanus ecclesie Romane presidet. *Hic tam ab Italia quam a Gallia sinodum congregat, in quo omnia a Constantino ordinata deordinat preter baptismum et crisma, discernente sinodo, ut episcopi a* Constantino ordinati *ad gradum quem ante consecracionem* habuerunt, *redirent, et si digni iudicarentur electi, iterum consecrarentur, sed ad altiorem gradum vel ordinem numquam* (*f*) *ascenderent, laici vero ab illo in diaconos vel presbiteros ordinati omnino disgradarentur et in religioso habitu perseverarent; veneracionem sanctarum* (*g*) *ymaginum confirmavit et prophanatores anathematizavit.*

Quartum scisma fuit circa annum Domini IX.ᶜ LXXXIIII tempore Leonis VI, quem post XX dies ordinacionis sue Christoferus

(*a*) Nucerinum] *ms*?, Laurencium nicerinum *V*1 Laurencium in episcopum etc. *V*2. — (*b*) Altime *ms*. — (*c*) XXIIII] *sic mss*. c. 161 *V*i c. *V*2. — (*d*) papa mortuo] *V*1 *V*2 proprie! *P*a. — (*e*) V2, C. c. LXVII! *P*a c. 161 *V*1. — (*f*) numquam] antequam *ms*. — (*g*) sanctorum! *ms*.

(1) Ibid., p. 420.
(2) Speculum historiale Vincentii Bellovacensis, Augustae Vindelicorum 1474.

presbyter suus capiens et in carcerem trudens per invasionem rapuit presulatum. Qui Christoferus, cum VII mensibus prefuisset, a Sergio papa deponitur et in carcerem tamquam invasor Ecclesie detruditur. Hic Sergius III diucius auxilio Francorum papatum obtinuit. Hic denique Sergius, cum esset diaconus, per papam Formosum reprobatus fuit, et in ulcionem sue repulse. Formosum (*a*) de sepulcro extractum et in sede pontificali sacerdotaliter indutum decollari precepit et in Tiberim iactari.

Quintum scisma fuit circa annum Domini IX.c LVI tempore Iohannis duodecimi, de quo in cronicis Martini sic habetur (1). Pater Iohannis XII, cum esset potens, nobiles Romanos iuramento constrinxit, ut mortuo Agapito papa, promoverent filium suum Octovianum in papam. Et factum est et vocatus est Iohannes XII. Hic erat venator et lubricus et feminas publice tenebat ad scandalum Ecclesie. Propter quod quidam cardinalium et Romanorum scripserunt occulte Ottoni principi Saxonum, ut scandalo Ecclesie compaciens, sine mora Romam properaret. Quod papa Iohannes percipiens Iohanni, diacono cardinali tamquam huius facti consiliario, nasum et alteri Iohanni subdiacono, qui litteram scripserat, manum amputari precepit. Hic cum frequenter fuisset ab imperatore monitus nec correctus de papatu destitutus est, ac omnium voto Leo eligitur.

Sextum sisma fuit circa annum Domini IXc LXXXVIII tempore Gregori sexti (*b*), de quo in cronicis Martini habetur sic (2). Gregorius VI. (*c*) ad instanciam Ottonis III. in papam est electus, sed post parvum tempus Crescencius (*d*) consul ipsum fugavit et alium nomine Iohannem, Placentinum episcopum pecuniosum, in papam promovit. Sed hoc factum per imperatorem gravem ulcionem suscepit. Hunc Gregorium Crescencius pro sua prosecucione Tussiam intrare coegit. Sed post cognito a Crescencio, quod predictus Gregorius pro Ottone III. misisset, statim Crescencius pro Gregorio, ut ad Urbem rediret, nuncios misit, et veniente papa Gregorio, ipse cum senatu ad pedes pape veniam postulavit. Sicque, facta pace, papa Rome defunctus est.

Septimnm scisma fuit circa annum Domini MX. tempore Benedicti VIII. Hic fuit de papatu eiectus, et factus est quidam alius papa. Unde maximum scisma fuit, ut cronica Martini refert.

Octavum scisma fuit circa annum Domini MXXXII. tempore Benedicti IX., qui, ut dicitur in cronica Martini (3), est eiectus de papatu, et factus est papa Silvester III. Et ille (*e*) quoque eiectus est, et Benedictus recuperavit papatum, et ille iterum eiectus est,

(*a*) Formosum] se *add hic ms.* — (*b*) sexti] quinti *V*1 *V*2. — (*c*) VI] 5us. *V*1 quintus *V*2. — (*d*) Crescencius] *V*2 crco ius? *V*i Terriensius *Pa*. — (*e*) Et ille] *V*1 de illo *Pa* *V*2.

(1) L. c., p. 431.
(2) L. c., p. 432.
(3) L. c. p. 433.

et datus est papatus archipresbytero sancti Iohannis ante portam Latinam, qui Gregorius sextus dictus est. Sed hic habito papatu, cum esset rudis litterarum, alium papam ad vices ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tercius superinducitur, qui vices solus duorum suppleret (*a*). Uno ergo contra duos, et duobus de papatu altercantibus contra unum, mortuo Gregorio imperator contra duos alios Romam ascendit et, eis canonica et imperiali censura depositis, Clemens II. papa efficitur, a quo Henricus imperator coronatur, Romanis sibi promittentibus et iurantibus, se sine ipsius consensu Romanum pontificem numquam electuros.

Nonum scisma fuit circa annum domini MLXII tempore Allexandri II., ut patet in speculo historiali li°. XXVI. (*b*) capitullo XXXVIII, ubi sic habetur: *Anno* imperatoris *Henrici VII. Allexander* II. *Romane ecclesie presidet. Contra quem* Codulos (*c*) *Parmensis episcopus papatum* ambigens (*d*) in magnum scandalum Ecclesie venit, *quia longa concertacio inter eos usque ad homicidia prorumpit* (*e*).

Decimum scisma fuit circa annum Domini MLXIII. tempore Gregorii VII., de quo in cronicis Martini sic scribitur (1): Gregorius VII. Henricum imperatorem excommunicavit, quia unitatem ecclesie Romane scindere voluit. Sed postea Henricus humiliter petens veniam vix obtinuit. Postea de assensu eiusdem regis, iterato excommunicati (*f*), quidam factus est papa Clemens, qui fuerat episcopus Ravenne, Gregorio in castro sancti Angeli obsesso. Sed statim Gregorius restitutus fuit in palac[io] Lateranen[si].

Undecimum scisma fuit circa annum Domini MLX tempore Paschalis II. (2), cuius tempore quidam ex clero Romano perversi contra ipsum insurgentes in heresyarchas Albertum, Arnulfum et Theodericum diversis temporibus exigere in papam presumpserunt, qui omnes licet cum difficultate a domino papa finaliter sunt prostrati.

Duodecimum scisma fuit circa annum Domini MCXIII. tempore Calixti II., de quo in gestis Henrici imperatoris IIII. habetur sic: Pascali papa mortuo, succedit ei Iohannes, Romane ecclesie cancellarius appellatus papa Gelasius. Sed quia imperator eleccioni non interesset, Hispanum quendam nomine Burdinum ipsi superordinavit. Sed Gelaseo mortuo, et Calixto ibidem consecrato in papam, Imperator cum omnibus assencientibus excommunicatur per ipsum; papa vero Calixtus Romam proficiscens capto in Sutrio Burdino ab omni senatu et populo gloriose suscipitur. Postea Henricus imperator ad cor rediens investituram episcoporum et aliorum prelatorum per annulum et baculum, pro qua cum plurimum cum Pascali contenderat, Calixto pape libere resignavit.

(*a*) supleret *ms.* — (*b*) XXVI] *sic mss.* — (*c*) Codulos] Cadulus *V1*, *V2*? — (*d*) ambigens] *Pa V2* ambiens *V1*. — (*e*) prorumpit] *Pa V2* prorupit *V1*. — (*f*) excommunicato *ms.*

(1) L. c. p. 434.
(2) Martini chronicon cit., p. 435.

Tredecimum scisma fuit circa annum Domini MXXVIII. (a) tempore Innocencii II., cuius tempore Petrus, Petri Leonis filius, cardinalis a paucioribus electus ac Anecletus dictus (b), hostiliter fecit aggredi domos, in quibus se Innocencius cum cardinalibus receperat. Innocencius vero papa nullum in Urbe habens subsidium cum cardinalibus et duobus galeis transivit in Galliam et a rege Francorum honorifice susceptus est. Succedente tempore, Lotharius imperator factus est, exercitum in Italiam parat et cum archiepiscopis et episcopis Innocencium papam collocat in ecclesia Lateranensi ac ab eodem in eadem ecclesia in imperatorem coronatur. Qui Lotharius cum papa Innocencio Apuliam intrans, Rogerium regnum Secilie iniuste et vi occupantem inde fugavit ac postmodum Innocencius Romam rediens sedem apostolicam in pace gubernavit, ut dicit cronica Martini (1).

Quartumdecimum scisma fuit circa annum Domini MCLIX. tempore Alexandri III., de quo in cronica Martini sic scribitur: Tempore Alexandri III. erant quatuor papatus incursores, quorum primus fecit se vocari Victorem, secundus Pascalem tercius Calixtum et quartus Innocencium, quorum tres fuerunt presbyteri cardinales, qui per papam excommunicati mala morte interierunt, et tunc fuit maximum scisma in ecclesia Dei.

Quintumdecimum scisma fuit circa annum Domini MCCCXVII. tempore Iohannis XXII., ut patet in vita sua; nam iste commoratus est in Avinione, nec Romam valuit adire. Anno igitur papatus sui XII. erectus est Rome per potestatem Ludewici ducis Bavariae, qui se dixit imperatorem, in papam qui prius fuit de ordine fratrum minorum nomine frater Petrus de Corvaria, et fecit se vocari papam Nicolaum V^{um}. Sed anno Domini MCCCXXX. predictus antipapa consciencia ductus et Spiritus sancti gracia illuminatus, non vi nec compulsione alicuius, sed spontanee ut vir catholicus penitens de malefacto suo venit domino pape Iohanni XXII. ad Avinionem in die sancti Bartholomei apostoli et in crastino intravit consistorium, ponens se totum in misericordia ipsius, predicans coram eo in pulpito, revocans heresim suam et dicens culpam cum corda in collo coram omnibus. Quem papa ex superhabundan[cia] primo recepit ad osculum pedis, postea ad osculum manus, et tercio ad osculum oris coram toto populo, et fecit eum episcopum.

Item. Legitur in quodam libro, quod circa annum Domini CCCLXXXIII. (c) tempore Damasi pape primi fuit unum scisma, cum quo fuit ordinatus Ursinus, sed postmodum de Urbe eiectus est.

Item. Circa annum Domini CCCCXXV. tempore Bonifacii primi fuit unum scisma in ecclesia Dei.

(a) MXXVIII.] 1125 *V1* millesimum CXXV^{m} *V2*. — (b) dictus] *V1 V2* dominus? *Pa*. — (c) 378 *V1* CCCLXXXIII *V2*.

---

(1) L. c., p. 437.

Item Circa annum Domini VIII[c] LIIII. tempore Benedicti pape III. fuit unum scisma in ecclesia Dei, adversus quem Anastasius presulatum invasit.

Item Circa annum Domini MLXXXVIII. tempore Victoris pape III. fuit scisma in ecclesia Dei.

Sed quia de omnibus istis non fit mencio in cronicis Martini, ideo breviter pertranseo.

Hiis igitur recitatis videtur conclusio ista: Inter omnia scismata precedencia presens divisio Ecclesie est valde periculosa, tum primo propter raciones apparentes pro iure utriusque in sede papali iam residencium, tum secundo propter firmam adherenciam unuscuiusque ad suum papam vocatum (*a*) vel estimatum, tam tercio propter scisma tam diuturnum et continuatum. Nam quo ad primam partem ostenditur conclusio sic. In scismatibus precedentibus semper fuit maior racio pro una parte, quam pro alia, sicut per effectum patuit, sed in scismate iam currente, ut quam pluribus videtur, equalis apparet evidencia pro utraque parte. Ergo quoad istam circumstanciam magis periculosum videtur presens scisma, quam aliquid aliud precedens. Consequencia patet. Maior suadetur sic. Evidencia quam habet ecclesia Christi pro aliqua parte oritur ex relacione antiquorum cardinalium. Sed eorum relacio quam pluribus videtur eque evidens esse pro una parte, sicut pro alia, ut per raciones nituntur aliqui ostendere, quorum evidencias in alia conclusione vobis recitabo: Ergo, et cetera. Patet insuper hec conclusio propter firmam adhesionem uniuscuiusque ad suum; quia causa firma est adherencia uniuscuiusque ad suum, quod quelibet pars reputat se ipsam catholicam et partem contrariam scismaticam et excommunicatam. Ergo, et cetera. Patet insuper hec conclusio quoad partem terciam quia quanto aliquid malum est diuturnius, tanto peyus est et ad reformandum difficilius, cum sit magis habituatum (*b*). Sed istud scisma inter omnia scismata precedencia preter scisma Grecorum, ut verisimiliter estimatur, est diuturnius, cum iam duravit per XVII annos. Quare sequitur manifeste quod inter omnia scismata precedencia divisio Ecclesie moderna est valde periculosa.

Tercia conclusio est ista. Ex quo in Christi ecclesia presens divisio est tam periculosa, ad excludendum predictum scisma necessaria est aliqua via invenienda.

Prima pars istius conclusionis patet ex immediate predictis, et secunda pars ostenditur sic. Nam inter ceteras vias bonas due michi pre ceteris videntur racionabiles, videlicet veritatis occultate declaracio, et apostolice dignitatis renunciacio. Veritatis occultate declaracio ad ostendendum, quis istorum duorum in sede papali residencium habet verum ius ad papatum, et ad hoc manifestandum facilis via videtur esse, videlicet quod uterque cum suis cardinalibus, cum prelatis et gra-

(*a*) vocatum] *ms. glossa marginalis:* at verum. — (*b*) habituatum] *V1 V2*, *om Pa*.

datis in lege Dei pariter Deum timentibus et zelum iusticie habentibus, ad locum ydoneum et tutum et sub secura proteccione convenirent, et in casu, quo aliquis illorum timeret incurrere periculum propter paucitatem suorum cardinalium, quod novos crearet usque ad equalem alterius numerum. Quibus congregatis sic inter eos materia discuciatur, ut veritas, que modo non omnibus patet, nec a cunctis catholicis cerni potest, sic ponatur super candelabrum militantis Ecclesie, ut omnibus qui in domo Dei sunt clare eluceat. Hec prima via, scilicet veritatis occulte declaracio. Secunda via est apostolice dignitatis renunciacio, que dupliciter contingit fieri, videlicet in particulari concilio vel in concilio generali; nam in quocumque istorum foret spontanea renunciacio et unius illorum vel alterius persone ydonee fieret nova eleccio, a cunctis christifidelibus tolleretur ambiguitas seu vacillacio et in eorum conscienciis absque remorsu aliquo iocunda foret quietacio. Via renunciacionis spontanea fieri in concilio particulari expedicior et utilior foret, quam si foret in concilio generali; tum primo, quia tunc prelatorum vitatur labor; tum secundo, quia tunc in sede papali residencium salvaretur honor, eo quod in concilio generali neuter illorum presideret, et sic utriusque tolleretur honor; tum tercio, quia tunc expense Ecclesie non forent nimis onerose, nec nimis graves; quarto, quia sic celerius Ecclesia ad gradum pristinum esset reformata. Et sic patet tercia conclusio.

Quarta conclusio est hec. Melior via esset, quod antipapa (*a*) esset de papatu depositus per secularem potenciam, quam quod dominus Bonifacius, papa verus, ad papatum perderet suam iusticiam.

Probatur conclusio sic. Illa foret melior via, que in precedentibus scismatibus pro unione Ecclesie fuit virtuose practicata. Sed communiter in precedentibus scismatibus finaliter antipape fuerunt de papatu per secularem potenciam depositi et unus papa per eandem potenciam ad ius suum et suam iusticiam honorifice restitutus. Ergo conformiter modo via melior, quod antipapa esset de papatu depositus per secularem potenciam, quam quod dominus Bonifacius papa verus ad papatum perderet suam iusticiam. Consequencia patet, et maior et minor, quia Iohannes XII., Petrus, Petri Leonis filius, Iohannes Placentinus episcopus et multi alii virtuose (*b*) per potenciam secularem sunt depositi, ut patet ex dictis in II. conclusione. Item. Melior via foret veritatem iusticie observare, quam eam deprimere, vel sub modico occultare. Sed si dictus Bonifacius, qui est verus papa, iusticiam suam perderet ad papatum, veritas opprimeretur, vel sub modio occultaretur. Ergo melior via foret quod antipapa de papatu esset depositus per secularem potenciam, quam dominus Bonifacius ad papatum perderet suam iusticiam; veritas opprimeretur, eo quod ad papatum veram habeat iusticiam. Quod patet, tum primo, quia cardinales electores Urbani de ipsius canonica eleccione verbo et scriptis testi-

---

(*a*) antipata esset.. depositus] *Pa correct, V1* antipapa de papatu depositus esset *V2* antipape essent.. depositi *Pa prius*. — (*b*) virtuosi *ms.*

monium perhibuerunt; tum secundo, quia multi principes, nobiles et magnati sue iusticie adversantes mala morte interierunt; tum tercio, quia dominus Bonifacius eius successor legitimus cicius vult, ut dicitur, papatus honore privari quam gregem suam (*a*) per istud pestiferum scisma crudeliter dissipari; tum quarto, quia Benedictus antipapa, sui honoris cupidus, pocius cupit in papatu pretenso inaniter gloriari, quam gregem dominicum per nephandum scisma dispersum, ad unionem Ecclesie permittere congregari.

Confirmatur racio sic. Reges et principes iusticiam Ecclesie pro viribus tenentur tueri et defendere. Sed dominus Bonifacius ad papatum veram habet iusticiam. Ergo reges et principes pro viribus tenentur eum tueri et defendere. Consequencia patet et (*b*) maior di. LXIII. *Tibi Domino* (1), et minor patet ex supra dictis. Item. Ex lege nature filii patris iusticiam tenentur defendere. Sed imperator, reges et principes filii sunt Ecclesie. Ergo ipsius iusticiam pro viribus tenentur defendere. Patet hec consequencia et maior ex sacra scriptura, et minor XXIII. q. VIII. *Convenior* (2).

Quinta conclusio sic habet. Si per aliquam aliam viam a cessione fieri possit unio gregis dominici, nullo modo debet dominus Bonifacius verus pastor Ecclesie renunciare papatui.

Probatur hec conclusio. Nullus sufficiens pastor Ecclesie debet renunciare pastorali cure, si possit gregem a Deo sibi commissum debite custodire. Cum ergo dominus Bonifacius est verus pastor Christi ecclesie, ut patebit per evidencias in conclusionibus sequentibus, et cum hoc est sufficiens suas oves pascere instruccionis verbo, conversacionis exemplo, Eucharistie sacramento et temporali subsidio; ergo nullo modo debet dominus Bonifacius verus pastor Ecclesie renunciare papatui, si per aliquam aliam viam a cessione fieri possit unio gregis dominici. Que est conclusio probanda.

Sexta conclusio est ista. Determinatur in iure, quod iuri papatus poterit papa cedere.

Patet hec conclusio extra de renunc. *Quoniam aliqui curiosi* li. VI. (3), super quo dicit Archidiaconus: quod papa potest renunciare oneri et honori, et dicit glo[sa] eiusdem Arch[idiaconi] super ver[bo]: *C[oelestinus]* (*c*), quod hoc fieri debet coram cardinalibus non parti iniuste scienter faventibus, quia a veris cardinalibus habet papa eleccionem, et quod per eos factum et per eos dissolvendum videtur. Patet eciam hec conclusio exemplo beatorum Clementis et Celestini, qui ambo papatui renunciaverunt; ergo. Sequitur

1. (f. 241-241 v. num. saec. XVI). Sequitur sermo: *Gloria hec est* ut in ff. 237-240.
2. (f. 242-242 v). *Ecce quam bonum et quam jocundum* ect. *ps. 132.*
3. (ff. 243-248). De corpore christi.
4. (f. 248-248 v). De usu et fraudatione pecuniarum.
5. (249-251 v). *Quoniam non cognovi negotiationem* ect. *ps. 70.*
6. (ff. 252-254). *Increpa feras arundinis* ect. *ps. 60.*
7. (ff. 254 v-256 v). *Pascite qui in vobis est gregem dei. I. pet. 5.* — De sacerdotibus.

Cod. n. 2 chart., saec. XV, mill. 200×140, ff. 442 absque numeratione, scriptura minutissima. In margine superiori primi folii habetur, manu saec. XVII: *Primo et 2° di S. Bonaventura;* in aliis notantur singulae distinctiones. Hic codex a PP. Collegii D. Bonaventurae pro recenti publicatione operum Seraphici Doctoris examinatus fuit, ut patet ex epistola P. Elpidii a Monte Iove, in principio ejusdem inserta. Cfr. to. I, p. LXXVIII, n. 35 et to. II, p. VII, n. 5.

Membrana ligatus, in dorso hanc sequentem exhibet inscriptionem saec. XVI: *D. Bonaventurae opus manuscriptum 1373* (?).

I. [**Liber primus sententiarum**].

(ff. 1-191 v). *Inc.* Profunda fluviorum scrutatus est et abscondita produxit in lucem. Verbum istud quod sumptum est ex iob. 28. diligentius consideratum. — *Des.* secundum virtutem que operatur in nobis ipsi gloria in ecclesia et christo iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen. Finis Comenti Bonaventure super libro sententiarum primo. Deo gratias. Amen.

II. [**Liber secundus**].

(ff. 192-434). *Inc.* Solummodo hoc inveni quod deus fecerit hominem rectum. — *Des.* secundum quod series manifestat duorum precedentium librorum cui est omnis honor et gloria *ect* Amen. Religiosi patris Bonaventure ordinis minorum veritatis theologice professoris eximij sacreque apostolici sedis Cardinalis super 2.° sententiarum scriptum finit. Deo gratias. Amen.

(ff. 436 v-435 v). Tabula primi: (ff. 436-442 v). Tabula secundi libri sententiarum.

Mutinae.

P. Seraphinus Gaddoni O. F. M.

BIBLIOGRAPHIA

Rev. H. G. Rosedale, (M. A., DD., F. S. A.). — *S. Francis of Assisi according to Brother* THOMAS OF CELANO. *His descriptions of the Seraphic Father A. D. 1229-1257. With a Critical Introduction containing a description of every extant Version.* — London, published by J. M. Dent and Co. at Aldine House 29 and 30 Bedford Street, Covent Garden, W. C. 1904. — In 8° pp. XXXIV; 112; 110; 174. 12 shill.

P. Eduardus Alenconiensis, O. F. M. Cap. — *S. Francisci Assisiensis Vita et Miracula, additis opusculis liturgicis, auctore Fr.* THOMA DE CELANO; *hanc editionem novam ad fidem Mss. recensuit.* — Romae, Desclée, Lefèbvre et soc., S. Sedis Apostolicae et S. Rituum Congregationis typographi, Platea Grazioli, in aedibus Doriae 1906. — In 8° pp. LXXXVII-481. 10 frcs.

Plura per decennia, ex quo studia circa S. P. Franciscum mirum sumpserant incrementum, editio accurata illarum Sancti biographiarum, quae et ordine temporis et ob locupletem factorum messem, primae merito semper recensendae erunt, desiderabatur vehementer. Ineditae plane non erant, at vel mendose editae, vel raris quibusdam libris absconditae. *Legenda* I[a] *S. Francisci* per Fr. Thomam de Celano iubente Gregorio IX conscripta (1227-1229) et ab eodem Papa die 25 februari 1229 Perusii approbata, prodierat ap., *Acta SS.* oct. II (1768) 683-723, (ed. nov. 1866, 683-722); *Legenda II* eiusdem scripta 1244-47 mandante ministro generali Crescentio ab Aesio, una cum I[a] evulgata fuit primum a Steph. Rinaldi O. M. Conv. Romae 1806. Editiones, quas curavit Leop. Amoni (Romae 1880) omni critica destitutae sunt, sed, aliis deficientibus maximae hucusque fuerunt utilitatis. *Tractatus Miraculorum S. Francisci,* cuius codicem P. Ant. de Porrentruy O. M. Cap. detexerat, publice luci datus fuit a P. Fr. Van Ortroy S. I. in: *Analecta Bollandiana* XVIII 1899, 81-190, *Legendam Chori* demum P. Leon. Lemmens O. F. M. in: *Excerpta Celanensia, Vitae tres S. Patris saec. XIII compositae,* Ad cl. Aquas 1901, 71-90 ediderat.

1. Anno 1904 H. G. Rosedale, minister anglicanus, vitas S. Francisci a Fr. Thoma compositas inopinanter typis Londini expressit. Si typos utique respexeris, laudes necesse est istam editionem, non vero si textum, quem e libris manu scriptis haustum dicit, quorum etiam variantes ad paginarum pedem apposuit. Scatet revera, rigetque innumeris mendis, ob verba male lecta vel scripta. Facillime sexcenti er-

rores accumulari possunt. P. 4 sigla ipsa codicum inter se confunduntur. Variarum paragraphorum titulos medias in phrases intexuit. Annotat p. 4 cod. Ebroicensem addere: *licit primi:* ubi statim quilibet videt esse legendum: *lectio prima!* In indice Legendae II[ae], 1 habes: *De conversione* de *beati Francisci;* ibidem cap. V: « *De honore,* quod *ei impendit;* L. c. 8: *dudum* pro *ideo:* L. c. 39, *O pium portus* pro *pectus!* L. c. 18 *paterent* pro *prurirent!* In Leg. I, v. gr, 43, l. 11 *fiducialius* legendum est pro forma positiva; 101 l. 16 amplectendum; 104, l. 7 aliquatenus etc. etc. Quod magis oculos cuiuslibet intuentis ferit, est immutatio, eaque nimis arbitraria, titulorum omnium Legendarum Fr. Thomae Celanensis. Legendam primam vocat *Legendam Gregorii* p. 1-112; hoc transeat. Sequitur tunc Leg. II[a], novo paginarum ordine incepto, et quidem sic inscripta: *Appendix ad Vitam primam S. Francisci de Assisii* (!) *seu Legenda Antiqua scripta circa A. D. 1247 auctore Thoma de Celano* p. 1-110; Plus adhuc miraberis, quod tunc in Tractatum *tertium,* de Miraculis agentem offendis, hoc sub titulo: *Tractatus secundus super Vitam S. Francisci de Assisii* (!) *cum miraculis, scriptus circa A. D. 1257 auctore Fr. Th. de Celano p. 1-174.* Harum innovationum, quas tamen omnes docti aspernati sunt, rationem reddere frusta studet in Introductione p. IX-XXXIV plura ibi confundens et inducens, a quibus tamen discutiendis iure omni abstinemus, non secus ac ab invectionibus quibusdam in Vaticanum redarguendis. Leges ibi quoque formas huius generis: *Secundas Traditus* (!) pro *Secundus Tractatus, XXIX Memoriales Francisci* (XXVIII, XXX) immo *Beatae Francisci* XXX!.

2. Opus illud Rosedale, nimia, uti patet festinatione conflatum, stimulos tamen addidisse videtur R. P. Eduardo Alenconiensi, scrupulose nimis forsan cunctanti, utrum editionem iam plures per annos promissam publici iuris faceret, an magis adhuc, magisque eam limaret. Non multo post Rosedale, cui plures notitias librorum manuscriptorum liberali animo elargitus erat, (cf. Rosedale l. c. I, p. 5, *nota.* Eduard. l. c. LXXII-LXXV, ubi in illum non absque ratione invehit ac plura editionis vitia pandit), P. Eduardus Alenconiensis tandem editionem suam accurate confectam, et digestam, diuturno labore exactam, apparatu critico lectionum variantium, doctisque prolegomenis p. IX-LXXX instructam e prelo in lucem protraxit. Viso ipsius labore, docti quique P. Eduardi tantam procrastinationem, quae iam ab albescente saeculo protrahebatur, libenter, excusarunt. Praebet volumen P. Archivistae *Legendam I[m] S. Francisci* 1-152, novem codicibus, quos e dissitis Europae regionibus collatos, p. XLVIII-LIX describit, innixam; dein *Legendam II[m]* 152-338, e duobus codicibus (Massilien. et Assien. 686) ac fragmento Puppiensi extractam; postea *Tractatum de Miraculis* 340-432 ex unico, quod exstat Manuscripto Massiliensi dicto, Fratrum Min. Capuccinorum et fragmento Assisien. cod. 338 erutum; demum opuscula liturgica, scil. *Legendam Chori* 435-445, quam Thomas Celanensis, rogante Fr. Benedicto de Aretio ordinavit, eiusdem Sequentias: *Sanctitatis nova signa* 446-8, ac: *Fregit victor virtualis* 449-451. Ultimo loco 453-481 Index rerum, personarum et locorum omni cura conquisitus, digne coronat volumen.

Quod auctor censuerit divisiones Legendarum in capitula et paragraphos, quas priores editores aliquando arbitrarie introduxerant, vel deserere vel immutare minime ei crimini vertimus. Deveniendum erat ad divisiones certas et quandoque magis adaptatas. Neque hac in re innovandi pruritu motus fuit, tabulasque concordantiae lectori subministrat p. LXXXI-LXXXIV. Textus quoque a doctissimo et diligentissimo

editore ad trutinam vocatus et stabilitus, firmus permanebit, si minutias quasdam hic illic exceperis. Grato ergo animo rerum franciscanarum studiosi ac periti textum sic elaboratum allegabunt. Poterat eruditus auctor non textum totum ita uniformiter, ut ita dicam, atque nude typis edere, locos S. Scripturae saltem, modo hodierno, apposito capitulo et versiculo exprimere, immo et locos SS. Patrum, eodem modo exhibere. Liber enim Nin. Tomassia *S. Francesco e la sua Leggenda,* Padova e Verona 1906, 8°, XI, 216 pp. pluribus in partibus penitus vituperandus, scientiam uti aiunt patristicam Celanensis nostri apte propalavit. Poterat quoque aliquando ad calcem textus notas supponere, id quod attamen consulto evitasse manifestum est, et paginae cuilibet capitulum respective inscribere. Non tamen adeo patet, cur, quin arborem genealogicam codicum adhuc superstitum stabiliat, codicem Barcinonensem pro basi adhibeat. Rosedale eodem modo adhibuit cod. Londinensem (p. XVII-XIX) quem ipse, non secus ac alii cod. Barcinonensem, absque ulla ratione, autographon Fr. Thomae existimaverat. Rubricas quoque Legendae II[ae], deficientibus paginarum numeris (p. 155-166) non magnae fore utilitatis haud difficulter patet. Quia aliquot editiones operum hic editorum vel aliarum ad ea attinentium legendarum adhibuit cl. auctor (p. 2, 154, 434) alias quoque antiquas legendas franciscanas, textus emendandi vel illustrandi gratia, usurpare poterat, cum codices quoque saeculi XIV sint. Cf. *Leg.* II, p. II, c. II et Speculum *Perfectionis* ed. Sabatier (1898) c. 102, p. 203-4 ubi Speculum Perf. lectioni *hebdomada* loco *obedientia* (cod. Ass.), suffragatur, quanquam varians cod. Ass. nobis magis arrideat. Pag. 54, l. 22 malim legere cum AS. H. M. P. R. *suscitaretur* appetitus vice *sciscitaretur.* Quia orthographiam immutavit in modum modernum, scribendum erat: in arcto navis (241, 10), toxica 255, 7 (τοξικόν), et catalogus 134, 27, 444, 26 (κατάλογος) etc. — Alia recensio longior cum multis variantibus sequentiae: *Fregit victor,* in qua edenda secutus est solum A. Daniel, *Thesaurus Hymnologicus,* V. Lipsiae 1856, p. 319, n. 631, habetur in libro, (qui tamen MSS. indicare negligit): *Cantus Varii in usu apud nostrates* [i. e. O. F. M.!] *ab origine ordinis, aliaque carmina in decursu saeculorum pie usu parta,* Romae-Tornaci-Pariis, (Desclée) 1902, p. 234-240. Animadvertit alias quidam, cf. AFH, 161, l. 1 seqq. Fr. Thomam Celanensem *artis dictandi* peritissimum praesertim in Leg. I. *cursum* secutum esse. Quae animadversio ad textum emendandum nonnihil conferre possit.

Prolegomena erudita IX-LXXX docte agunt de Vita Fr. Thomae de Celano, (falsissime quondam de Cellino dicti ac stirpi Castelleonum erronee adscripti). In capitulo Provinciae Theutoniae diei 8 sept. 1223 a munere custodis sublatus, Thomas videtur in Italiam rediisse, quin tamen praesens Sancti Francisco adfuerit ultimis Sancti annis (XVII). Cap. II de Scriptis Fr. Thomae Celanensis agit p. XXIV-XLVII, ibique aliquas « Neocriticorum » insimulationes in Celanensem prolatas, quod iussu papae et generalis ministri scribens « scriptor officialis » sit (XXIV), quod Franciscum sincere catholicum depingat (XXV), quod Hugolinum cardinalem non illudentem et decipientem Franciscum effingat etc. auctor refellit. Postea quoque Legendas quibusdam maculis, a criticis illis qui Thomae iniuste detrectant, aspersis, purgat, circa Fr. Heliam XXVIII-XXX, siquidem v. gr. dicta de benedictione ultima S. Francisci non retractat, sed attenuat, secundum lectionem criticam; circa Fr. Thomae ad Socios relationem XXXI-II etc. Tum in prologo Leg. II[ae], p. 169 s, tum in oratione finali Sociorum 336-38 manifestum fit Thomam concor-

diter cum *tribus Sociis* labores contulisse (XXXVI-VIII). Pro pluribus ibi dictis afferri potuit Dr. W. Goetz, *Die Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi,* Gotha, 1904. Sed neque opinatur Editor Thomam esse Historiographum et Biographum tanti Sancti perfectissimum atque omnibus prorsus numeris absolutum; cf. p. XXVIII, XXXI etc. Siquidem et sui aevi defectus non penitus effugit, neque, multo minus, ad normam rei et scientiae historicae modernae libros suos concipere et elaborare poterat.

Quoniam demum constat posteriores biographos Divi Francisci e Thoma de Celano, veluti e fonte principali, ob res relatas et ob temporis prioritatem large hausisse, princeps ac praecentor quodammodo historiae franciscanae conclamandus est ipse. Maximas proinde rependimus gratias doctissimo P. Eduardo ob susceptam et perfectam istam egregiam editionem Fr. Thomae Celanensis. « Et, ut ipsius editoris utamur verbis, re quidem vera, dempto Celanensi, nullum perstat amplius de re franciscali certitudinis fundamentum. Quotquot Assisinatis Legiferi genuinae historiae incumbere percupiunt, sedulo caveant oportet, ne Celanensis opera perfunctorie tantum et incuriose evolvant, sed e contra repetita et acuta perscrutatione meditentur » (p. VII). Cui voto atque officio omnes eo lubentius obsecundabunt, obsequenturque, quo iucundius est talem editionem assidua evolvere manu.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Fischer, Hermann. *Dr. Phil. — Der heilige Franziskus von Assisi während der Jahre 1219-1221. Chronologisch-historische Untersuchungen*, in collectione: *Freiburger Historische Studien. Fasc. IV.* Freiburg (Schweiz), Universitätsbuchhandlung, (Otto Gschwend) gr. in-8°, (II), 144 pp. — 3 M.

Quantum chronologiae accuratae atque abundanti hodiedum in re historica sive biographica tribuatur, si quis est qui ignoraverit, evolvat, quaeso, librum supra scriptum Dr. Herm. Fischer. Totus in eo est, ut subsidio documentorum et studiorum, nostris et prioribus temporibus erutorum vel excogitatorum, id suppleat, quod in chronologia trium annorum 1219-1221, neglexerunt antiquissimi S. Francisci hagiographi. Haec trium annorum epocha maximi momenti erat pro ordine a S. P. Francisco instituto, poterat quoque periculosissima ipsi evadere. Complectitur namque eventus omnes, qui acciderunt, ex quo S. Pater in Aegyptum atque Orientem profectus erat, tentatas innovationes aliquorum Fratrum Seniorum, S. Francisco statim a nuntio Fre Stephano relatas, primasque Bullas pontificias ordini datas, ad eum magis ad morem Ordinum antiquorum efformandum, absolutionemque primae regulae, dictae anni 1221. Familia ergo S. Francisci tunc crisim quandam subiit, de qua nihilominus Legendae seu Vitae S. Francisci proprie dicte, nihil prodiderant.

Annos illos « turbationum » profunde et perspicaciter rimatur cl. Dr. Herm. Fischer, alumnus Universitatis Friburgensis Helvetiorum, discipulus doctissimi et rei franciscanae peritissimi Prof. G. Schnürer. Omni apparatu critico instructum est ipsius opus, quod optima methodo, omnia momenta, phases eventuum, eorumque causas ac effectus inve-

stigat erudite, ut ad chronologiam illius triennii aliquantum obscuri ac plus perturbati, figendam et statuendam perveniat. Praevie, ut methodice procedat, conspectum *fontium* praebet maxime sequendo, in rebus dubiis et controversis, W. Goetz, *Die Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi,* Gotha 1904, ac Prof. Dr. Schnürer, *Neuere Quellenforschungen über den hl. Franz von Assisi,* ap. *Historisches Jahrbuch* XXVIII, München 1907, 9-43, ita tamen, ut et aliorum doctorum omnium opiniones referat. Inter alia et Leg. I^ae^ et II^ae^ Fr. Thomae de Celano auctoritatem vindicat (p. 6-13). Primum Capitulum discurrit de itinere, S. Francisci versus Orientem, de Capitulo Seniorum, de mora S. Francisci in dicta regione et reditu illinc in Italiam, 20-42; Cap. II^m^ de S. Francisci cum « scientiatis » fratribus Bononiae conflictu et de Hugolino cardinali Bononiae tunc *non* praesenti agit 43-70; Cap. III^m^ de S. Patre in curia Romana et de eius sermone coram papa 71-82; cap. IV^m^ 83-108 fuse et erudite de occursu S. Francisci et S. Dominici disserit, et cap. V^m^ eventibus a Capitulo Pentecostes anni 1220 ad Capitulum Pentecostes 1221, quod stoiorum esse dicit, prosequitur. Post brevem omnium conspectum (*Rückblick* 134-137) tabellam chronologicam texuit, et demum chronologiam suam, adeo laboriose obtentam contra illam a cl. P. Hieron. Golubovich, O. F. M. *Biblioteca Bio-Bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente francescano* [neque cum Fischer legas: Ordine serafico!] I, Quaracchi 1906 p. 93-100, defendit, qui liber serius in auctoris manus devenit. Quoad istud supplementum R. P. Hieronymus Golubovich ipse suo tempore hoc in *Archivo* sententiam dicet.

Omnibus fontium variorum locis discussis et perpensis, facta triennii huius coordinat psychologice et genetice, ita ut chronologiam construat, quae in se optime atque arctissime cohaereat. Libri valorem iudicans hoc praetermittere nequit, quanquam impossibile sit paucis verbis eventuum intimam inter se relationem et concatenationem exponere, quae certe systema chronologicum Dr. Fischer solidissimum reddit. Iter Francisci et reditum, conflictum ob domum et studia cum litteratis Bononiae, Francisci ad Curiam Romanam refugium, occursus SS. Francisci et Dominici, quorum hic ab illo aliqua (scil. paupertatis ideam) didicit, Capitulum generale 1220, in quo Ministri disceptant cum S. Fundatore, qui Generalatum cedit Fr. Petro et demum aliud capitulum generale 1221 in quo Regulae sic dictae primae redactio fit definitiva. — Fortassis vero, quia in chronologia Dr.^is^ Fischer eventus omnes adeo concite inter se connectuntur et quodammodo praecipitantur, dubium aliquod exorietur de eius veritate. Fateatur enim necesse est auctor, tam brevi spatio non tot eventus, eosque adeo graves locum obtinere potuisse, nisi omnia quadrarent, ut liquet in ipso sancti itinere in Orientem et reditu. Adde, quod Fr. Stephanus Sanctum perquisitum oportune invenire debuit in vastis illis plagis. E contra tamen ad rem recordandum est, tunc ob expeditiones cruciferorum Damiatam obsidentium plures solito occasiones navigandi extitisse. Neque ulla impossibilitas realis adduci poterit contra festinationem S. Francisci in Italiam reversi, quia periclitante ordine suo et norma ab ipso intenta in discrimine versante, vires certe exserit, ut tanta pericula superaret.

Plura doctus auctor *certo* stabilivisse omnino creditur, v. gr. in capitulo perspicaci de occursu Fundatorum Minorum atque Praedicatorum. Licet antiqui Praedicatores aliquando contradicerent, de *facto* illo dubitari nequit (85-91). Ast per sex annos 1215-1221 circumfertur occursus ille a diversis scriptoribus. Auctor noster excludit annos 1215, 1216

[Felder] (1) 92-6; 1217 [Sabatier] 1218 [idem] 96-8; 1219 [Wadding] 98-100, 1220-1221 (an. 1221 moritur S. Dominicus); neque ullo in capitulo generali Ord. Min. sibi occurrerunt. — Die 8 Maii S. Dominicus Viterbio, ubi per plus quam duos menses fuerat, Bononiam profectus est, (Cf. Balme et Lelaidier, *Cartulaire ou Histoire Diplomatique de St. Dominique* III, Paris 1901, p. 46), ut Capitulum generale ibi celebraret. *Hoc* in capitulo ordinatum est « ne possessiones vel redditus, de cetero tenerent Fratres » Praedicatores: p. 103. (cf. *Opera B. Iordanis de Saxonia,* ed. Berthier, Friburgi Helv. 1891 p. 27 n. LIII). Haec constitutio ab exemplo, recens viso, S. Francisci inspirata erat.

Capitulum Seniorum quorumdam Italiae certe *non* erat Capitulum generale sed partiale, ideo omni iure circa festum S. Michaelis [1219] celebrandum, cf. Iordanus: *Anal. Franc.* I. p. 4. n. 11. 3 *Socii* c. XIV. Etiam epocha conflictus Bononiae cum Fr. Petro Stacia quaerenda est, cuius fontes praecipue sunt *Spec. Perf.* c. VI ed. Sabatier; et II *Cel.* 2, 28. Accidit lis illa statim post S. Franciscum ex Oriente reversum, i. e. an. 1220, (p. 61.) et ante Petrum Catanii vicarium nominatum Mai 1220, orta est, quia tunc Franciscus omnium Superiorem se adhuc sensit et gessit. Quid de Card. Hugolino, cum iste in controversia mediator intercesserit? Erat adhuc nominatus legatus in Lombardia et ex eius *registris* novimus eum an. 1218, 1219, et 1221 Bononiae degisse, *tacetur* autem ibi de anno 1220; G. Levi, *Registri dei Cardinali Ugolino d' Ostia e Ottaviano degli Ubaldini,* Roma 1890 p. 6. 38 49 etc. Idem, *Documenti ad illustrazione del registro del Card. Ugolino,* in: *Archivio della Società Romana di stor. patr.* XII, Roma 1889 p. 6 segg. Nescitur ergo locus e quo Hugolinus intercesserit (p. 66), fueritne Bononiae necne. Ob turbationes, in Oriente iam auditas et novas Bononiae visas, Franciscus spontanee et prudenter Curiam adit Romanam, quae ab Oct. 1219 usque ad Iun. 1220 *Viterbii* resedit: cf. Potthast, *Regesta Pontif.* Rom. I 1874 p. 537-48. Thomam de Celano II Leg. I 17. ac Tres Socios c. XVI hoc postea oblitos esse, nemo mirabitur, qui scit, quoties Curia sedem suam tunc mutaverit. A curia rediens, Capitulum Generale celebrat Franciscus: 17 Mai 1220.

Hoc capitulum revera celebratum fuisse non adeo facile probatur, quia a nullo biographo S. Francisci vel chronista antiquo ordinis commemoratur. Plurimis autem rationibus hypothesis ista ab auctore fulcitur. Id quod narratur in *Spec. Perf.* ed. Sabatier, cap. 39 et 68, accidit hoc in Capitulo, presente Hugolino, qui certe capitulo 1221 non interfuit: *Anal. Fr.* I. n. 16. p. 6. Nam ante Francisci iter in Orientem istiusmodi controversia orta nondum fuit (p. 117 ss.) et iuxta Iordanum l. c. n. 15 p. 5 ante capitulum anni 1221 « ordinem secundum sua statuta reformavit » ac Regulae 1221 cap.[m] XVIII (*Opuscula S. Franc.* Quaracchi 1904, p. 48-9) desideriis ministrorum ex parte satisfacit. Post hoc capitulum anni 1220 intelliguntur quoque Bullae Honorii data 29 Maii 1220, quae ordinem approbat ac altera diei 22 Sept. 1210 fundationi S. Francisci (iuxta votum ministrorum) magis veri *ordinis,* characterem imprimens. Sbaralea, *Bull. Franc.* I p. 5-6. Potthast, *Regg.* 6263, 6361. Absente vero S. Fundatore vix emanata fuissent tanti ponderis decreta pontificia, quorum alterum saltem expresse « Fratri Francisco »

---

(1) *Geschichte der wissenschaftl. Stud.* Freiburg 1904. 18-90. Idem, *Histoire des Etudes dans l'ordre de St. François.* Paris 1908, p. 23 ss.

inscribitur. (Fischer 118-112). Eodem quoque in Capitulo Fr. Petrus Catanii, resignante S. Francisco officium, generalis minister seu vicarius eiusdem nominatur: *Spec. Perf.* c. 39. II *Cel.* 2. 104. Antea enim sic minime nominatus est (cf. Iordanus: *An. Fr.* I p. 4. n. 11.) et iam 10 Mart. 1222 i. e. ante Capitulum Pentecostes anni 1221 moritur! (F. 123-127). Petro vicarii munere fungente, plures eventus acciderunt, qui ap. *Spec Perf.* c. 38; 58; 61; et in Leg. II Celanensis 2, 37; 2, 61; 2, 138 (F. 137-131.) narrantur. In Capitulo 30 Maii 1221 regula, sic dicta prima, interim parata, approbatur.

Ex hoc compendio, legens quicumque intelligit, quam ingeniose Dr. Fischer facta factis copulet atque subiungat, quamvis non sola haec via pateat eventus connectendi, et devinciendi, neque omnia eadem necessitate inter se iungantur. Nemo erit, quin artem suam admiretur saltem et, si thesim eius non admittat, caute ac docte eam refellat atque concutiat necesse est. Sensit ipse auctor obiectionem sibi e Iordano: *An. Fr.* I p. 5-6. n. 15 movendam, ubi sermo fit de rumoribus sparsis inter fratres de S. Patre occiso vel submerso, et de gaudio ipsorum ac populi Umbriae, reviso Francisco in Capitulo 1221 quod reversus « statim » indixit. Iordanus ipse Capitulo aderat, l. c. n. 16. Scite respondet (p. 127 seq.): Iordanum non omnia enarrare, ac dicere S. Franciscum ante illud Capitulum regulam reformasse, n. 15. Non nimis ergo τὸ *statim* premendum est, et populus ac Fratres *de longe* accurrentes plures maio 1221 S. Patrem primo reviserunt. Transeat solutio haec, licet plana revera non sit. — Obiciam cap. XVIII regulae 1221 non modo speciali voluntati Ministrorum morem gerere (p. 118), praecipue quia de facto iam an. 1219 ita res se habebant: Iordanus n. 9: (ministri) n. 11 (Capitula *partis* Fratrum; *tantum ministr orum* revera ab anno 1221, (l. c. n. 16). — Tres illi loci evangelii circa an. 1220 non iam soli norma Fraternitatis erant p. 112. Mors cardinalis Iohannis a S. Paulo non adeo certo anno 1216 assignari potest, cum post 22 Dec. 1216 ad dictam ecclesiam ab illa SS. Cosmae et Damiani translatus sit, cf. Eubel, *Hierarchia cath.* I, 1898, p. 2. 41; ubi habes « obiit, c. 1217 ». — Opus non erat quod auctor p. 143 textum II *Cel.* 2, 104 ed. Ed. Alenc. p. 277; et *Spec. Perf.* c. 39. ed. Sabatier p. 70: « *Paucis annis elapsis post suam conversionem* in quodam capitulo, coram omnibus fratribus de religione praelationis officium resignavit » corruptum supponeret vel errorem ibi suspicaretur, quia hunc modum loquendi vagissimum Celanensis, chronologiae negligens, alibi quoque tenuit II Leg. I c. 6. n. 11. *ed. cit.* p. 176: « Patuit *paulo post* amor cordis per vulnera corporis » i. e. c. 18 annos postea! Quia de aliquibus fontibus ab auctore necessario adhibendis et adhibitis, coram iudice lis est, non eadem fide omnes suscipient, quae auctor de Fr. Angelo de Clareno ac de narrationibus Speculi Perfectionis disserit. p. 66 ss. p. 114 seqq.

Ob scriptorum ac legendarum in libro isto discussarum naturam, hic eventus praetermittentium, illic ordini chronologico parum studentium, imo ipsum consulto invertentium, plures narrationes certo diei adscribi forsitan vix unquam poterunt. Inde etiam opus egregium Dr. Fischer sapienti ac perspicaci animo ordinatum ac perfectum, non ubique legenti persuadere poterit, quamquam omni prorsus laude dignum aestimandum sit, et a discrepantibus prius refellendum erit. De labore adeo docte et perite peracto, iuveni valenti, cui et alia opera tantum feliciter succedant, e corde gratulamur.

P. Michael Bihl, O. F. M.

P. Othon de Pavie, O. F. M. — *L'Aquitaine Séraphique.* Notes historiques sur l'Ordre des Frères-Mineurs et en particulier sur la province séraphique d'Aquitaine, par le R. P. Othon de Pavie, religieux profès de cette province.
Tome I, Auch, 1900. In 8° de 315 p. (1209-1367).
Tome II, Auch, 1901. In 8° de XII-566 p. (1367-1517).
Tome III, Vanves, 1905. In 8° de XII-467 p. (1517-1600).
Tome IV, Tournai, 1907. In 8° de XII-708 p. (1600-1897).

« Ce n'est pas une Histoire que nous présentons à nos lecteurs, c'est un modeste recueil de faits, rattachés par ordre chronologique aux grandes lignes de l'Histoire des Frères-Mineurs et se rapportant particulièrement à la Province d'Aquitaine ». Ainsi s'exprime le T. R. P. Othon dans l'Avertissement qui est comme le portique de son premier volume. C'est bien cela, mais l'auteur est même allé plus loin, en narrant quantité d'évènements qui n'ont pas de rapport direct avec l'Ordre de S. François. Il donne au moins un aperçu sur l'histoire générale de l'Ordre Séraphique, dont la province d'Aquitaine, ou plutôt les différentes Provinces qui ont porté cette dénomination dans les contrées du Sud de la France, ont toujours formé une partie glorieuse. Plusieurs fils de l'*Aquitaine Séraphique* ont occupé les places les plus honorables dans l'Ordre des Frères-Mineurs. L'auteur a été lui-même, à la tête de sa chère *Aquitaine Séraphique* moderne, qui continue dignement les traditions séculaires de ces provinces.

Le plan suivi dans tout l'ouvrage parait être celui de la *Chronica XXIV Generalium* qui fait d'ailleurs l'ossature du tome I. Les fais sont groupés autour du généralat de chacun des successeurs du Séraphique Patriarche, méthode qui a l'inconvénient de couper à chaque instant l'intérêt du récit.

En fait de documents inédits le premier volume n'en contient aucun. Le second renferme quatre chartes de 1383, 1503, 1512, 1516. Les deux derniers volumes sont beaucoup plus abondants. Le R. P. O. a puisé aux Archives romaines du Vatican, de l'ambassade de France près le Saint-Siége, des Santi-Quaranta et de Saint-Isidore, et aux Archives des principaux départements français que couvre l'Aquitaine. Le mode de publication des différentes pièces n'est pas absolument scientifique. Ainsi (II, 478) l'en-tête d'une page annonce une bulle d'Urbain VI, et c'est en réalité la lettre d'un Ministre Général. Quant aux sources imprimées, il en est de premier et de dernier ordre. En général le P. O. n'épuise jamais un ouvrage, il se contente de butiner çà et là des extraits à son goût. N'ayant pas visé à faire une « Histoire », mais plutôt un recueil de morceaux choisis, on ne saurait lui faire le reproche d'être incomplet et d'avoir négligé de dépouiller telle ou telle collection qui aurait pu lui fournir de sérieux appoints. Le reprendre, par exemple, d'avoir omis de mentionner une vingtaine de monastères de Clarisses et de Religieux du Tiers-Ordre en Aquitaine, serait injuste, car son but était simplement d'imprimer des Notes historiques, et ces *Notes* nous les avons ici, recueillies avec une patience dont il faut reconnaître la valeur et le mérite.

Il sera permis d'examiner quelques-unes des assertions émises dans ces 2092 pages.

Tout d'abord dans l'affaire des Spirituels et de Bernard Délicieux, le P. O. porte un jugement trop précipité. Il exécute sommairement Wadding qui s'est laissé, paraît-il, induire en erreur par Ange de Clareno (I, 12). L'auteur aurait eu peut-être, quand même se renseigner dans l'*Historia Tribulationum* et les travaux du P. Ehrle dans *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte.* — Il a cité le livre de B. Hauréau sur l'ardent Spirituel, sans le résumer, ni le discuter, ni surtout le réfuter. Mais on lit des mots comme ceux-ci (I, 13): « Deliciosi était un fanatique, un révolutionnaire », et en fait de référence, *L'histoire de l'Eglise gallicane* écrite au XVIIIe siècle!

Dans les pages consacrées à quelques illustres Frères-Mineurs du XIIIe siècle, le P. O. n'a pas non plus tenu compte des faits acquis par l'érudition contemporaine. Pour lui (I, 24), c'est toujours S. Antoine de Padoue qu'injuria fr. Elie devant Grégoire IX, il ne connaît pas le récit d'Eccleston qui nomme fr. Aymon de Faversham (*An. fr.* I, 242; III, 231). Les dates au sujet d'Alexandre de Halès ne sont pas non plus bien exactes. De même il fait mourir Jean de la Rochelle en 1271, alors que nous sommes péremptoirement renseignés sur l'année de son trépas, en 1245 (*An. fr.* III, 220). De même encore (I, 42), il suit les anciens errements en écrivant que S. Bonaventure prit l'habit à 22 ans et succéda à Jean de la Rochelle dans la chaire de théologie. S'il avait bien lu les *Analecta* (III, 220, 324), (voir cependant IV, 305) et s'était reporté à leurs doctes renvois, il aurait évité cette erreur.

Parlant (II, 104) d'une communication des suffrages de l'Ordre faite en 1383 par F. Arnaud provincial d'Aquitaine à Bernard de Séadocio, le P. O. écrit qu'elle « est certainement l'un des plus anciens titres ou *lettres d'affiliation* que les prélats réguliers donnent aux insignes bienfaiteurs de leur Ordre ». — Il en est cependant de plus anciennes, car en 1254 le B. Jean de Parme en accordait d'à peu près semblables à Jacques de *Buxolis* et à Mabile son épouse (1). Les *Archives historiques de la Gironde* (t. XXIX, p. 412) ont également publié la teneur d'une concession analogue faite en 1374 par le même F. Arnaud provincial d'Aquitaine au comte Ferrand.

Ce n'est pas exact aussi de prétendre (I, 82) que S. Louis d'Anjou soit « le premier évêque franciscain » d'Aquitaine. Dans les Registres de Nicolas IV publiés par M. Langlois (2), se voit une bulle de ce pape permettant à Henri archevêque de Bordeaux, « *Mineur* », de faire son testament. Ni le *Gallia,* ni Eubel n'attribuent à Henri la qualité de religieux. Il faut pourtant qu'il le soit pour avoir besoin d'une dispense du Siège Apostolique afin de tester validement. Le titre de « Mineur » qui lui est adjoint dans la bulle en question ne laisse pas de doute sur sa famille monastique. Il semble donc que ce pontife qui occupa le siège de Bordeaux de 1289 à 1297 soit pour la province d'Aquitaine une nouvelle gloire dont elle ne se doutait pas jusqu'ici. En outre Guillaume de Falgar, ancien ministre provincial d'Aquitaine fut préconisé évêque de Viviers le 9 juillet 1296 et *Iterius Burdegalensis* O. M. devint évêque de Lodève le 17 décembre 1296. *Cf.* Eubel, *Bull. Franc.* V. 614; ibid. IV. 401, 420.

(1) Salimbene. *Chronica.* Parmae, 1857, p. 128-129.

(2) Paris, 1886. In 4°, p. 318, 319. — On sait que S. Louis d'Anjou ne fut préconisé évêque de Toulouse que le 29 décembre 1296.

Voici un autre futur archevêque, le B. Hélie de Bourdeilles qui, au dire de son biographe, soutint tout jeune, à Toulouse, des thèses théologiques, en présence du Ministre Général qui présidait dans cette ville le chapitre de tout l'Ordre, vers 1431. — Le P. O. n'a pas de peine à prouver (II, 244) que ce fut seulement six ans plus tard, en 1437, que ce chapitre général eut lieu. Mais il est moins bien inspiré en supposant qu'au lieu du Ministre Général le prélat président devait être le Vicaire Général Observant de la famille cismontaine. Il n'a pas prévu à quelles difficultés se heurte sa supposition. A cette date Toulouse ne possédait pas de couvent de l'Observance. Celui de N. D. des Anges ne fut fondé par Louis XI que longtemps plus tard (III, 32), et le grand couvent ne se réforma qu'en 1523 (III, 47). D'autre part (II, 289), le R. P. ne trouve pas de vicaire provincial en Aquitaine avant 1454, preuve que l'Observance n'avait pas encore beaucoup de maisons indépendantes dans cette région aux abords de 1431. — Qui était à cette époque Vicaire Général de notre famille? Ni Glassberger ni Gubernatis n'en citent aucun entre Nicolas Raoul (1415) et Jean de Maubert (1443). J'ai pourtant mentionné une curieuse bulle de 1426 (1) où Guillaume Josselin figure avec cette qualité. Il vivait encore en 1429 et probablement les années suivantes, puisque Wadding écrit qu'il mourut au couvent de Metz. Or, l'historien des Evêques de Metz, Fr. Martin Meurisse, place (2) la fondation du convent de l'Observance en 1429 et parle de fr. Guillaume comme grand prédicateur attirant tout le peuple à ses sermons. Il ne faut pas connaître les rapports plutôt froids entre Observants et Frères de la Communauté, pour imaginer que le Vicaire Général concédé par le concile de Constance, pût être employé en 1431 à la visite canonique de la province d'Aquitaine. — Ce chapitre de Toulouse dut être simplement l'assemblée triennale d'Aquitaine; il n'est pas rare de voir les chroniqueurs user de l'expression « chapitre général » pour désigner la réunion de plusieurs centaines de Frères-Mineurs aux Assises de leur province.

A propos de sainte Colette (II, 140), le P. O. écrit qu'elle « dut venir en Aquitaine vers 1438 [et] qu'elle assista à ses derniers moments Jacques de Bourbon, roi de Naples, qui mourait cette année à Castres après avoir revêtu l'habit des Frères-Mineurs ». — Je crois avoir prouvé (3) que la sainte Abbesse avait quitté Castres avant la fin de mai 1426. Elle n'assista pas à l'agonie du roi Jacques, absente qu'elle était, et ce fut à Besançon et non dans le Languedoc que mourut en 1438 le vieux comte de la Marche (4).

Depuis Siméon Luce et Léon Gautier, il n'est plus permis de parler du XVe siècle franciscain sans faire une large place à Jeanne D'Arc. Le P. O. n'y a pas manqué. Il a rappelé (II, 229) les rapports de l'Ordre avec la libératrice, il n'a oublié qu'une chose: relater la triste part qu'eurent six Frères-Mineurs dans le procès de condamnation de la Pu-

(1) *Etudes franciscaines,* t. XVII, avril 1907, p. 433.

(2) *Histoire des evesques de l'Eglise de Metz...* Metz, 1634. In fol., p. 567-568. — Peut-être trouverait-on des détails plus précis dans le ms. 6729 des Nouv. acquis. franç. de la Bibl. Nat. de Paris: « Cy après trouverès comment le frere Baude, dict de l'Observance vindre en Metz et en quel temps ».

(3) *Etudes franciscaines,* t. XVII, avril 1907, p. 438.

(4) *Narration historique... des couvents de Bourgogne,* par J. Fodéré. Lyon, 1619. In 4°, 2 partie, p. 16.

celle (1). Le provincial de France et le gardien de Rouen furent de bons serviteurs de la politique anglaise, et un franciscain de Paris était le confesseur d'Isabeau de Bavière! — (Que les romantiques me pardonnent d'avoir porté atteinte, après le P. Denifle, à l'idylle si touchante de la Bergère et des Cordeliers ses protecteurs).

Personne n'ignore l'importance de la topographie et de la chronologie dans un ouvrage historique. Comment se reconnaître dans ces nombreux couvents d'Aquitaine qui ont plusieurs fois changé de custodie et de province? C'est par des tableaux d'ensemble faits aux différentes époques de transformation, en indiquant les pertes et les acquisitions. On en trouve de ces tableaux, dans l'*Aquitaine Séraphique*, mais combien défectueux! Qu'on lise ceux de 1506 et de 1516 (II, 443, 445) et je défie le plus habile de s'y reconnaître. On trouve dans le dernier la mention de couvents qui n'existaient pas: tel Saint-Antoine de Toulouse qui ne fut fondé qu'en 1586 (2) (III, 335); Terrasson, dans la custodie de Périgord, qui a été substitué à Aubeterre! Dans d'autres listes le troisième couvent de Toulouse est appelé Saint-Antonin (III,450). Il y a bien un couvent de ce nom fondé au XIII[e] siècle, mais il n'est pas dans la custodie de Toulouse. D'ailleurs il manque dans certains catalogues (III, 448, 452) sans qu'on sache pourquoi.

Quand le P. O. écrit (II, 441) qu'en 1507 la province de St-Bonaventure avait dix couvents, il ignore que quatre ans auparavant elle avait été érigée avec trente sept monastères (3). De même il fait remonter l'origine des provinces de Bourgogne et de Touraine à 1260 (I, 46) ne se doutant pas qu'en 1247 (4) celle de Bourgogne, au moins, existait déjà. — Jl n'y a jamais eu de province de Saint-Antoine en Alsace (IV, 419), il s'agit sans doute de celle d'Artois. — Versailles n'était pas évêché en 1638 (IV, 77), il ne le devint qu'en 1802. — La province « Argentine » (I, 48) est celle de Strasbourg, en latin *Argentoratum*, et « Tuderte » (I, 77) signifie Todi.

Le monastère des Clarisses *de Casceriis* est-il bien rendu par Cazères (II, 124)? Ne serait-ce pas plutôt « Les Cassés »? Cazères est un chef-lieu de canton de l'arrondissement de Muret (Haute-Garonne). Je n'ai rencontré nulle part la mention d'un monastère de Clarisses dans cette localité au diocèse de Toulouse, tandis que le *monasterium de Casceriis* d'Eubel (5) au diocèse de Saint-Papoul répondrait mieux au

(1) *Chartul. Univ. Paris.*, IV, 521, 552.

(2) Je viens d'écrire la date de 1586 d'après le troisième volume de l'Aquitaine. N'est-elle pas erronée, à son tour, puisque à la page 446, ce couvent figure dans un chapitre de 1551?

(3) Fodéré. *Naration historique*. . . Lyon, 1619. In 4°, p. 194-196.

(4) Alva y Astorga. *Indiculus Bullarii Seraphici.* Romae, 1655. In 8°, p. 47. — *Arch. fr. hist.* I, 12-13.

(5) Eubel. *Die Avignonesiche Obedienz*. . . Paderborn, 1900. In 8°, p. 107, 131. — Mouynès. *Statut et règlement pour le service intérieur de l'abbaye des Clarisses de N. D. des Anges des Cassés, établis en 1346 par Guillaume de Montauban, désigné, par Clément VI pour l'exécution de la bulle de confirmation de cette abbaye.* Dans *Mémoires de la Société des arts et sciences de Carcassonne*. T. IV, Carcassonne, 1879. In 8°, p. 113. — Alva y Astorga. *Indiculus* . . . p. 120, n. 18. — La confrontation de ces trois documents semble faire pencher la balance en faveur des Cassés contre Cazères. — A la même p. 124, le P. O. parle de la fondation des Clarisses de Lavaur. Cette fondation eut-elle vraiment lieu en 1398? Une bulle de Benoît XIII en 1405 (Eubel, p. 131) parait infirmer l'assertion. M. Guérin (*L'Auréole de Sainte Claire.* Aix, 1867. In 8°, p. 402) prétend que le monastère ne fut érigé que le 2 janvier 1644.

nom des « Cassés » qui était précisément dans ce dernier évêché. Au tome IV (116-118) le P. O. ne parle plus que des « Casses », il nous apprend que l'abbesse, Catherine Duport, obtint en 1656 de transférer sa communauté à Toulouse, mais que cette translation fut ajournée à une époque indéterminée, puisque des documents ultérieurs, tels que le *Gallia* revendiquent encore pour le diocèse de Saint-Papoul le monastère des Clarisses au village des Casses. — Quelle que soit la valeur du célèbre Recueil, je me permets d'indiquer ici un autre document prouvant qu'en 1662 et peut-être même en 1660, le monastère en question était déjà établi à Toulouse. C'est une attestation de l'abbesse concernant une apparition du Vén. Alain de Solminihac en 1660: « . . . parce que tout ce dessus contient vérité, je l'ai signé à Toulouse par obedience en notre couvent Notre Dame des Anges, Ordre sainte Claire, ce 2 août fête de Notre Dame des anges, 1662. Soeur Catherine Duport abbesse de sainte Claire des Casses (1) ».

En lisant ce qui concerne les Clarisses de Bordeaux en 1528 (III, 79-80), on se demande ce que le P. O. a bien voulu dire. Ces religieuses étaient à Bordeaux depuis 1260 (I, 41), pourquoi voulaient-elles s'établir en 1528 dans un des deux couvents de Cordeliers? Etait-ce parce qu'elles avaient perdu leur premier monastère, ou bien si elles voulaient en avoir un second?

Pour se faire une idée exacte du système chronologique observé, comparons avec les dates de la table du t. I, 247-8 celles que l'on trouve ailleurs dans l'ouvrage du R. P. O. Si Guillaume de Saint-Méfin n'est que custode (1241), il ne doit pas figurer parmi les Provinciaux. Sans quoi S. Antoine de Padoue qui fut custode de Limousin y aurait, lui aussi, sa place tout indiquée. — Dans le nouveau catalogue de l'Aquitaine (IV, 695), la date de 1242 est substituée à celle de 1247, pour F. Jean de Coprimac. — Bertrand (1256), selon les *Analecta francisc.* III, 274, mourut en 1251. Il ne pouvait donc être provincial en 1256. — Dans le nouveau catalogue (IV, 695), au lieu de Guillaume de Bayonne et de Vital du Puy on lit seulement: « 1279. Bertrand du Puy ». — Vital du Puy étant mort en 1279, et d'après les *Analecta francisc.* III, 373, R. Rigaud ayant été élu le 30 novembre de la même année, c'est donc bien en 1279 qu'il commença à exercer sa charge, et non pas en 1280. — Pour Guillaume de Falgar, évêque de Viviers en 1296 la date fausse de 1286 est substituée à la vraie, 1296, dans le nouveau catalogue, (IV, 695). — F. R. Rigaud mourut le 29 novembre 1296. F. Pierre Raymond lui succéda et décéda le 19 mars 1297 avant d'avoir pris possession de sa charge (*Anal. franc.* III, 433). -- F. Bernard cessa son office en 1307 (*Anal. franc.* III, 456). Rien n'indique la date de son élection. Selon Hauréau (*B. Délicieux,* 118-119), Jean Rigaud était vicaire provincial en juillet 1304, et quelque temps après un ministre fut élu au chapitre d'Albi. Ce qui laisserait supposer que de mars 1297 à juillet 1304 il y aurait eu un autre ministre mort ou démissionnaire avant la tenue du chapitre. — Le nouveau catalogue (IV, 695) substitue 1310 à 1307 pour Vital du Four. — Les *Analecta francisc.* (III, 473) prétendent que Pierre Auriol (1319), archévêque d'Aix 1321, n'exerça pas sa charge de provincial. — Au lieu d'Armand, 1311 les *Analecta*

(1) L. Chastenet. *La vie de Mgr. Alain de Solminihac evesque Baron et comte de Caors, et abbé regulier de Chancellade.* Caors, chez Jean Bonnet, 1663. In 8°, p. 805-810.

(III, 474), disent *Arnaldus,* Arnaud Aymeric. — F. Hélye quitta en 1328 le ministériat d'Aquitaine pour aller enseigner à Paris (*Anal. franc.* III, 487). On ignore la date de son élection.

Le ministre général Gérard Odon appartenait-il à la province d'Aquitaine, comme l'affirme le P. O. à la p. 248? C'est l'avis unanime de presque tous les historiens de l'Ordre. Les éditeurs de la *Chronica XXIV Generalium* précisent dans une note son lieu d'origine: « *Gallus Ruthenensis de castro Rodulphi* (1) », de Châteauroux dans le Rouergue. Le renseignement n'est pas complètement erroné. Si Châteauroux n'est pas situé dans le Rouergue, il a pourtant donné naissance au fameux Général. L'Obituaire du couvent de cette ville mentionne en effet « le révérendissime illustrissime père, frère Gérard Odon de Rouvres les Boy de Château-Raoulx, filz d'André 2e, de Chauvigny, 3e des enfans masles, religieux d'habit et de profession de ce couvent, célèbre docteur de Paris en théologie, autrefois gardien de céans, provintial de sa province de Touraine, puis après ministre provintial de la province d'Aquitaine, durant quoy, le 1er chapitre général de l'ordre tenu en France à Paris, l'an de grâce 1329, au grand convent de S. Francoys, il y fut esleu ministre général de tout l'ordre (2) ». — Gérard Odon n'était certainement pas provincial d'Aquitaine en 1329, puisque les *Analecta franc.* (III, 489) nomment expressément fr. Bérenger de Malbosc qui assistait comme tel cette année là au chapitre de Paris, chapitre qui d'ailleurs n'était ni le premier à s'être tenu en France, ni même dans la capitale. — Si fr. Gérard a été élu ministre d'Aquitaine, ce doit être entre 1321 et 1328. Il n'appartient donc pas complètement à l'Aquitaine, pas plus que les BB. Olivier Maillard et Gabriel-Maria, tous les deux aussi profès de Touraine.

En inscrivant parmi les ministres provinciaux d'Aquitaine Jean Bonogeth (II, 290), le P. O. s'est laissé induire en erreur. Il n'a pas vu que Glassberger (*An. fr.* II, 548) parlait des vicaires provinciaux de l'Observance, et non des ministres de la province régulière. Un détail qui aurait dû l'éclairer, c'est la lettre par lui citée (II, 528) du B. Gilbert Nicolaï à Jean de Bonoguet gardien de Toulouse qui est apparemment le même que que le *Iohannes Bonogethi* de Glassberger. Le B. Gilbert qui était de l'Observance ne pouvait pas donner d'ordres aux Frères dits de « la Communauté ».

Il semble inutile de continuer plus avant l'examen de l'oeuvre du P. O. Il a dû beaucoup travailler et se donner énormément de peine pour recueillir les matériaux de ses quatre volumes. Son style est fort agréable et se lit facilement. Alors que personne en France ne travaillait à l'histoire des anciennes provinces, le zélé ministre provincial d'Aquitaine a donné l'exemple du labeur en exhumant des documents ignorés de tous. Malheureusement sa méthode n'est pas irréprochable, ses textes sont peu sûrs, ses lectures souvent fautives, beaucoup de ses dates

---

